Digitized by Google

Ph. Pr.
989 z


Pufendorf

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

SAMUELIS L.B. de PUFENDORF

DE

OFFICIO HOMINIS ET CIVIS

juxta Legem Naturalem

LIBRI DUO.

OBSERVATIONIBUS

ANTEA SEPARATIM

EDITIS,

Quibus pleraque certius definiuntur, ac Supplementa, quâ ad Solida Juris Naturalis fundamenta jacienda maxime necessaria videbantur, præmissis etiam de Habitu hujus Disciplinæ Prolegomenis, exhibentur,

LOCUPLETATI

Autore

D. Gottlieb Gerhard Titio.

LIPSIÆ,

Sumptibus HÆRED. LANCKISII, 1709.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Digitized by Google

Illuſtriſſimo atque Celſiſſimo
Heroi

DOMINO
GUSTAVO OT-
TONI STEENBOCK,


*Comiti in Bogeſund, Libero Baroni in Chro-
nebech & Oehreſteen &c.*

Regni Sveciæ Archithalaſſo & Acade-
miæ Gothorum Carolinæ Can-
cellario &c.

Domino Meo Gratio-
ſiſſimo.

Digitized by Google





ILLUSTRISSIME ATQVE CELSISSIME COMES, DOMINE GRATIOSISSIME,



Aut levis in diversa animum meum distrahebat dubitatio, num satis ex decoro foret, tantillum opus tam illustris sibi Nominis auspicia adscitum ire. Nam ex una parte ruborem incutiebat libelli tenuitas, qui nullius ingenii aut splendoris capax erat; quippe prima duntaxat rudimenta moralis philosophiæ, ex diffusiore nostro opere fere excerpta, complectens. Qui uti fortasse aliquem præbere usum potest primum eam ad disciplinam gradum molientibus: ita si & fastigii Tui, & meæ obligationis heic habenda erat ratio, ad neutram satis

ad-

adparebat attemperatus. Ex altera parte devotissimum ILLUSTRISSIMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ animum stimulabant privata non minus, quam publica Tua merita, ut ingrati notam sibi vehementer pertimescendam duceret, si qualemcunque occasionem negligeret saltem contestandi, quantopere, Eidem foret devinctus. Neque de illis jam meritis loquor, queis per res domi forisque egregie gestas patriam Tibi maximopere obstrictam reddidisti, simulque Nomen Tuum immortali gloriæ dudum dedicasti. Ista pro dignitate recensere, historiæ labor est, quæ dum circa gloriosissima Nationis Tuæ facinora, & felicissime per tot regiones circumlata arma desudat, magnam Te semper tantarum rerum partem deprehendit; Eundemque, ubi à bellis cessatum est, primum amplissimæ provinciæ gubernandæ, post totius regni tutorio moderamini admotum non minus pacis artibus

 efflo-

efflorescentem admiratur. Ista potius hoc loco attingere fas fuerit, quæ in recentem hanc Academiam, in qua invitante Optimo Maximo REGE fortunarum sedem figere mihi datum fuit, ab ILLUSTRISSIMA TUA EXCELLENTIA profecta sunt. Quæ Te sapientissimum juxta ac benignissimum defensorem, ac summum moderatorem nunquam pro meritis satis deprædicare potest, dum suis commodis ac ornamentis inter tantam publicorum negotiorum molem citra tædium velificantem quotidie deprehendit. Enimvero quæ peculiariter ILLUSTRISSIMA TUA EXCELLENTIA in me contulit, qua cum veneratione à me æstimanda sunt? Aliis summa votorum est, id fastigii Viris innotescere, & probari. Ast mihi ita effusa Tua gratia allubuit, ut eandem & in commodis meis promovendis, & in assultibus malevolorum abs me averruncandis non

semel

ſemel benigniſſimam expertus ſim. Quibus ut aliquid reponatur, cum longe ſupra menſuram fortunæ meæ ſit; neceſſarium tamen utique fuerit, ſaltem ſubmiſſo animi cultu, & ingenua tot beneficiorum profesſione defungi; poſtquam id quoque ſummorum Virorum benignitas habet, ut grati conteſtatione animi libenter ſibi ſatisfieri patiatur. Et quia generoſis mortalium ſolenne eſt, etiam tenui ſibi exhibito cultui interpretatione pietatis dignationem ultro addere; id quoque ILLUSTRISSIMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ bonitas ſperare me jubet, ut in magnitudinem Tuam deliquiſſe non videar; ſi tam exiguo opuſculo utar in occaſionem publice exprimendi erga Eandem devotisſimi mei animi. Nam ſplendidius aliquod, & quod ævum ferre queat opus, abs me expectare longum fuerit: præſertim cum immane quantum refrigerentur ingenia, ſi deprehendant, dum vulgo ſeſe la-

borant eripere, livorem & inscitiam impune in se dentem exercere, otii rationem non reddi. Novo tamen vigore efflorescet animus, & oborta tædia ejiciet, si huncce cultum ab ILLUSTRISSIMA TUA EXCELLENTIA placida fronte admissum intellexero: simulque imposterum de gratia, & patrocinio Tuo securum me esse jusseris. Ita DEUS O.M. ILLUSTRISSIMAM TUAM EXCELLENTIAM, in Patriæ, Splendidissimæ Tuæ Familiæ, ac nostræ novellæ reip. decus ac emolumentum plurimos per annos florentem vigentemque conservet!

ILLUSTRISSIMÆ TUÆ
EXCELLENTIÆ

devotissimus

Londini Scanorum
X. Kal. Febr. A.M.DC.LXXIII.

Samuel PUFENDORF.

ELEN-

ELENCHUS CAPITUM LIBRI PRIMI.



LIBRI SECUNDI.


Cap.

Digitized by Google





Lectori



Lectori Salutem!



X quo tempore literæ in Germania tractari cœperunt, ex eo etiam ſtudium Juris Naturalis, non plane inexcultum jacuiſſe, recte dicitur, ſed non minus verum eſt, quod, ex principiis parum ſolidis ac perſpicuis, idem deductum, &, per tempus ſatis longum, frigide nimis ac inſufficienter traditum ſit, donec noſtrâ Patrumque memoriâ, illud erectiora quædam Ingenia, habitu cultiori magisque nativo, exhibuerint, ex quo nomen Juris naturalis, majori celebritate, innotuit, imo à multis, nova diſciplina, fuit exiſtimatum. Sane ſi ſtatum Academiarum,

rum ante annos non ita multos consideremus, nomen Jurisprudentiæ Naturalis in iis vix est auditum, certè à Scholis Juridicis illa penitus exulavit, ac omnia pulpita, Papiniani Ulpianique decretis, unice resonuerunt, ast hodie toties forte Juris naturalis compendia, quoties Juris Romani Institutiones, explicantur, nec amplius piaculum esse creditur, congenita Rationis dictamina excutere, ac liberiori philosophiâ, Jus Romanum ad illa exigere. Doceat illud vel solus Pufendorfii de *Officio Hominis & Civis juxta legem naturalem,* libellus, qui septima vice recusus, ac in alias etiam linguas translatus, crescentem studii hujus venerationem, satis ostendit, ut lætos ejus progressus, & sortem magis magisque serenatam, inde augurari, omninò par sit, imo non dubitem fore, ut, si dies nonnullorum, qui Legum per-

peregrinarum centonibus immori cupiunt, suaque Autoritate, Juris naturalis Disciplinam, adhuc premunt, præjudicia sustulerit, magno velut cum impetu, Hæc animis Docentium pariter ac Discentium, sese sit insinuatura, suasque divitias, insigni Reipublicæ bono, expositura, admiratione forsitan cordatæ Posteritatis animos subeunte, quare, frugibus repertis, glande tamen tamdiu vesci maluerit Antiquitas. Licet vero Juri naturali hodié Cultores non desint, attamen illud penitus excultum, aut ad eum perfectionis gradum, quem excedere non liceat, deductum, existimari non debet. Nondum consentiunt in Disciplinæ hujus habitu determinando, dum alii eam novam doctrinam, ab Ethica & Politica distinctam, credunt, alii cum his, illam coincidere arbitrantur, quidā à Theologia

logia morali, nec non Prudentiâ, eam diſcernunt, alii vero illa omnia ſolerter confundunt, cujus quidem diſſensûs, vel fluctuantis doctrinæ, non alia cauſa eſt, quam quod diverſa nomina hominibus imponere ſoleant; ac errorum, vel immaturarum ſteriliumq; cogitationum ſyſtemata, peculiares diſciplinæ eſſe credantur, nam alioquin, ſi diſciplinarum objecta & fines ſerio expendantur, ac inde, non ex Hujus vel Illius anguſta confuſaque elaboratione, Earum indoles æſtimetur, certam reperire ſententiam, non adeo difficile fuerit, qua de re quid mihi videatur, in *Prolegomenis* plenię paululum expoſui. Porro quoad ipſa Moralitatis principia aut fundamenta, tantum abeſt, ut res confecta ſit, ut potius quot capita, tot fere ſententias heic deprehendere liceat, unoquoq; id, quod ſemel

 pla-

placuit, mordicus defendente, ac explicatione benigniori, ruituram opinionem, quantum fieri poteſt, fulciente; Etſi verò negari nequit, diverſas ſententias hic non improbabiliter defendi poſſe, attamen illam cæteris præferri debere, quæ rationibus maximè directis, evidentibus & nativis utitur, illi facilè conceſſerint, qvibus veritatem aliis reſpectibus præferre placet. Deniq; Juris naturalis placita, juxta ſtatum Generis humani nondum adæquate & accurato ſatis ordine, eſſe hactenus repræſentata, non immeritò quoque aſſeritur, cujus ratio uti â rei tractandæ difficultate primario dependet, ita noñullos forte ab hoc cônatu, anguſtæ vulgaris doctrinæ moralis hypotheſes, etiã retrahunt, dum verentur, ne, ſi largius juris naturalis doctrinam inſtruant, eamq; ad ſpecialia inſtituta humana exten-

tendant, limites generalis Disciplinæ longe transiliantur, ac jus naturale, cum Jurisprudentia Particulari, aut speciatim, cum jure Romano, confundatur, quæ tamen persuasio nullo fundamento nititur. Imò sicut crescentibus Disciplinis alias Pedantismus velut insidiari, earumque cursum impedire solet, ita dubitandum non videtur, quin eadem fata, Juris naturalis studio sint metuenda, de quo tamen uti certi quid asserere non licet, ita in summa sic censeo: Eos, qui mente pollent, ac quibus status Generis humani, variaque hominum instituta, ex Disciplinis specialibus, vel aliis mediis, innotuerunt, qui à Sectis alieni, principia diversa rite distinguunt, ac nõ nisi solida ac perspicua sectantur, qui non ex aliorũ verbis, conceptꝰ, sed ex propria cognitione verba formãt, ac qui nullis methodi cujusdã chimæris oc-

cupati, prout objecti indoles exigit, cogitata ſua, modo aliquo perſpicuo & grato proponunt, eos, inquã, ad inſtruendam exornandamque Juris naturalis diſciplinam, aliquid conferre poſſe; Ab iis vero, qui intra Sectæ cujusdam auguſtias conſtituti, ejus hypotheſibus, tam doctrinam, quam ordinem attemperant, aut qui purgatos moralitatis fontes, ex Scholaſticæ, aliusve parum defæcatæ Philoſophiæ lacunis turbant, qui principia Juſti & Utilis confundunt, Naturam & Revelationem, ſeu ea, quæ omnibus hominibus communia, & Chriſtianis propria ſunt, commiſcent, vel, iis plane neglectis, ex his abruptè nimis & imperiosè philoſophantur, ab iis, dico, nil, niſi Studii hujus corruptionem, expectandum eſſe. In ſpecie eorũ vel Conſilium vel conatum, quo methodus mathematica vel

vel Geometrica, quam vocant, ad Juris naturalis doctrinam extendi suadetur, inconsultũ arbitror, eaq; ratione illam vel corrumpi, vel saltem ej9 splendorẽ im̃inui, plane existimo. Licet enim soliditas doctrinæ utiq; exigat, ut sententiã perspicue proponas, si quid dubii circa eam occurrit, illud amplius explices, singulaq;, ubi op9, ex principiis rite firmatis, demonstres, denique cætera, quæ inde fluunt, vel decidi possunt, recte proponas; attamen non opus est, ut omnia membratim discerpamus, ac exiguæ cuivis cogitationũ portioni, peculiare elogium: *Definitionis, Scholii, Demonstrationis, propositionis, axiomatis, theorematis, resolutionis, problematis, observationis, corollarii,* aut simile præponamus, atque ita omnia, stilo hiulco, arido ac exsangui persequamur, nam dictio aptè cohærens, rationum ponderi

 nihil

nihil detrahit, multum autē gratiæ iis addit, cum ê contrario, & inamœnum & confusum sit, quicquid in pulverem dissectum est. Inprimis verò vulgaris illa totiesque repetita paroemia: *id quod erat demonstrandū*, non poterit non auribus, præjudicio vacuis, esse molestissima, cum illæ toties inani sonitu percellantur, nam si rationes allatæ id, quod probari debebat, demonstrant, hoc periti etiam, sine illa clausula, intelligent, si vero nulla demonstrādi vis in iis occurrit, dicterium illud, licet centies ingeminatum, defectui non medebitur, aut omninò id, clausulis, quibus imperiti Advocati actionum libellos exornare solent, comparandum videatur. Quæ cum satis certa sint, concluderem, conservando juris naturalis nitori, non minus striblginē mathematicam, quam metaphysicam, cavendam esse

esse. Sed quicquid sit de habitu Jurisprudentiæ naturalis in genere, vel fatis, quibus Illa utitur, aut quæ Ei imposterum speranda vel metuenda sunt, id utique asserendum est, Pufendorfium in eà excolenda ornandaque multum præstitisse. Non excurrã ego in Ejus laudes, est enim Viri Perillustris Nomen celebratiꝰ, qvam ut Illius scripta, aliqua commendatione egeant, verendum potius mihi foret, ne laudare, sit detrahere, cum exigua mea scriptio, præstantiam meritorum non facilè sit assecutura, ac, prout par est, elocutura, Pufendorfium rerum memorabilium apparatu abundare, in decidendo esse gravem & accuratum, si ingenium intendere velit, eloquio elegantem, facundum & propemodũ incomparabilem, quicquid; forte Grammaticorum nonnullorum morositas oggañiat,

apud

apud plerosque, puto, qui Ejus scripta legunt, in confesso est. Quod igitur Kulpisius in *præfatione Collegii Grotiani* de se fatetur: *felicem se prædicare diem, quo Grotianum opus primum in manus sumserit, feliciorem eum, qui Scholas Illustris Argentoratensium JCti, Ulrici Obrechti, Ipsi aperuerit, quibus in recessus tam nobilis thesauri propius intrare, præsentesque ejus usus passim comprehendere licuisset*, id, si modo in literis aliquam felicitatem ponere, ac Virorum Celebrium verba, obscuri nominis hominibus usurpare fas est, ad me, qvoad lectionem Scriptorum Pufendorfianum, applicarem. Legere illa cœpi animo rudi, consilio incerto ac sine ullo ductore, sed impensæ operæ nunquam me pœnituit, nam sine genuinis juris naturalis principiis, in nulla Jurisprudentiæ Particularis parte, recte quem

verſari poſſe, deprehendi; imo, ſi libere ſententiam dicere licet, doctrinæ illius beneficio, Pedantismum & Impoſturam, quæ Jurisprudentiæ & Juſtitiæ nomine, non raro teguntur, penitius cognoſci, intellexi. Poſtquam inter Doctores aliquem obtinui locum, reliquis Jurisprudentiæ partibus, naturalem eſſe jungendam, aut potius illis, velut fundamentum, præmittendam, ſemper etiam cenſui, hinc plus vice ſimplici, Ejus principia, juxta ductum antea laudati libelli Puſendorfiani, de *Officio hominis & Civis*, ſcholis privatis expoſui, applauſu non quidem magno, attamen non plane nullo & tali, qualem ſibi polliceri poteſt, qui ſoli rei intentus, Circumforaneorum aliorumque Præſtigiatorum artes, alliciendæ & emungendæ incautæ Juventuti, adhiberi ſolitas, odit ac deteſtatur.

Cum autem nonnulla in libello illo generalius, quam ut Tirones certam inde ſententiam formare queant, ſcripta deprehenderim, quædam etiam deficere, aut cum veritate non ſatis convenire mihi viſa ſint (id quod, ſalvâ Scriptorum Pufendorfianorum præſtantiâ, aſſeri poteſt, nihil enim in hac infirmitate perfectum eſt, ac felicia etiam Ingenia non ubique pari vigore, alacritate ac attentione ſeſe exſerunt] ideo non tantum illa diſcurſibꝰ extemporalibus, prout viſum fuit, emendavi, ſed & nonnulla in ſchedas conjeci, mihi & Auditoribus uſui futura. Ex iis tamen nihil unqvam publici juris facere, ſed illa omnia proprio operi reſervare, plane hactenus decreveram; Uti vero poſterius propoſitum nondum abjeci, ita priori mutato, Haſce *Obſervationes*, in memoratum Pufendorfii Li-

Librũ confectas, velut Prodromum Tractatus, Deo volente, aliquando secuturi, nunc in publicum emitto, cuj9 cõsilii hæc præcipua fuit ratio. Versantur in plurium manibus ea, quæ hinc inde observaveram, dum Nonnullis schedas meas describendas dedi, alii veloci calamo discurs9 exceperunt. Ista vero multis in partib9 esse vitiosa ac à mente mea penit9 abire, facile cõcesserit, qui scriptionis, ab animo manuq; titubante factæ, errores intelligit. Præterea quosdam, in Scriptis suis, illa sublegisse deprehendi, inprimis ante decem, & quod excurrit, annos, meæ de lege naturali, ac ejus præcipuè fundamento, hypotheses, Dissertationi cuidã prolixè satis sunt insertæ, non alio addito indicio, quam quod Autor fateatur: *se Virum doctum sibique amicum pro parte secutum esse*, quod ad me pertinere, Ipse mihi affirmabat, verum uti indicium illud

illud obſcurius erat, nec mihi ſatis conveniebat, ita, cum poſt aliquot annos Diſſertatio illa recuderetur, plane omiſſum fuit; Interim non omnia mihi exinde tribuo, imò ea, quæ tum mea erant, variis in partib9 poſtea mutavi, ac curis ſecundis ad liquidū magis deducere ſuſtinui. His ita ſe habentibus, meæ exiſtimationis intereſſe exiſtimavi, ne olim à me ſcripta, alieno arbitrio corrumpenda, interpolanda aut exſcribenda amplius relinquerem; hinc eadem denuo diligenter expenſa, varieque mutata & aucta, nec non textui Pufendorfiano propius aptata ſub *Obſervationum* nomine, Cenſuræ Publicæ exponere decrevi. Scopus autem Scriptionis eſt, ut literarum harum Cultores, in formandis conceptibus, ac acquirendis genuinis rerum moralium principiis, adjuvarem, hinc non tantum

ab Autore generalius dicta magis determinavi, ſed & ab Ejus ſententiâ ſæpius diſceſſi, præterea verò ſupplementa, quâ parte maximè neceſſaria videbantur, exhibui, me tamen hoc labore, libellum Pufendorfianum, in aliquod juris naturalis Compendium, quale eſſe debeat, aut quale ipſe ſaltem inſtructum velim, redegiſſe, haut aſſero, nam, ut alia taceam, vel ſola præſentis Scriptionis indoles, id non admittit. Ut nonnulla ex iis, quæ hic præſtitiſſe me exiſtimo, ſpecialius tangam, doctrinam de *Lege naturali*, quæ ad difficiliores hujus ſtudii materias non immerito refertur, perſpicue propoſui, ac quomodo illa ex nativo & proprio fundamento ſuo, legitime deduci debeat, oſtēdi, qvam doctrinā meam dicere poſſum, non qvod primus id fundamentum viderim (qvis enim paulo peritior, in decla-

declarando Jure naturali, ad *naturã* non provocavit?) ſed qvod id peculiari, &, ut ſpero, rei præſenti maximè convenienti, ratione tradiderim. Utplurimum ſane Scriptores hic deficiunt, dum vel inania verba decantant, vel in circulum aguntur, vel præpoſteras adhibent demonſtrationes, aut fundamentum legitimũ, adæquate ſatis non exhibent, nec decreta naturalia, idonea deductione inde eliciunt, vel deniqve à Scopo plane aberrant, ut, ſi contendas: *voluntatem Dei eſſe juris naturalis Principium.* Qvis enim ignorat, Deum eſſe juris naturalis Autorem, ac adeo voluntatem divinam, laudatæ legis cauſam ſeu principium? at de principio *cognoſcendi* jam eſt qvæſtio, ex qvo non tantum juris naturalis Autor, ſed & reliq; Ejus capita cognoſci qveant! hinc licet voluntas Dei, certo modo ſup-

ſuppoſita, ſit juris naturalis principium, attamẽ doctrina, qvæ hoc aſſerit, neq; eſt principiũ eſſendi, qvod vocant, neq; cognoſcendi, ſed aſſertio particularis, paſſim obvia, ac ad cognoſcenda juris naturalis dictamina, nihil penitus conferens. *Jura Necesſitatis* intricatiora ad certa fundamenta, ab aliis iſtâ ratione haut propoſita, redegi. Circa *ſermonem*, *jusjurandum*, *dominium*, *pretium*, *matrimonium*, *Rempublicam*, *imperium civile*, *pœnam* ac *exiſtimationem humanam*, multa fortaſſis obſervavi, qvæ ad penitiorẽ illorum cognitionem deducere qveant, qvæq; alibi non facilè reperias. Sed his immorari nolo, ne me jactare videat, cum forte jamjam plus dixerim, qvã delicatæ Cenſorum aures ferre qveant. Id admonendum, me in adornãdis hiſce Obſervationib9, nõ ultimã, ſed priores Libri Pufendorfiani editiones, ſecutum

tum esse, nam consilium Ejus, qui ultimam illam Editionem curavit, quoque hinc inde paucula verba infersit, aut ordinem nonnullorum paragraphorum mutavit, deniq; in Capite, de *Officio hominis erga seipsum*, pluscula de Cultura animi & Corporis ex Opere Autoris majori retulit, mihi plane inconveniens & improbandum videtur, nec adeo ejus, observationes meas isti editioni attemperando, me facere volui participem. Sane si Editor ista fecit sine Autoris consensu, manifestæ in Eum injuriæ reus est, nam hoc quidem Libertas academica indulget, ut circa aliorum Scripta, sententiã tuam exponas, ast textus ipsius Autoris semper invariatus manere debet, ut ex ipsa lectione intelligatur, quid ex calamo Autoris fluxerit, & quid aliorum manus adjecerit, sicut enim, aliena pro suis vẽditare, bonæ fidei re-

repugnat, ita nec noſtra aliis invitis obtrudere debemus. Licet etiã ſint, qvæ in libello illo deſideres (de qvo qvid mihi videatur, ex Obſervationibus hisce intelligendum eſt) attamen jejuna illa mutatio, defectibus iſtis non medetur, nam uti transpoſitio nonnullorum paragraphorum, vel aliqvot vocabulorum inſperſio, plane otioſa eſt, ita qvæ circa culturam animi & corporis neceſſaria videntur, induſtria Docentis, ex Opere Majori, vel aliunde, facile ſuppleverit ac Auditoribus inculcaverit, aut ſi omnino addendum qvid eſſe exiſtimetur, illibatâ tamen Autoris ſententia, ut modo diximus, id fieri debebat. Non dubitem igitur, qvin B. Autor, mutationi illi, ſuo modo prælaturus ſit illud Conringii

in

in Præf. secund. ad Taciti libellum de Moribus Germanorum: *Ipsemet ego nonnulla qvidem paulo aliter scripta malim, sed fortassis haut fas est juvenilem laborem omnem exactionis ætatis trutina expendere, & singulis temporibus suus aliquis nævus relinquendus est, modo non nimium dedecoret.* Quodsi autem Pufendorfii consensu interpolatio illa facta est, prout ultimæ editionis præfatio, *dudum à B. Autore, eo nomine admonitum esse Editorem*, jactat (licet non immerito de hoc quis dubitet, cum Vir Illustris, diu ante ultimam illam editionem, in fata concesserit) tum injuria qvidem erga Autorem cessat, ast Eorum tamen, qui Scriptis Ejus utuntur, habenda erat ratio, nec, muta-

tione tam macilentâ, iis velut illudendum, cum Pufendorfii desiderio, si aliquod subfuit, commodiori ratione potuerit satisfieri: Nunc qvando Nonnulli in Collegio, qvod vocant, assident (qui præcipuus libri Pufendorfiani est usus) dum in re se convenire intelligunt, incommodo aliqvot vocabulorum interjectu, se disparari, sibique molestias creari indignantur. Fatetur Editor: *se notulas adjicere potuisse, sed quia ineptum pariter & nefas putaverit, circulos Autoris, qui Compendio brevitati studere voluerit, nova prolixitate turbare, ideo se ab hisce curis abstinuisse.* Judicent Cordati, an non id, quod fecit, longe sit inconcinnius: si religioni sibi duxit, notulis tur-


turbare circulos Autoris, qua fronte ergo tot aliorum, in qvorum manibus libellus iste versatur, circulos, conatu minime necessario omnisque utilitatis experte, turbavit? Notulas, mea qvidem sententia, sine omni ineptitudine adjicere potuisset, cum, qvi legere nolit, præterire illas queat, sed an textûs mutationem perinde ab ineptitudine Ille apud æqvos rerum æstimatores, sit liberaturus, valde dubito. Sane si Bibliopola, cujus impensis liber iste hactenus prodiit, à qvovis illum interpolari, aut stamini Pufendorfiano, vilem qvamvis tramam, intexi patietur, alii vitio vertere, ac privilegium sibi concessum, violatum queri non poterit, si librum, à se

velut


velut derelictum, occupet, eundemque, suæ integritati restitutum, inprimi curet. Qvod superest, nemini, spero immodestum videbitur, qvod in hisce Observationibus non rarò ab Autore dissenserim, multo minus, aliquem istâ libertate ostensum iri, arbitror, nam Pufendorfium, etiam cum dissentio, magnifacio, cum solo hoc muto Doctore in adyta juris naturalis penetrare mihi licuerit: Interim amicus Grotius, amicus Pufendorfius, sed magis amica veritas, hinc etiam ea, quæ jam exhibeo, vivo Autore, scribere nullus dubitassem maximè cum in universum existimem, dissensum ratione subnixum, Cordatis acceptiorem esse, qvam adulatorium,

um, ac abſurda ſubmiſſione, ubiqve adrepentem aſſenſum.

Vale. Scrib. Lipſ. menſ.
Febr. 1703.



PRO-



PROLEGOMENA
De Habitu & Contextu Diſciplinarum Moralium.

§. 1.



Llud ex conditione Generis Humani facile liquet, homines non pro libitu ſuo, actiones ſuas inſtituere poſſe, ſed debere utique præcepta quædam vel regulas, tanquam agendi normam, obſervare, ſiquidem vitam feliciter, commode & ornate velint exigere.

§. 2. Uti autem regularum iſtarum magna eſt varietas, nec curata ſingularum explicatio ſuâ deſtituitur difficultate, ita omnes illas apte in Diſciplinas digerere, haſque conſtitutis certis limitibus, accuratè inter ſe diſtinguere, ſatis arduum videtur, maximè poſtquam Scriptores, pro ſuo ſinguli captu, variis nominibus illas involverunt.

§. 3. Utile tamen videtur, de hoc etiam ſatagere, nam ſine accurata Diſciplinarum co-

gnitione, rei, quæ in ipsis continetur, notitia ubique non est solida.

§. 4. Videntur igitur omnes Disciplinæ, quæ circa leges, virtutes ac mores hominum versantur, ambitu *Doctrinæ moralis* comprehendi posse, hanc vero, intuitu *vitæ futuræ & præsentis*, in *Theologiam & doctrinam civilem* dispescere licebit, divisione non Christianorum tantum, sed & Gentilium captui conveniente.

§. 5. *Theologia* est, quæ religionem ex principiis partim communibus, partim propriis, homines docet, ac obsequium non externis tantum actionibus, sed & puro præcipue corde præstandum, intuitu vitæ futuræ, ab iis exigit.

§. 6. Esse ejus diversum habitum & partes, pro diversitate principiorum, facilè liquet. Apud Christianos S. Scripturâ illa nititur, ac in *Theologiam moralem*, quæ facienda & fugienda continet, ac partim naturalis, partim positiva est, & *Christianam in specie*, quæ credenda tradit, ac tota positiva est, discernitur.

§. 7. Ejus excolendæ Cura ad Theologos pertinet, religionem tamen naturalem, in doctrina juris naturalis quoque proponere fas est, quemadmodum etiam omnis religionis habitudo, in ordine ad civilem societatem, politicæ & juridicæ est considerationis.

§. 8.

§. 8. *Doctrina civilis* hominem, ad vitam præsentē, tranquille & commode exigendam, instruit. Cum autem in universum vel *decreta Imperantis*, vel, his cessantibus, *utilitatis innoxiæ regulæ* observandæ sint, hinc doctrinæ laudatæ species duæ sunt, *Jurisprudentia*, quæ, leges & *Prudentia presse dicta*, quæ utilitatis dictamina inculcat.

§. 9. Jurisprudentia ambitu suo omnes disciplinas, quæ intuitu vitæ præsentis, de virtutibus, moribus ac honestate, sub Ethices & Politices vel quocunque alio nomine, aliquid tradunt, complectitur. Nec displiceat hic terminus delicatis auribus, quasi vulgatior sit, quam ut res, quas sub nomine Philosophiæ Practicæ similive proponunt, capere queat, cum enim sine legibus vel jure, nulla sit moralitas, ab illis rectissime disciplina, quæ moralia tractat, denominatur.

§. 10. Quo indoles Jurisprudentiæ distinctius appareat, per species eundum erit. Est illa vel *universalis*, quæ leges divinas universales, sine respectu ad certam Rempublicam, & *particularis*, quæ leges divinas & humanas, intuitu certæ civitatis, tradit. Prior etiam *Divina & Naturalis*, posterior *Humana & Positiva* dici potest, modo terminos recte intelligas.

§. 11. De utraque paulo diſtinctius agendum, Univerſalis tripliciter ſupponi poteſt, vel (1) pro *legum divinarum cognitione* vel (2) pro *habitu leges intelligendi* vel (3) pro *complexu legum divinarum ſcripto comprehenſarum.*

§. 12. Primo ſenſu eſt *legum divinarum, ad decorem & tranquillitatem generis humani pertinentium genuina cognitio.* Quo ſenſu, *Notitia, Scientia* vel *Ars*, dici poteſt.

§. 13. Dicitur *cognitio*; quo nomine adeo quicquid ſcitu eſt neceſſarium comprehenditur, de cætero cognitio illa vel in *poſſeſſione* vel *uſu* ſpectatur, hæc illius eſt *finis* & *effectus*, nam ideo leges divinas cognoſcimus, quo cognitione illa uti queamus.

§. 14. Ad acquirendam illam notitiam requiritur *nativa mentis humanæ bonitas*, deinde *diligens legum divinarum tractatio*, quæ *theoria* & *praxi*, ſeu *meditatione latius ſuppoſita* & *uſu* abſolvitur.

§. 15. cognitionem igitur impediunt (1) *naturalis ſtupor* (2) *negligentia* (3) *vana doctrina* (4) *perverſa docendi diſcendique ratio* (5) *defectus ſolidæ praxeos*, hinc, ſicut alias, ita etiam in cognitione legum divinarum, dari gradus, eosque ſatis notabiles, facile liquet.

§. 16. Inhæret illa notitia *menti humanæ*, & conſequenter hominibus. Et unuſquiſque qui-

quidem eatenus leges divinas callere debet, quatenus regendis actionibus propriis illæ requiruntur. Quibus vero earum publice docendarum jus in vitâ civili competere debeat, illud ex voluntate Imperantis repetendum est.

§. 17. Materia sunt leges divinæ, *naturales*, etiam religiosæ, *vid.* §. 7. & *positivæ universales politicæ*, quamvis de harum existentia adhuc disputari queat, ut suo loco videbimus. Illud interim certum, quod, his licet admissis, illæ tamen maneant objectum principale.

§. 18. Dum autem leges nominamus, ideo homines, negotia humana aliasque res, ad quas leges respiciunt, non excludimus, quin potius hæc omnia eatenus etiam objectum Jurisprudentiæ constituimus, quatenus leges divinæ de iis aliquid disponunt.

§. 19. Acquirimus legum divinarum notitiam per *Rationem*, commune omnium disciplinarum humanarum principium & subjectum. Hauritur autem illa ex *natura* & apud christianos suo modo *ex Sacra Scriptura*. A genuino hoc principio dicitur *Ratio recta*.

§. 20. Eorum consilium, qui veritatem legum naturalium ex S. literis unice repeti jubent, *vid.* Bœcler. *ad Grot. præfat.* & in *Oeconomia p. m. 4.* inconsultum censeri debet, naturam enim negligere, est, ingratitudinem erga

Creatorem committere, commercium cum aliis Gentibus abrumpere, ac naturalia & positiva confundere.

§. 21. Finis Jurisprudentiæ divinæ est triplex (1) ut cognitione legum divinarum, ostendendæ actionum moralitati, utamur *vid.* §. 13. (2) cognitis legibus actiones nostras attemperemus atque ita virtuosi evadamus, ac (3) hac ratione tranquillitas & beatitudo civilis inter homines conservetur ac promoveatur.

§. 22. Intendit autem Jurisprudentia divina, virtutis exercitium in *gradu* quidem *sublimi*, juxta scopum Legislatoris divini, sed saltem *suadendo*, cum propter imbecillitatem humanam ulterius ascendere non liceat. Ast in *gradu remisso* & quoad actiones externas, *præcipiendo* ac *poenas minando*.

§. 23. Neque etiam Jurisprudentia divina in explicatione virtutum sublimium subsistere debet, quem scopum, nisi fallor, præ se fert vulgaris Ethica, sed ad remissiora etiam minusque perfecta hominum officia descendere, ac media, quib9 ad ea contumaces compelli queant, explicare tenetur, sic enim doctrina usui humano accommodata demum evadet, cum si in prima tractatione subsistat, magis sit speculativa quam practica.

§. 24. Ordo notitiæ legum divinarum, ex

objecto oritur. Hoc itaque ſi recte conſideres, videntur duæ partes generales eſſe conſtituendæ. *Præliminaris*, quæ naturam rerum moralium explicet, & *Principalis*, quæ argumentum legum divinarum tradat.

§. 25. In illa occurrunt (1) *actio humana* cum ſuis principiis & ſpeciebus (2) ejus norma ſeu *lex* in genere, (3) Legis effectus, i. e. *entia moralia* ſeu *jura & obligationes* (4) *Legum varietas*, necnon (5) norma ſecundaria ſeu *conſcientia* (6) *actionum humanarum cum ſua norma collatio*, in quem locum *virtutum & vitiorum* rerumque connexarum conſideratio incidit (7) *interpretatio* & *applicatio*.

§. 26. Quando harum rerum cognitione animus eſt imbutus, tum recte ad cognoſcendum legum divinarum argumentum pergit, hinc pars principalis exiſtit. Summatim autem leges divinæ vel *varia jura & obligationes hominibus tribuunt*, vel *modum jura contra invitos ſibi aſſerendi oſtendunt*.

§. 27. Primum caput generale latè patet, in eoque aptè digerendo non levis occurrit difficultas. Fundamenti tamen loco ſupponendæ leges naturales, quæ vel *Deum*, vel *homines* reſpiciunt, quæ omnia juxta varios Hominum ſtatus accuratè repræſentari debent, de quo nunc ſpecialius agere non libet. In altero ca-

pite generali *processu*, qui stylo forensi dicitur, juxta leges naturales, & diversum Hominum statum exhibendus est.

§. 28. Datur in cognitione juris divini *Certitudo* i. e. vel veritas indemonstrabilis & immediata perceptione apprehensa, vel demonstrabilis, quæ ex certo aliquo principio ostendi queat. Occurrit autem illa certitudo in parte præliminari, de qua §. 25. ut & principali, de qua §. 26. 27. quoad *jus naturæ* maximam partem, circa *facta* tamen, quæ jus hoc nonnunquam præsupponit, ut & *leges positivas*, si quæ asseruntur, sæpe saltem *probabilitas* adest.

§. 29. Secundo sensu *vid.* §. 11. Jurisprudentia divina, est *habitus mentis leges divinas, resque iis connexas ritè intelligendi*, quo respectu *Prudentia* recte dicitur. Mens humana leges nativà quidem vi intelligit, sed habitus ei superinductus efficit, ut eo promptius & certius illas intelligere valeat.

§. 30. Quæ de *ratione acquirendi* notitiam legum divinarum, de *subjecto* ejus, de *materia*, *principio demonstrandi* & *fine* diximus §. 14 *seqq. usque ad* 24. illa etiam ad Jurisprudentiam habitualiter acceptam quadrant. De cætero habitus cum notitia legum simul acquiritur, semel autem acquisitus, notitiam amissam facile restituit, aut acquisitam auget.

§. 31

§. 31. Notitia & habitu acquisito variè utimur, dum ea ad dirigendas actiones proprias adhibemus, vel alios docemus, vel casus evenientes ex illis decidimus, vel scripto leges comprehendimus.

§. 32. Exinde oritur Jurisprudentia systematicè accepta, *vid.* §. *11.* quæ est *complexus legum divinarum, naturalium & (si has hypotheses sequaris) positivarum universalium, à Deo eo fine hominibus datarum, ut juxta eas vivendo, virtuosi evadant, atque hanc vitam tranquille & commode exigant.* Hoc sensu nomen *Doctrinæ*, vel *Disciplinæ* ei optimè convenit.

§. 33. Materia igitur Jurisprudentiæ systematicè acceptæ, sunt leges divinæ, de quibus §. *17.* 18. diximus, circa quas etiam hic supponendum, quæ de earum principio §. 19. 20. ordine §. 24. 25. 26. 27. & certitudine §. 28. annotavimus. Finis autem ejus proximus est, *Jurisprudentia pro notitia & habitu supposita,* quem deinceps cæteri, §. 21. 22. 23. notati, sequuntur.

§. 34. Licet autem *Jurisprudentiæ systematicæ* finis sit, ut modo diximus, *Jurisprudentia mentalis*, attamen, pro diversitate respectuum, hujus illa quoque potest finis esse, nam aliquando ex notitia oritur scriptum, & hoc notitiæ

conservandæ & acquirendæ causa conficitur, hinc unum intendit alterum, & utrumque diverso respectu, causa & effectus est. De cætero Jurisprudentia mentalis, naturâ sua prior est systematicâ & scripta.

§. 35. Solet autem Jurisprudentia divina, in scripturam redacta, diverso habitu comparere, pro diverso scilicet scriptorum captu & notitia. Veteres eam *gnomologicè*, *paradigmaticè*, *mythicè*, vel *dogmaticè* tradidisse, observavit Krebs *in introd. ad scient. moral.*

§. 35. Ultima docendi ratio optima est ac ad solidam cognitionem pertinet, licet, dum ea utimur, sententias, exempla aut fabulas inspergere nihil vetet. Illud autem tutò asseri potest, hactenus hanc disciplinam ex genuinis principiis, juxta statum generis humani, nondum satis esse excultum, licet *Grotium* & *Pufendorfium* multa hic præstitisse negandum non sit. Forte etiam nemo eam ita ad perfectionem deduxerit, ut non aliorum industriæ semper aliquid supersit.

§. 37. Quibus autem in vita civili ejusmodi Scripta conficere liceat, aut quinam confectis uti possint vel debeant, illud ex §. 16. dijudicari potest. Illud rationi convenientissimum arbitramur, ut hac in re magis *Humanitatis*, quam *muneris cujusdam* rationem habeamus.

§. 38.

§. 38. De eo autem dubitandum non videtur, quin Jurisprudentiæ divinæ magna ſit utilitas, cum enim legibus divinis obſequium debeant homines, quo colore earum notitiam vel ſyſtema ſine uſu eſſe dicemus?

§. 39. In ſpecie quoad expedienda negotia humana, ac Jurisprudentiam particularem, uſus ejus conſpicitur, quod (1) explicet res juridicas, de quibus §. 25. dictum, quarum cognitio in quavis jurisprudentiæ particularis parte eſt neceſſaria & præſupponitur (2) ex ea controverſiæ illuſtres ſint decidendæ (3) quod materiam juriſprudentiæ particulari præparet, ex qua hæc concluſiones ſpeciales elicere queat (4) juri publico particulari genuina principia ſuggerat (5) uſum Jurisprudentiæ particularis doceat (6) prudentiam Legislatoriam a cconſultatoriam inſtruat.

§. 40. Merito igitur Juriſprudentia divina pro fundamento cujuſvis Juriſprudentiæ particularis habetur & illis, qui de ſtudio legum divinarum abjecte ſentiunt aut loquuntur, proprium ingenium ſat gravis pœna eſſe cenſetur, judice Kulpiſio *in præfat. colleg. Grot. conf.* Bœcler. *ad Grot. in præfat. p. m. 31. ſeqq.*

§. 41. Interim à pleriſque ſtudium legum divinarum contemnitur, aut ſaltem ad curas ſecundarias ablegatur, cujus ratio fortaſſis eſt,

quod obſervantia illarum legum inter homines ferè exulet, ac diſciplina illa lites forenſes non inſtruat, ac artes nocendi earumque præcautiones haut doceat. Quamvis illa ratio parum valida ſit, ſed corruptiſſimum potius judicium redoleat.

§. 42. Eſt tamen laudati ſtudii aliquis etiam abuſus, ſi quis ſcilicet in generalibus illis ſemper ſubſiſtere, nec ad ſpecialia legum humanarum decreta quoque deſcendere velit, aut in explicatione thematum Juriſprudentiæ particularis ſpecialium, ad ultima æquitatis fundamenta (quæ præſupponenda & intacta relinquenda erant) recurrat, eademque prolixè recenſeat. Interim abuſus ille non diſciplinæ ipſi, ſed abutentium imperitiæ imputandus eſt.

§. 43. Ad ſcopum Juriſprudentiæ divinæ, collimat *Vulgaris Ethica* & *Politica* ſeu *Philoſophia Practica*, ſed eum non aſſequitur, nec laudatæ diſciplinæ latitudinem exhaurit, nam uti pluribus illa laborat defectibus, quos multis perſequi jam non attinet, ita parum abeſt, quin ipſa *Ethices* & *Politices* diſtinctio, defectibus illis annummeranda ſit.

§. 44. Nam Juriſprudentia divina, quanta quanta eſt, Ethica eſt etiam eâ parte, qua de Civitatibus agit, ſed diſtinctio memorata contra-

trarium innuere videtur, adeò ut nonnulli Ethicam & Politicam diversis principiis niti existiment, ac illi jus naturæ, huic vero jus Gentium, doctrinâ ineptissimâ assignent.

§. 45. Deinde distinctio illa, quâ Ethica & Politica vel separatæ Disciplinæ, vel saltem unius Disciplinæ distinctæ partes aut species, adeoque separatim tractandæ, esse existimantur, impedit, ne leges divinæ juxta statum Generis humani adæquate & nativo ordine exhibeantur.

§. 46. Dum autem recentiores Scriptores Jurisprudentiam naturalem alio plane habitu exhibuerunt, quam quo vulgaris Philosophia Practica compareet, hoc in diversas sententias acceptum est. Qui enim vulgaribus illis hypothesibus assueti sunt, confusum aliquod, ac ex principiis ethicis politicisque & jure Romano concinnatum, Chaos exhiberi existimant, quod judicium perinde absurdũ est, ac si qvis ex abortu, eoque mutilo, requisita hominis integri æstimare velit.

§. 47. Alii eam ab Ethica & Politica distinctam disciplinam putant, quam sententiam omissa à Scriptoribus recentioribus nonnulla capita v. gr. de affectibus & summo bono, aliquo modo confirmare potuerunt, nam hæc cum aliis nonnullis, alibi vel propositis, vel

proponendis, in peculiarem Ethicam & Politicam, Juris naturalis Disciplinæ adjungendam, compingenda esse existimantur.

§. 48. Debebant potius hæc ita componere: Ethicam & Politicam à Recentiorum Doctrinâ juris naturalis, non differre quoad *scopum* & *rem tractandam*, sed saltem quoad *tractandi modum* seu *elaborationem*, Scriptoresque recentiores sterilem Peripateticorum Philosophiam emendare, habituque pleniori doctrinam Virtutum exhibere voluisse.

§. 49. Poterit Jurisprudentia divina distingui ab *objecto* (1) *in naturalem*, quæ leges naturales, & *positivam*, quæ positivas exhibet, si has admittas (2) in *privatam*, quæ quid cuivis homini, pro ratione sui status privati, juxta leges divinas, faciendum sit, ostendit, & *publicam*, quæ Civitatem ac eò pertinentia hominum officia tradit.

§. 50. Non autem pertinent eo divisiones, quasi juxta eas; disciplina juris divini partienda sit, *vid.* §. 43. 44. 45. sed ut saltem varietas objecti per eas insinuetur. De cætero leges divinæ, naturales & positivæ, privatæ & publicæ, juxta statum generis humani, promiscue repræsentari debent.

§. 51. Jurisprudentia Particularis seu humana, de qua deinceps videndum *vid.* §. 10. 11. etiam

etiam tripliciter ſupponi poteſt vel (1) pro *legum civilium notitia* vel (2) *habitu eas intelligendi* vel (3) *legum ſcriptarum ſyſtemate.*

§. 52. Juxta primum reſpectum eſt *legum ad felicitatem temporalem certæ alicujus Reipublicæ pertinentium genuina cognitio.* Quo reſpectu titulum *Notitiæ, Scientiæ* vel *Artis* meretur.

§. 53. Quæ de indole *cognitionis* §. 13. de ejus *acquiſitione* & *ſubjecto* §. 14. 15. diximus, illa etiam huc pertinent. *Materiâ* autem ſunt leges in certa Republica occurrentes, divinæ & humanæ cum ſuis objectis, quæ tamen omnes, *humanæ* vel *civiles* dici poſſunt, quatenus autoritatem ab imperio civili ſortiuntur.

§. 54. Circa leges divinas porro ita verſatur Juriſprudentia Particularis, ut generalibus præſuppoſitis, ſpeciales concluſiones, negotiis civilibus applicandas, ſiſtat, ex quo in ſpecie liquet, quod Jurisprudentia divina, velut diſciplina generalior ſemper præſupponenda ſit, quodque, ordine hoc neglecto, perverſa docendi diſcendique ratio, in particulari Jurisprudentia occurrat.

§. 55. Uti autem leges in Republica valentes, per *Rationem* quoque cognoſcimus, ita earum Principium demonſtrandi eſt *Promul-*

gatio, hac enim, etiam quoad leges divinas, niti possumus, si subditis earum veritas saltem sit demonstranda, si verò cum imperantibus res sit, tum ad primum Principium, §. *19*. 20. indicatum, in asserendis legibus divinis recurrendum est.

§. 56. Quæ de *fine* diximus §. *21.22.23*. illa etiam de Jurisprudentia particulari vera sunt, modo juxta hujus mensuram intelligantur. Nimirum cognitionis legum civilium finis est (1) ut illa cognitione utamur (2) actiones nostras ei attemperemus atque ita (3) tranquillitatem certæ Reipublicæ promoveamus.

§. 57. *Ordinem* Jurisprudentiæ particularis quod attinet, ejus etiam duæ partes, *Præliminaris* & *Principalis* ex monito §. 24. constitui possunt. In illa tamen omnes illæ res, quas §. 25. memoravimus, prolixe proponi non debent, sed potius generalibus præsuppositis, specialia, si quæ, quoad illas, in certa aliqua civitate occurrant, adducenda sunt, hinc inprimis legum, in civitate valentium, indolem ac externum habitum persequi par est.

§. 58. In principali verò parte argumentum legum civilium exhiberi debet, & eo quidem ordine, quem §. 26. 27. indicavimus, nam quantum fieri potest, idem ordo in Jurisprudentia universali & particulari observandus

dus eſt, ordinis enim paritas cognitionem & facilem & ſolidam reddit.

§. 59. Propter prolixitatem tamen Jurisprudentiæ particularis, *Publica* & *Privata* ſeparari, imo & hæc in *partes* vel *ſpecies* amplius diſtingui ſolet, cum univerſalem una ſerie proponere liceat.

§. 60. Datur etiam in cognitione juris civilis aliqua *certitudo*, ſecundum ea, quæ §. 28. propoſuimus, Circa leges humanas ſæpe *probabilitas* ſaltem adeſt. Præterea obſervandum, quod, ſi in aliqua civitate plures leges, antiquæ & novæ, domeſticæ & extraneæ reperiantur, nonnunquam dubia critica & hiſtorica occurrant, quæ ad ipſam legum diſciplinam non adeo pertinent; vel etiam circa leges ipſas dubia exiſtant, quæ à legislatore tolli queant.

§. 61. Secundo ſenſu *vid.* §. *51.* accepta Juriſprudentia particularis, eſt *habitus mentis, leges in certa aliqua civitate occurrentes, reſque iis connexas, rite intelligendi*, quo ſenſu titulus *Prudentiæ*, ei recte tribuitur. Quæ de cætero de ejus *effectu §. 29. 30.* diximus, ea etiam huc pertinent. Non minus quæ, quoad cognitionem, de ejus *acquiſitione*, *ſubjecto*, *materia*, *principio demonſtrandi* & *fine* proxime

§. 53. 54. 55. 56. annotavimus, illa etiam huc transferenda sunt.

§. 62. Cognitione & habitu acquisito etiam hic varie utimur, secundum ea, quæ §. 31. observata snnt. Si cognitionem scripto committamus, oritur Jurisprudentia particularis, systematice accepta *vid.* §. 51. quæ est *complexus legum in certa aliqua Republica observandarum, quo Imperantes & Subditi virtuosi evadant, ac Reipublicæ tranquillitas & beatitudo civilis conservetur & vigeat.* Hoc sensu nomen *Disciplinæ* vel *Doctrinæ* gerit.

§. 63. Materia itaque sunt leges civiles, hinc quæ §. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. diximus, illa ex asse etiam huc quadrant. Quoad *finem* tamen adjicienda sunt ea, quæ §. 33. 34. intuitu Jurisprudentiæ universalis scripsimus, nam Particulari etiam suo modo conveniunt.

§. 64. Cura horum scriptorum conficiendorum & tractandorum, in vita civili ad eos, qui *Jcti* dici solent, spectat, quamvis quoad *Jus publicum* res non omni careat controversia, circa quam repetenda sententia §. 37. proposita.

§. 65. De *usu* Jurisprudentiæ Particularis forte nihil admonendum, cum à nemine, nisi qui omnes leges explodere velit, in dubium is vocetur. Est tamen ejus etiam *abusus, ne-*

glé-

gleƈtus & morbus, quæ tamen non ipſi Diſciplinæ, ſed hominibus imputanda eſſe, facile liquet.

§. 66. Scilicet raro Juriſprudentia *Parti*cularis in uſum Reipublicæ, rite ſolet eſſe *conſtituta*, parum congrue in Scholis *docetur*, dum ſolida Juriſprudentiæ divinæ fundamenta, ei non ſubſternuntur, in vita civili paſſim ejus decreta *negliguntur*, ac in foro, ſine pravis affectibus, raro *applicantur*.

§. 67. Poteſt etiam Jurisprudentia particularis diſtingui (1) in *Naturalem* & *Poſitivam* (2) in *Privatam* & *Publicam*, juxta indicium §. 49. quæ poſterior diſtinctio eo magis hic neceſſaria eſt, quo magis prolixitas, §. 59. notata, requirit, ut juxta eam Juriſprudentia particularis tractatur.

§. 68. Licet autem diſtinctio illa tritiſſima ſit, attamen ſatis expedita non eſt, cum utriuſque ſtudii limites à Scriptoribus vel non ſatis deſignentur, vel certe ipsâ tractatione turbentur, mihi ſic breviter videtur.

§. 69. Juriſprudentia *Privata* eſt, quæ hominum privatorum, nec non Imperantium, juxta reſpectum privatum ſpectatorum, officia explicat, *Publica* vero, quæ ſtructuram Civitatis adeoque ſubditos ac Imperantes conſtituendos, ut & Imperantes conſtitutos, ſed quâ

tales, seu cum imperio & libertate civili considerados, expendit.

§. 70. De cætero totuplex est Jurisprudentia particularis, quot sui juris Respublicæ occurrunt, hinc hactenus in genere, de ea dicta, ad quamvis Jurisprudentiam particularem, mutatis mutandis, applicari, ac, pro ratione Reipublicæ, amplius distingui ac diduci possunt & debent, quod exemplo Jurisprudentiæ Germanicæ in *meis* Juris Publici, Feudalis & Ecclesiastici *Speciminibus* ostendi.

§. 71. Altera Doctrinæ civilis species est Prudentia presse dicta *vid.* §. 8. quæ etiam vel (1) pro *cognitione innoxiæ utilitatis*, vel (2) pro *habitu eam intelligendi*, vel (3) pro *complexu doctrinæ, in scripturam redacta*, accipi potest, quæ distincte persequi jam non libet.

§. 72. Materia Prudentiæ est *utilitas actionibus licitis procuranda*, nimirum possunt *bona* deesse, *mala* verò immeritò urgere, vel imminere, quomodo igitur, salvis legibus & justitià, illa consequi; hæc depellere vel declinare queamus, Prudentia præcipit. Ex quo liquet, talia bona & mala intelligi, quæ directioni humanæ quodammodo subsunt, ac extra legum obligantium sanctiones, vel etiam sub iis constituta reperiuntur.

§. 73. Acquiritur Prudentia (1) nativa ingenii

genii bonitate (2) lectione Scriptorum, ejus regulas continentium (3) conversatione cum viris prudentibus & expertis, ac (4) propria experientia, quæ cum bonitate judicii utramque facit paginam.

§. 74. Late autem patet Prudentia, nam nullum fere est institutum humanum, circa quod eadem sese non exserere queat. Imperantes & subditi, pro suo quique statu, ejus regulis indigent.

§. 75. Ex quo liquet, quod pro ratione variorum objectorum, infinitæ propemodum sint Prudentiæ Species, videntur tamen ad duo summa genera revocari posse, *Privatam* & *Publicam*.

§. 76. Privata prudentia est, qua quis utilitatem innoxiam, pro ratione status sui, procurare novit. Publica vero, qua quis, quid Reipublicæ expediat, probe intelligit, quæ proprie *Politica* dicitur, *vid.* Grot. *de J. B. P. in prolegom.* §. 57.

§. 77. Ad illius species pertinet *Oeconomica*, *Prudentia decori*, *docendi* ut & *conjectandi affectus*, sic modo hæc revera datur. Illa vero poterit esse *Civilis* & *Militaris*, *Transiens*, quæ exteros, & *Immanens*, quæ civitatem ipsam respicit, sub qua, Prudentia *Legislatoria*, *Consultatoria* & *Oeconomica*, in specie continetur.

§. 78.

§. 78. De cætero regulæ utilitatis non adeó certæ ſunt. reſpiciunt enim plerumque eventus futuros, ac à fortunà aliorumque arbitrio ex parte dependentes, hinc nonnunquam media incongrua adhibentur, vel recte electorum vim, caſus improviſus elidit.

§. 79. Dantur tamen hac in re gradus, & aliquando Prudentiæ decreta, ſatis ſunt certa, ſi ſcilicet à noſtro tantum arbitrio, utilitatis directio dependeat. Sic dictamina Prudentiæ, quæ Reipublicæ fines probe muniri, validum exercitatumque militem, defendendæ civitati, ali jubent, & ejus generis alia, certa ſunt, iis enim obſervatis, utilitas aliqua certo ſequitur.

§. 80. Quia autem tam late patet Prudentia, ac ejus decreta plerumque incertitudo comitatur, hinc vix in formam artis illa redigi poteſt, aut, tale quid moliri, operæ eſt pretium, nam generales utilitatis regulæ, uti à quovis facile confici poſſunt, ita parum proſunt, ſpeciales vero, intuitu infinitorum objectorum, in vita civili occurrentium, tradere, unius aut nonnullorum hominum, captum ac experientiam excedit.

§. 81. Eſt igitur hæc res cujusvis judicio & experientiæ potius relinquenda, ut pro ratione ſtatus ſui, regulas procurandæ utilitatis, ſibi

ſibi formet, qualia dictamina quoque literis conſignare, atque ita per partes, Prudentiam excolere licet, poſſunt etiam ejusmodi decreta, Jurisprudentiæ hinc inde inſeri.

§. 82. Prudentiæ opponitur *Imprudentia*, qua quis veras utilitatis regulas ignorat, ac inſuper falſis quandoque eſt imbutus. Eam naturalis ſtupor ac ignavia ingenium excolendi, plerumque ſimul gignunt.

§. 83. Deinde Prudentiæ opponitur *Verſutia*, ſeu falſa Prudentia, quæ omnia utilitate propria metitur, adeoque non actionibus licitis utilitatem innoxiam, ſed per nefas ac cum læſione aliorum, commodum proprium quærit. Verſutis non deeſt ingenium, quod optimum in iis ſæpe deprehenditur, ſed virtus & leges obſervandi ſtudium.

§. 84. Si calculum recte ſubducas, ut plurimum inter homines, maxime potentes, Prudentiæ titulo, Verſutia ſuperbit, & poteſt illa autoribus ſuis inſigniter blandiri, ſi læſi, dolo eluſi, vel vi injuſta oppreſſi, nihil contra Verſutum moliri queant, tum enim ille malitiæ ſuæ fructum impune ſentit, ſed ſi læſi juſta ultione accenſi, viribusque ſufficientibus inſtructi, injurias illatas vindicent, tum verſutum, non prudentem, ſed inſigniter ſtultum fuiſſe, exitus ſæpe oſtendit.

§. 85.

§. 85. Ad prudentiam etiam pertinet tritum *Rationis ſtatus* nomen, nam eodem vel *ipſa utilitas*, vel *prudentiâ eam procurandi*, innuitur. In ſignificatu etiam latiori vel utilitatem & Prudentiam *innoxiam* ac *licitam* vel *noxiam* & *illicitam deteſtandamq;* notat, de quo in *Specim. Jur. publ. l. 6. c. 9.* nonnulla conſignavi.

§. 86. Ex hactenus dictis diſciplinarum moralium differentiæ, nempe *Theologiæ & Doctrinæ civilis in genere*, vel *Theologiæ* & *Juriſprudentiæ naturalis*, aut *Juriſprudentiæ* & *Prudentiæ*, vel *Juriſprudentiæ univerſalis* & *particularis*, haut difficulter colligi & intelligi poſſunt. Nobis breviter Theologiam & Jurisprudentiam divinam ut & Hanc, ac Juriſprudentiam particularem comparare placet.

§. 87. Theologia igitur & Juriſprudentia divina differunt (1) *fine*, illa felicitatem futuram, hæc præſentem reſpicit (2) *applicatione*, illa exactiſſimam legum obſervantiam exigit, hæc externo obſequio etiam contenta eſt (3) *Principio demonſtrandi*, illa ſpeciali revelatione, apud Chriſtianos S. Scriptura, nititur, hæc ex natura potiſſimum ſua derivat, ac nonnunquam ad revelationem recurrit (4) *ſubjecto*, illa requirit hominem, divina gratia ſpecialiter inſtructum, hæc viribus naturalibus præditum


ſup-

ſupponit (5) *objecto*, illa leges divinas, ut religioſas, hæc, ut politicas, conſiderat.

§. 88. Juriſprudentia univerſalis & Particularis, ſeu Divina & Humana differunt (1) *fine*, illa felicitatem generis humani, hæc certæ alicujus Reipublicæ intendit (2) *principio demonſtrandi*, illa ad naturam, hæc ad promulgationem recurrit (3) *objecto*, illa leges divinas in terminis generalioribus, & ſine reſpectu ad certam Rempublicam, expendit. Hæc conclusiones legum divinarum ſpeciales cum legibus humanis, certæ Reipublicæ applicat.

§. 89. Atque has, quas hactenus exhibui, Diſciplinarum moralium partitiones, & neceſſarias & ædæquatas arbitror. Ut quis aliis terminis utatur, aut ſpecies propoſitas amplius diſtinguat, non repugno, ſed ex aliis fundamentis partitiones poſſe aut debere repeti, vel allatas, ſalva ſolida cognitione, negligi, id vero haut conceſſerim.

LECTO-



LECTORI BENEVOLO SALUTEM.

NI receptus plerisque eruditis mos legis propemodum vim induisset, supervacuum videri poterat, circa rationem hujus scripti aliquid præfari, cùm res ipsa satis loquatur, me nihil aliud egisse, quàm ut tironibus præcipua Juris Naturalis capita, brævi & ut arbitror, perspicuo compendio exponerem: ne, si citra cognitionē velut elementarem in diffusa ejus disciplinæ spacia sese immiserint, copia & difficultate rerum ab initio protelentur. Simul & illud publico expedire visum est, ejusmodi doctrina morali studiosæ juventutis animos imbui, cujus usus manifestus in vita civili spectaretur. Et licet alias semper inglorium Judicaverim, aliorum diffusiora scripta & multo magis propria, in compendium redigere: tamen, cúm superiorum autoritas accederet, a cordatis vitio mihi versum iri non arbitror, quod isthoc laboris unice Juventutis utilitati dare voluerim; cujus merito tantus esse favor debet, ut in ejusdem gratiam susce-

pta

pta opera, etiam ingenii & ſplendoris non capax, nemine indigna ſit judicanda. Cæterum quin ejusmodi principia ad univerſam Juris Diſciplinam magis idonea ſint, quam cujusvis Juris Civilis elementa, nemo, cui ſanum ſinciput, abnuet.

Obſerv. 1.

Ni receptus) Libet etiam breviter percurrere Præfationem, cum nonnulla in ea occurrant, quæ ad doctrinam juris naturalis pertinent. Poterit eadem in quinque partes diſtingui. *Prima* docet ſcopum libri, ac (1) ſolenni exordio verb. *ni receptus* (2) rationibus Scribendi, ab utilitate diſcentium & publica deſumtis, verb: *ne ſi citra cognitionem* (3) objectione, verb: *& licet alias ſemper* (4) reſponſione triplici, ab autoritate ſuperiorum, favore juventutis & præſtantiâ Diſciplinæ, deſumta, verb: *tamen cum ſuperiorum*, abſolvitur, circa quæ aliqua commentari opus non eſt.

Atque hæc in præſens ſufficere poterant, ni quidam monuiſſent, non abs re fore, aliqua præmittere, quæ ad indolem Juris Naturalis in univerſum intelligendam, ejusdemque limites accuratius deſignandos, facerent. Quod eo libentius ſuſcepi, quia hoc modo prætextus adimitur hominibus importunè curioſis febriculoſam ſuam cenſuram extendendi ad hancce diſciplinam, quæ ſæpe

(c) velut

velut interjecta ab ipsorum provincia disjungitur. Manifestum igitur est, ex *tribus* velut *fontibus* homines cognitionem officii sui, & quid in hac vita sibi tanquam honestum sit agendum, tanquam turpe omittendum, haurire; ex *Lumine Rationis*, ex *Legibus Civilibus*, & ex peculiari *Revelatione* divini *Numinis*. Ex *primo* fluunt officia hominis communissima, præcipuê quæ ipsum cum aliis hominibus sociabilem reddunt: ex *altero* officia hominis, quatenus peculiari & definitatæ civitati subjectus degit: ex *tertio* officia hominis Christiani. Inde & *tres* separatæ *disciplinæ* proveniunt; quarum prima est *Juris Naturalis*, omnibus gentibus communis altera *Juris Civilis* singularum civitatum, quæ tam multiplex est, aut esse potest, quot numero sunt civitates, in quas genus humanum discessit: tertia *Theologia moralis* habetur, illi parti Theologiæ contra distincta, qua credenda exponuntur. Singulæ harum disciplinarum *modum sua dogmata probandi* adhibent suo principio respondentem. In *Jure Naturali* aliquid faciendum asseritur, *quia per rectam rationem idem* ad socialitatem inter homines *necessarium* colligitur: Præceptorum *Juris Civilis ultima ratio* est, *quia legislator ita constituit:*
Theo-

Theologus Moralis in eo ultimo *adquiescit, quia DEUS* in Scripturis sacris ita *jussit.*

Observ. 2.

Atque hæc in præsens sufficere poterant) Pars *secunda*, præmissis ulterioris scriptionis causis, â monito amicorum & Censorum importunitate, petitis verb: *ni quidam*, fontes disciplinarum moralium indicat verb. *manifestum igitur est*, modumque probandi in singulis usitatum, amplius edocet verb. *singula harum*. Quæ quidem non male dicuntur, attamen Disciplinas morales adæquate satis, & juxta debitas subordinationes, non repræsentant, ceu colligi potest ex iis, quæ in Prolegom: §. *4. seqq*, dixi.

Quemadmodum autem disciplina Juris Civilis Jus Naturale, tanquam generalem magis disciplinam, præsupponit: ita si quid Jure Civili continetur, de quo Jus Nuturale silet, non ideo hoc illi repugnare censendum est. Simili modo si in Theologia Morali aliqua tradantur, ex revelatione divina profluentia, ad qua ratio nostra jam non pertingit, quæque adeo & Jus Naturale ignorat imperitum valde foret, ideo illam cum hac committere, aut repugnantiam aliquam istarum disciplinarum somniare. Vice versa, si quæ in disciplina Juris Naturalis præsupponantur ex eo, quod per rationem investigari potest; illa propter-

ea iis, quæ Sacræ Literæ ſuper eadem re liquidius tradunt, nequaquam opponuntur, ſed tantum abſtrahendo concipiuntur.

Obſerv. 3.

Quemadmodum autem Diſciplina) Occaſione præcedentis doctrinæ, tria admonet Autor (1) diſciplinam juris civilis ſeu Jurisprudentiam particularem, præſupponere jus naturale, tanquam diſciplinam magis generalem, id quod veriſſimum (2) jus civile naturali non repugnare, ſi præter hujus decreta aliqvid peculiare contineat verb. *ita ſi qvid:* de qvo etiam dubitari non debet (3) nec inter diſciplinam juris naturalis, & Theologiam moralem aſſerendam eſſe pugnantiam, ſi altera, præter alterius decreta qvid exhibeat verb. *ſimili modo*, qvæ itidem admitti poſſunt.

Sic v. g. in diſciplina Juris Naturalis abſtrahendo ab illa cognitione, quæ ex Sacra Scriptura hauritur, formatur conditio primi hominis utcunque in mundum projecti, quatenus ſola ratiocinatio aſſequi poteſt; iſta opponere iis, que ſuper eadem conditione divinæ literæ tradunt, hic verò eſt ſuccus nigræ loliginis, hæc eſt ærugo mera.

Obſerv. 4.

Sic v. gr. in diſciplina juris naturalis) Ultimam aſſertionem declaraturus Autor, affert exemplum fictiones ſuæ, qva homo utcunqve in mundum projectus fingitur, quæque amplius

in

in Oper. Major. *l. 2. c. 2.* §. *2.* exponitur hancque minime doctrinæ S. literarum opponendam esse contendit. Displicuit illa fictio B. D. Alberti *in Compend. Jur. nat. Orthodox. p. 1. c. 1. §. 28.* qui eam illicitam & homini Christiano parum convenientem, quodammodo censuit de quo deinceps in scriptis eristicis amplius disputatum est.

2. Mihi fictio illa omnino licita videtur, cum nulla in narte, autoritati S. literarum deroget, inte tio quoque Pufendorfii, istam excogitantis, bene se habeat. Nimirum solicitus ille de fundamento juris naturalis, socialitatem laudavit, quo igitur hominis naturam socialem esse probaret, probationem tum rationibus positivis, tum fictione contrarii peragendam esse putavit; Age inquiens velut convincendo, si non credis ob rationes positivas, te ad socialitatem destinari, fingamus contrarium, te esse in mundum undecumque projectum, & ab omni auxilio humano in solitudine destitutum, & jam propriæ miseriæ sensu fateberis, hominis naturam formatam esse socialem!

3. Cæterum sicut ipsa positiva socialitatis probatio, quam Autor molitus est, non adeo concludit, ceu ad *Libr. 1. Cap. 3.* ostendemus, ita fictionis assumtæ intentio, scopo suo etiam excidisse videtur, nam si miseriæ, ex solitudine resultantis, argumento socialitas probetur, tum â convincendo hoc facile in eam partem accipi potest, quasi

hominis natura, non abſolute ſocialis, ſed ſaltemquatenus id propria utilitas exigit, formata ſit, quo ipſo adeo utilitas cujusvis privata, juris naturalis fundamentum conſtituitur, ex quo ſane dictamina, generi humano parum proficua, deduxeris. Sed de hoc alibi amplius diſpiciendum erit!

Enim verò uti Juri quidem Civili & Naturali, facile inter ſe conveniet: ita inter idem Jus naturale & Theologiam Moralem fines regere, ac, quibus potiſſimum partibus illa differant, definire, paulo operoſius videtur. Qua ſuper re paucis ſententiam meam exponam, non quidem pro autoritate Papali, ac ſi ab omni errore privilegio aliquo mihi cautum forét, neque qui ex ſomniis divinitus immiſſis, aut irrationabili aliquo inſtinctu, ſingularis cujusdam illuminationis fiducia animetur; ſed tanquam talis, cui ſpartam ſibi commiſſam pro modulo ingenii exornare cordi ſit. Ita tamen ut, quemadmodum cordatos & eruditos viros meliora ſuggerentes lubenter audire, & citra pertinaciam prius placita emendare ſum paratus: ſic floccifaciam Midæ æmulos cenſores, rerum ad ſe nihil ſpectantium arbitria proterve involantes, totamq; ardelionum nationem, cujus characterem lepidiſſime *Phædrus* repræſentat: *Trepide* inquit,

quit, *concursans, occupata in otio, Gratis anbelans, multa agendo nihil agens, Sibi molesta & aliis odiosissima.*

Primum igitur discrimen, quo istæ disciplinæ invicem separantur, resultat ex diverso fronte, unde sua dogmata utraque derivat; de quo jamjam tetigimus. Ex quo consequitur; si aliqua sint, quæ divinis literis agere aut omittere jubeamur, quorum necessitatem tamen ratio sibi relicta perspicere nequit, illa extra Jus Naturale esse, & ad Theologiam Moralem propriè spectare. Præterea in Theologia lex consideratur, prout innexam habet divinam promissionem, & quandam rationem fœderis inter DEUM & homines: abs qua consideratione Jus Naturale abstrahit; quippe cum ista à peculiari DEI revelatione proficiscatur, quam sola ratio invenire nequit. Illud porro discrimen longe maximum est, quod finis disciplinæ Juris Naturalis tantum ambitu hujus vitæ includatur, adeoque ea hominem formet, prout hanc vitam cum aliis sociabilem exigere debeat: ast Theologia Moralis hominem Christianum informat, cui propositum esse debet, non hanc solùm vitam honeste transigere, sed qui fructum pietatis post hancce vitam maxime expectat, quique adeo πολίτευμα suum in cæ-

lis habet, heic autem viatoris duntaxat aut peregrini instar gerit. Quanquam enim animus hominis non solum ardenti cum affectu immortalitati velut immineat suique destructionem vehementer aversetur; atque inde apud plerosque gentilium inoleverit persuasio de animæ à corpore separatæ duratione, & quod tunc bonis benè, malis male sit futurum: ejusmodi tamen circa hæc persuasio, in qua animus hominis plane & firmiter adquiescere possit, ex solo DEI verbo hauritur. Inde & Juris Naturalis scita & ad forum duntaxat humanum adaptantur, quod ultra hancce vitam sese non extendit; quæ ipsa multis in partibus prave ad forum divinum adplicantur, circa quod Theologiæ maxime curæ est. Ex quo & illud fluit, ut, quia forum humanum circa externas tantum hominis actiones occupatur, ad ea autem, quæ intra pectus latitant, nec aliquem effectum aut signum foras produnt, non penetret, adeoque nec circa eadem sit solicitum; Jus quoque Naturale magnam partem circa formandas hominis exteriores actiones versetur. Ast Theologiæ Morali non sufficit, exteriores hominis mores utcunque ad decus composuisse; sed in eo maxime laborat, ut animus, ejusque motus interni, ad placitum Numi-

Numinis fingantur: & illas ipsas actiones improbat, quæ extrinsecus quidem recte se videntur habere, ab animo tamen impuro promanant. Quæ ratio etiam videtur, quare in divinis libris haut ita frequenter agatur de illis actionibus, quæ pœnis fori humani sunt sancitæ, aut circa quas ibidem jus dicitur; quam de illis, quæ, uti *Seneca* loquitur, sunt extra publicas tabulas. Uti manifeste adparet iis, qui præcepta & virtutes ibidem inculcatas accurate inspexerint.

Observ. 5.

Enim vero uti juri quidem civili) Pars *tertia* dicentis intentione præmissa verb. *enim vero*, proponit differentias doctrinæ juris naturalis & Theologiæ moralis. Quarum prima est desumta â *principio demonstrandi* verb. *primum igitur*, secunda â *peculiari legum adjuncto* verb. *præterea*, quæ ex præcedente fluit, tertia, â *fine* verb. *illud porro*, quarta ab *applicationis diversitate* verb. *ex quo & illud*, quæ ex tertia dependet. De cætero omnes illæ differentiæ, modo recte intelligantur, admitti possunt.

Etsi, cum & illæ ipsæ virtutes Christianæ animos hominum ad socialitatem quam maxime disponant, Theologia quoque Moralis honestatem vitæ civilis efficacissime promoveat. Uti & vice versa, si aliquem videas,

qui turbulentum & importunum vitæ civilis membrum se gerat, tuto judices licet, Religionem Christianam intra labre tantum ipsi hærere, cor nondum penetrasse. Atque ex hisce non solum genuini limites, qui Jus Naturale, prout à nobis illud traditur, à Theologia Morali separant, manifeste puto adparent: sed etiam quod Jus Naturale nequaquam dogmatibus, veræ Theologiæ repugnet, sed tantum à quibusdam ejus dogmatibus, quæ per solam rationem investigari nequeunt, abstrahat. *Observ.* 6.

Etsi cum & illa ipsa virtutes) Occasione doctrinæ præcedentis, Autor tria affert (1) Theologiam per consequentiam, vitæ civilis tranquillitatem promovere, cum bonus cultor Dei sit etiam bonus civis verb. *etsi cum* (2) malum civem nunquam esse bonum Dei cultorem verb. *uti & vice versa*, quæ certissima sunt, quamvis multi, circa applicationem, ea non satis capiant (3) secundæ & tertiæ partis epilogum verb. *atque ex hisce.*

Unde & illud patet, necessarium esse, *ut in disciplina Juris Naturalis homo nunc consideretur, prout ipsius natura est corrupta, adeoque prout est animal multis pravis cupidinibus scatens.* Nam etsi nemo tam stupidus sit, quin in seipso inordinatos ac in devia tendentes affectus deprehendat: tamen, nisi divinæ literæ prælucerent, nemini jam con-

constare posset, illam affectuum rebellionem per culpam primi hominis provenisse. Et consequenter, cum Jus Naturale ad ea non abeat, quo ratio pertingere nequit, incongruum foret, idem ex natura hominis integra velle deducere. Præsertim cum & pleraque præcepta ipsius Decalogi, prout verbis negativis concepta sunt, naturam hominis corruptam manifeste præsupponant. Sic v. g. primum præceptum utique præsupponere videtur, hominem ad idolatriam & πολυθεότητα credendam proclivem. Si enim ponas hominem integra adhuc natura præditum, in quo liquida DEI erat cognitio, & qui subinde velut familiari ejus revelatione fruebatur: non video, quomodo tali in mentem venire potuerit, aliquid sibi fingere, quod loco veri DEI, aut cum eo, colere vellet; aut credere in eo Numen inesse, quod ipse finxerat. Igitur huic opus non erat verbis negativis injungi, ne deos alienos coleret; sed sufficiebat eidem simplex & affirmativum præceptum: diliges honorabis, & coles Deum, quem universi hujus, & tuum quoque creatorem nosti. Idem circa secundum præceptum obtinet. Nam quare negativo præcepto vetaretur Deum blasphemare, qui liquido ipsius majestatem & beneficia intelligebat, & quem nullæ pravæ cupidi-

nes

nes agitabant, cujusque animus ſtatu ſibi à Deo aſſignato placide acquieſcebat? Quomodo hunc tanta inſania ſubire poterat? Quin hic affirmativo tantum præcepto monendus erat, ut nomen Dei glorificaret. Aliter tamen dicendum videtur de tertio, ut & quarto præcepto; quæ cum affirmativa ſint, neque neceſſariò corruptam naturam præſupponant, in utroque ſtatu locum invenire poſſunt. Sed circa reliqua præcepta, proximum ſpectantia, res æque eſt manifeſtisſima. Homini enim, qualis initio à DEO conditus erat, ſufficiebat ſimpliciter injunxiſſe, ut proximum ſuum diligeret; ad quod & natura proclivis erat: aſt quomodo eidem poterat præcipi, ne occideret, quando nondum mors cadebat in hominem, quæ per peccatum in mundum introivit? Verum nunc negativo præcepto quam maxime opus eſt, ubi pro dilectione tanta odia inter homines graſſantur, ut etiam magna eorum ſeges detur, qui ex mera invidia, aut libidine alterius fortunam invadendi, alios non innocentes ſolum, ſed & amicos & de ipſis bene meritos, ſubverſum ire non dubitent; & quidem ut horridum & inconſultum turbulenti animi impetum ſub conſcientiæ vocabulo, ſi diis placet, venditare non erubeſcant. Sic quid opus erat expreſſe adulteria vetare inter

eos

eos conjuges, qui tam ardenti & ſincero amore ſeſe amplecterentur? aut quid furta vetare intereſſet, cum nulla adhuc avaritia, nulla penuria foret, & nemo quid ſibi proprium putaret, quo alteri prodeſſe poſſet? Aut quid neceſſum erat, falſa teſtimonia interdicere, cum nondum exiſterent, qui exinde famam ſibi atque gloriam aucuparentur, ſi alrerum fœda atque inficeta calumnia adſpergere poſſent? Sic ut non inepte huc adplicaveris illud *Taciti: Vetuſtisſimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, ſine probro, ſcelere, eoque ſine pœna aut coërcitionibus agebant & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur.*

Obſerv. 7.

Unde & illud patet) Pars *quarta* expendit eorum ſententiam, qui in tradendo jure naturali, ad ſtatum integritatis, quam Chriſtiani ex S. Scriptura credunt, reſpiciunt, quorum Anteſignanus eſt B. D. Alberti in *Compend. Jur. naturi, orthodox.* Quoad ſtatum controverſiæ præmonendum, non diſputari de *fundamento, ex quo juris naturalis veritas demonſtretur,* quod multis & neſcio, an ipſis controverſiæ Autoribus, perſvaſum eſt: Nam in utroque ſtato integro & corrupto, idem eſt juris naturalis fundamentum, *natura* ſcilicet *humana*. quatenus â Deo *religioſa*, *ſui amans* & *ſocialis* formata eſt, ex quo tam in ſtatu integro, quamcor-

corrupto, legis naturalis veritas repetenda est. Et licet in illo homo integer exactè potuerit legem naturalem implere, quæ perfectio, perlapſum amiſſa, in hoc ceſſat, attamen illa *ſubjecti mutatio*, non mutavit Dei intentionem, fundamentum juris naturalis, aut ipſum jus naturale, ſed illa omnia, etiam poſt lapſum, adhuc inconcuſſa perſtant. Ex quo manifeſtiſſimum eſt, quod ſtatus integer, intuitu juris naturalis, non habeat rationem Principii vel fundamenti.

2. Eò igitur potius redit controverſia, *an juris naturalis, ex ſuo fundamento demonſtrati, præcepta, juxta ſtatum integritatis repræſentanda, ac deinceps ſtatui corrupto applicanda ſint?* Hoc aſſerunt ſtatus integri Patroni ſed Autor negat *h.* verb. *unde & illud*, qui ſtatus integer & lapſis Protoplaſtorum, rationi ſibi relictæ, ſit incognitus verb. *nam etſi nemo*, præterea multa præcepta naturalia hodie occurrant, quæ in ſtatu integro locum non habuiſſent, adeóque inde repeti nequeant verb. *præſertim cum*, quæ poſterior ratio priori præſtat.

Atque hæc ipſa probè intellecta viam pandere poſſunt ad amovendam eam dubitationem: ***num*** igitur ***lex diverſa fuerit in ſtatu naturæ integræ, an vero eadem?***

Obſerv. 8.

Atque hæc ipſa probe intellecta) Quæſtio præcedens ferè etiam hoc modo proponi poteſt,

an

an jus naturæ in statu integro & corrupto idem sit, seu *an uterque status quoad jus naturæ conveniant?* imo, adhibita limitatione hæ quæstiones cum præcedente plane coincidunt.

Ubi paucis responderi potest: summa legis capita in utroque statu esse eadem sed multa præcepta particularia propter diversitatem conditionis humanæ variare; seu potius eandem summam legis per diversa (non tamen contraria) præcepta sese explicare: prout diverso sese modo habuit homo, cui illa lex observanda. Summam legis Salvator noster ad duo capita redegit: *Dilige Deum & Dilige proximum*. Ad hæc capita referri potest universa Lex Naturalis, tam in integro, quam in corrupto statu hominum; (nisi quod in statu integro nullum aut modicum videatur discrimen fuisse inter Jus Naturale, & Theologiam Moralem.) Nam & Socialitas, quam nos pro fundumento Juri Naturali substravimus, commode in dilectionem proximi resolvi potest. Sed quando ad præcepta particularia descenditur, sane discrimen non leve emergit, tam circa præcepta affirmativa quàm negativa. Et quidem ad affirmativa præcepta quod attinet, eorum non pauca jam in isthoc statu dantur, quibus in primævo statu locus non fuisse videtur: idque partim, quia illa præsupponunt tale institutum, quod, an in feliciciſſimam homi-

hominum conditionem cadat, non constat; partim quia sine miseria & morte, quæ ab illo statu exulabat, non intelliguntur. V.gr. Jam inter præcepta Legis Naturalis est, ne quis alterum in emtione venditione decipiat, ne falsa ulna, mensura, aut pondere utatur, ut pecuniam creditam convento tempore restituat; ast illud nondum ad liquidum est perductum, an, si peccati expers genus humanum perstitisset, ejusmodi commercia, qualia nunc agitantur, exercenda fuerint, & an aliquis usus pecuniæ tunc futurus fuerit. Sic si tales civitates, quales nunc sunt, in statu innocentiæ locum non habuerunt; locus quoque ibidem non fuit præceptis, quæ id genus civitatum, iisque contentum imperium, præsupponunt. Jam quoque Jure Naturali jubemur succurrere egenis, subvenire iniqua calamitate oppressis, curam habere viduarum, orphanorumque: atqui hæc frustra præcipiuntur iis, qui miseriæ, egestati, mortique non sunt obnoxii. Ad condonandas injurias, pacemque conciliandam, pronos esse nos jam jubet Lex Naturalis: quæ frustranea est inter eos, qui in Leges Socialitatis non peccant.

Atque id ipsum manifestè quoque perspicitur in præceptis negativis, ad Jus jam Naturale (non Positivum) spectantibus. Etsi enim

nim quodvis præceptum affirmativum virtualiter contineat interdictum omnis oppositi; (v. gr. qui jubetur diligere proximum, eo ipso vetatur inferre illi omnia, quæ dilectioni repugnant:) tamen ut expressis præceptis illa sanciantur, superfluum videtur, ubi nullæ pravæ cupidines ad talia patranda propellunt. Ad quod illustrandum accommodari potest, quod Solon patricidarum pœnam lege publica sancire noluit, quod tantum scelus in aliquem filium cadere non arbitraretur. Cui simile est quod *Franc. Lopez de Gomara, Hist. Gen. ind. Occident.* cap. 207. refert de populis Nicaraguæ, apud illos nullam fuisse statutam pœnam in eum, qui Regulum (*Cacique* ipsi vocant) occidisset; quod nullus, ajebant sit subditus, qui excogitare aut patrare tam dirum facinus velit. Vereor, ne putidum videatur, isthæc tam aperta pluribus inculcare. Ad tironum tamen captum hoc exempli addam. Sunt alicujus informationi commissi duo pueri, sed dispari plane indole. Unus modestus est, verecundusque, & magno literarum amore flagrans: alter dissolutus, petulans, fœdus, potius libidines, quam libros, amat. Summa officii utrique eadem: literas addiscere, sed peculiaria præcepta disparia. Priori enim

(d) suffi-

ſufficit injunxiſſe, quæ ſtudia, quo tempore quave ratione tractare debeat: alteri præter hæc acerrima ſub comminatione vetandum, ne circumcurſitet, ne alea ludat, ne libros vendat, ne in exercitiis componendis aliena vitula aret, ne pergræcetur, ne ſcorta conſectetur. Eadem ſi quis prioris indolis puero operoſe declamare inſtituat, hic εὐφημεῖν ipſum jubebit, & cuivis potius, quam ſibi, iſta canere, qui talium nulla cupidine tangatur. Ex quo manifeſtum arbitror eſſe, longe aliam fore Juris Naturalis faciem, ſi quis ſtatum hominis integrum velit præſupponere:

Obſerv. 9.

Ubi paucis reſponderi poteſt) Autor diſtinguit inter *legis naturalis ſummam* & *præcepta particularia*. Illa in utroque ſtatu eſt eadem, hæc vero differunt. Prius probat in verb. *ſummam legis ſalvator*, poſterius vero exemplo præceptorum affirmativorum, certum aliquod inſtitutum vel miſeriam præſupponentium, verb. *ſedquando* ut & negativorum, verb. *atque id ipſum*, oſtendit, eamque ſententiam aliquo exemplo, verb. *ad quod illuſtrandum*, & ſimili, verb. *vereor, ne putidum*, amplius illuſtrat.

2. Sed ſtatus integri defenſores contendunt, etiam quoad præcepta particularia utrumque ſtatum convenire, ſeu eadem præcepta in

in utroque ſtatu occurrere, hinc quoad affirmativa præcepta, certum aliquod inſtitutum aut miſeriam præſupponentia, quæ Pufendorfius â ſtatu integro abfuiſſe cenſet, diſtinguunt inter *principium* & *objectum*, ſeu *exiſtentiam normalem* & *formalem*, contendentes, quod omnia præcepta particularia, quoad principium, atque ita normaliter, in ſtatu integritatis fuerint, utut ſpeciale objectum, ac adeo exiſtentia formalis non ſemper adfuerit *vid.* D. Albert. *Compend. jur. natur. c. 1. §. 33.* Verum illa reſponſio ſaltem oſtendit, quod ſtatus integer & corruptus conveniant quoad *ſummam legis naturalis*, de quo nulla eſt quæſtio, non verò quoad *præcepta particularia*, de quibus tamen unice controvertitur.

3. Porro præcepta negativa, quæ itidem â ſtatu integro abfuiſſe exiſtimabat Pufendorfius, in eodem locum habuiſſe cenſent ſtatûs integri defenſores (1) *quia homo integer etiam habuerit libertatem contradictionis, ac potuerit peccare & non peccare, adeoque indiguerit præcepto negativo vid.* Albert. *d. c. 1. §. 45.* ſed â libertate contradictionis ad neceſſitatem præceptorum ſpecialiter exprimendorum non valet, conſequentia, ſed ad illam inſuper inſignis in malum proclivitas requiritur, quod ex communi ſenſu facile patet (2) *quia præceptum negativum : ne comedas de ligno, in ſtatu integritatis exſtiterit, Albert. d. c. 1. §. 46.* verum â præcepto poſitivo, cujus ſententia,

(d) 2 ex

ex nullo alio præcepto, intelligi poteſt, ad præceptum naturale negativum, cujus ſenſus ſub affirmativo generali comprehenditur, iterum non valet conſequentia, illius enim expreſſio nullam arguit in ſubditis malitiam, hinc poteſt imò debet exprimi, cum alias de voluntate Imperantis non conſtet, hujus vero expresſio malitiam præſupponit inſignem, quæ tamen ab homine integro abſuiſſet.

4. Videtur ſane magna temeritas, idenditatem præceptorum naturalium, quoad diverſos ſtatus, velle aſſerere, cum enim non ſemper eadem objecta inter homines occurant, præcepta particularia non poſſunt non variare. Sic in ipſo ſtatu corrupto, concluſiones naturales in diverſis civitatibus, non ſemper ſunt eædem; Apud Romanos mancipia erant in uſu, quorum intuitu multa conſtituit jus naturale, ſed hæ concluſiones omnes ignorantur in iis civitatibus, in quibus mancipia non occurrunt, atque hujus generis ſexcenta alia exempla dari poſſunt.

5. Denique id vel maximè nota, totius illius ſollicitudinis, quâ ſtatus integer & corruptus comparantur, ac utriusque reſpectu eadem præcepta particularia aſſeruntur, vel ex ſtatu integro præcepta repetuntur ac corrupto applicantur (illa omnia enim coincidunt) nullum penitus eſſe uſum, nam & juris naturalis veritas & ſenſus, & obligand i rigor, ex natura humanâ ejusque autore ſatis intelligitur


tur, ut circuitus illi, quibus præceptum aliquod primo quoad ſtatum integrum expenditur, deinde ad corruptum applicatur ſint plane otioſi, ac ita Philoſophari, ſit otio & ingenio abuti, vel etiam hujus imbecillitatem oſtendere.

Simulque cum tam liquido limites hujus diſciplinæ, quibus à Theologia Morali ſe jungitur, deſignati ſint, non deteriore hancce diſciplinam conditione futuram, quam Jurisprudentiam Civilem, Medicinam, Scientiam naturalem, aut Matheſin; in quas ſi aliquis ἀμύητος irrumpere audeat, ſine populi ſuffragiis cenſuram ſibi vindicans, non dubitant ipſi occinere, quod quondam Apelles Megabyzo, de arte pictoria neſcio, quid diſſerere aggredienti: quæſo agebat, tace, ne pueri, qui melidem terunt, te irrideant loqui orſum de rebus, quas non didiciſti. Sed cum bonis quidem cordatisque viris facile nobis conveniet: malevolos autem ineruditosque obtrectatores ſatius fuerit invidiæ ſuæ excruciandos commendare, ſiquidem utique conſtat, æterna poſitumque lege eſt; ut Æthiops cutem non mutet.


Obſerv. 10.

Simulque cum tam liquidò) Pars *quinta* epilogum, cenſoribus importunis oppoſitum, continet, circa quam aliqua notare opus non eſt. De

ſcriptoribus rerum moralium, aliqua hoc loco dici poſſent, ſed id jam non agimus. Eſt de cætero Scriptorum notitia utilis, non tamen illa pro ſtudio principali, ſed ſaltem aliquo adminiculo haberi debet, verum abuſus tam in hac parte, quam alibi, notus eſt.



SA-



SAMUELIS L. B. DE PUFENDORF DE OFFICIO HOMINIS ET CIVIS LIBER PRIMUS.

CAPUT I. DE ACTIONE HUMANA.

§. I.



Officium nobis heic vocatur actio hominis, pro ratione obligationis ad præscriptum legum recte attemperata. Ad quod intelligendum necessarium est præmittere tum de natura actionis humanæ, tum de legibus in universum.

Digitized by Google

Observ. 11.

Officium) In parte præliminari Jurisprudentiæ divinæ, quænam tractanda sint, in *Prolegom.* § 15. ostendimus, quæ Autor ex parte observavit, ex parte neglexit. Id recte factum arbitramur, quod â tractatione *actionis humanæ* sit auspicatus, præmissa tamen ob Libelli Titulum, officii definitione, ac inde sumtâ, de actione humanâ & lege agendi, occasione.

2. Ut penitius hæc res intelligatur, observandum, quod officium vel sumatur pro actione *bonâ* quo pertinet definitio Autoris, vel *moraliter, necessariâ*, quo sensu est *actio vel actionis omissio, sub legis obligatione constituta.* Utroque sensu sumitur vel *generaliter*, pro quavis actione bonâ & moraliter necessariâ, quem sensum supponunt Disciplinæ morales, de Officiis hominum agentes, vel *specialiter*, dum scilicet certa aliqua actio, circa quam, præter agendi necessitatem, jus fruendi nonnullis commodis, ut salario & quadam dignitate, occurrit, nomine Officii venit, qui significatus in vitâ civili non infrequens est, & poterit officium, specialiter acceptum, *Muneris* titulo exprimi. *vid. Observ. 724.*

§. 2. Per *humanam actionem* intelligimus non quemvis motum á facultatibus hominis procedentem; Sed illum duntaxat, qui provenit ac dirigitur ab iis facultatibus, quas humano generi præ brutis Creator. O. M. attri-

attribuit, nempe qui velut prælucente *intellectu* ac decernente *voluntate* ſuſcipitur.

Obſerv. 12.

Per humanam actionem) Actiones hominis ſunt vel *naturales*, quæ à facultate brutis communi procedunt, &, quâ tales, ad doctrinam moralem non pertinent, vel *Humanæ* ſeu *voluntariæ*, quas ratio producit aut dirigit, quæ hujus loci ſunt. *Formale* igitur actionis humanæ, in *dependentia à Ratione* conſiſtit, *materiale* verò, eſt *motus* vel *ipſius mentis*, ut cogitare, velle, vel *alius facultatis* vel *rei cujusdam tertiæ vid:* oper: Major. *l.1. c.5.§.1.ſeqq.* ſunt igitur actiones voluntariæ, *elicitæ*, quas ratio ſola producit, & *imperatæ*, quas dirigit. De cætero uti manifeſtum eſt, quod actiones aliorum hominum aut brutorum, vel etiam operationes rerum vegetabilium, noſtræ directioni non ſemper ſubſint, ita quædam facultates naturales, ut ſenſus externi, viſus, odoratus, auditus, ut & facultas vegetativa, imperium Rationis non admittunt, per indirectum tamen Hæc illas dirigere quodammodo poteſt, dum nempe objectum, in quod agant, illis vel ſupponere, vel ſubtrahere, ei licet.

§. 3. Datum quippe eſt homini, ut non ſolum varias res, quæ in hoc univerſo occurrunt, poſſit cognoſcere, eas inter ſe conferre & harum occaſione novas ſibi notiones formare: ſed ut etiam

possit prospicere, quid acturus sit, ac ad id exequendum sese movere, idemque, ad certam normam, certumque finem conformare & quid inde proventurum sit, colligere, quin & quæ peracta jam sunt, an ad regulam congruant, judicare. Sed nec omnes hominis facultates sese perpetuo, aut modo uniformi movent: verum aliquæ istarum intrinseco hominis impulsu excitantur, excitatæque temperantur & diriguntur. Denique nec in omnia objecta promiscue homo fertur, sed quædam appetit, quædam aversatur. Sæpe quoque licet objectum agendi adsit, motum suspendit; & pluribus objectis præsentibus unum eligit, cætera respuit.

Observ. 13.

Datum quippe est homini) Principium igitur actionum humanarum est *Mens* sive *Ratio*. Hæc verò uti seipsam ab operationibus tantum cognoscit, ita inde vulgò in *Intellectum* verb: *datum quippe*, & *Voluntatem* verb: *sed nec omnes*, discernitur.

2. Quo autem vitilitigia, quæ circa hanc distinctionem, ac utriusque facultatis operationes, occurrere solent, evitentur, duo præcipuè notanda (1) istis nominibus non indicari duas distinctas facultates, sed potius eandem facultatem, pro diversitate operationis, novam sortiri appellationem, sic eadem Mens, si speculetur, *Intellectus*, si appetat vel aversetur,

Vo-

Voluntas dicitur (2) denominationes illas fieri à potiori, nam impossibile est operationes mentis ita secernere, ut sola cognitio sine appetitu aut aversatione, aut voluntas sine cognitione adsit, sed illa omnia sunt intime ac inseparabiliter connexa, hæc autem illa operatio saltem magis aliquando eminet, â quâ adeô Mens, intellectus aut Voluntatis titulum sortitur.

3. In universum nulla prægnans ratio apparet, quare Mens, in Intellectum & Voluntatem fuerit distinguenda. Poterant simpliciter menti omnes operationes tribui, ut mens speculetur, cognoscat, appetat & aversetur; Et si intellectus & Voluntatis nomina insuper necessaria fuerint existimata, poterant pro synonymis haberi, ut indistincté Menti, Intellectui aut Voluntati operationes rationales adscribendæ sint, quemadmodum feré in concreto, actiones mentales, intellectuales & voluntariæ promiscue accipiuntur. Neque etiam distinctio habituum *intellectualium* & *moralium*, tanti momenti est, ut ideò Mentis in intellectum & voluntatem, distinctio conservanda sit, nam etiam illi omnes habitus simpliciter menti possunt adscribi. Interim, si terminos recte intelligas juxta ea, quæ *n.* 2. diximus, poterit etiam vulgaris illa Mentis divisio admitti.

§. 4. Circa facultatem ergo comprehendendi & dijudicandi res, quæ *intellectus* vocabu-

cabulo venit, id ante omnia pro certo habendum eſt: cuilibet homini matura ætate & mente integra tantum ſupereſſe naturalis velut luminis, ut adhibita cultura ac debita meditatione poſſit recte comprehendere ſaltem generalia illa præcepta & principia, quæ ad vitam hancce honeſte & tranquille exigendam faciunt; ſimulque judicare, iſta utique indoli humanæ congruere. Hoc enim niſi ſaltem intra ſphæram fori humani admittatur, quibusvis ſuis delictis homines ignorantiam invincibilem obtendere poſſent: cum nemo in foro humano argui poſſit violaſſe regulam, quam capere ſupra ipſius vires eſt.

Obſerv. 14.

Circa facultatem ergo) Mens itaque ſpeculationi præcipuè dedita, ſeu Intellectus, eſt *facultas cognoſcendi rem in natura ſua, ſeu prout illa eſt, non prout apparet.* Quo ipſo tamen non aſſeritur, quaſi mens humana omnes res exacte intelligere queat, quemadmodum etiam à cognitione, voluntas non ſeparatur. Diviſio intellectus in *Theoreticum & Practicum*, ſimilesvé, ad otioſa ſcholaſticæ Philoſophiæ inventa merito referuntur. *Tres* tamen *mentis operationes*, recte aſſeri videntur, de quo dixi in *Art. cogit. c. 5.*

Obſerv. 15.

Observ. 15.

Id ante omnia pro certo habendum est (Menti eam vim tribuendam esse censet Autor, ut leges, in foro humano observandas, intelligere posse censenda sit, de quo dubitari non potest. An vero, juxta rigorem fori divini, eadem leges quoque intelligat, alia est quæstio, quæ tamen maximâ partem etiam affirmari potest, nam quoad moralia, mens humana non tam quoad *cognitionem*, quam *executionem*, corrupta est.

§. 5. Intellectus hominis, quando de eo, quod agendum vel omittendum est, recte informatus fuerit, & quidem ita, ut sententiæ suæ certas & indubias rationes norit reddere, solet vocari *conscientia recta*. Sed ubi quis veram quidē sententiam circa agenda vel omittenda fovet, quam tamen ipse per rationes demonstrare nequeat, sed eandem ex vitæ civilis tenore, ex assvetudine, aut superiorum autoritate hauserit, neque tamen ipsi suppetat ratio, quę contrarium magis persvadeat, solet vocari *conscientia probabilis*. Qua maxima pars mortalium regitur, quippe cum paucis rerum cognoscere causas concessum sit.

Observ. 16.

Intellectus hominis quando de eo) Ad Conscientiæ considerationem nunc delabitur Autor, sed uti, vulgari Philosophiâ, ut videtur, seductus, in *ordine* impingit ita, nec *rem ipsam* debité satis repræsen-

præſentat, dum nec conſcientiæ conceptum, nec ejus diviſiones, aliaque huc pertinentia recte & adæquate exhibet. Nobis illum mutare non licet, ſed quæ quoad hanc deſunt, breviter ſupplebimus.

2. Conſcientia eſt *intellectus cognitione legis imbutus, ac de actionibus hominis propriis judicans*. Perinde ergo, ut lex, eſt illa actionum humanarum, tam externarum quam internarum, norma, aliquando tamen ad has ſolas refertur, hinc *forum conſcientiæ & Externum* ſeu *humanum* opponuntur. Alii dicunt: *eſt judicium hominis de ſeipſo. vid:* Becm. *lin: doctr. moral. c.* 5. §. 2 ſed addendum; *juxta leges inſtitutum.*

Obſerv. 17.

Solet vocari conſcientia recta) Potius certa, nam ad hanc pertinet definitio præmiſſa, & hæc *conſcientiæ probabili*, quæ alioquin recta etiam eſt, ut ipſe Autor ſtatim fatetur, recte opponitur. Plenius magiſque accurate Conſcientiæ ſpecies ſic exprimi poſſunt: Conſcientia eſt vel *Conſequens*, quæ de actionibus præteritis judicat, vel *Antecedens*, quæ circa moralitatem actionum ſuſcipiendarum ſatagit. *Illa* vel adprobat facta, propitiumque Legislatorem promittit, hinc oritur conſcientia *tranquilla*, vel facta damnat, iramque Imperantis & pœnas minatur, hinc *Inquieta* exiſtit. *Hæc* autem, nempe Antecedens, eſt vel *decidens*, vel *dubia*.

2. De-

2. Decidens est, quæ tam quoad actionis suscipiendæ moralitatem, quam executionem, plené pronunciat. De cætero vel in decidendo errat, hinc est *erronea*, vel recté versatur, inde *recta* existit, quæ iterum *certa* aut *probabilis* est, prout decisionis suæ certas, vel probabiles saltem novit reddere rationes.

3. Dubia autem est vel *talis in specie*, quando intellectus simpliciter fluctuat, aut moralitate actionis in medio relictâ, executionem tamen decernit, vel *Scrupulosa*, quæ & de moralitate & executione actionis statuit, sed timidé & cum formidine oppositi *add.* Becman. *lin. doctr. moral. c. 5. §. 8.*

§. 6. Solet tamen quibusdam non raro evenire circa casus potissimum singulares, ut ex utraque parte sese offerant rationes; nec illi ita polleant judicio, ut, utræ præponderent, liquido discernere queant. Id quod vocari suevit *conscientia dubia.* De qua hæc est regula: *Quamdiu in ancipiti hæret judicium bonum quid sit, an malum, actio erit suspendenda.* Nam nondum discussa dubitatione ad agendum sese determinare, propositum peccandi, aut saltem neglectum legis involvit.

Observ. 18.

Id quod vocari suevit conscientia dubia) Hanc suo ordine modò retulimus. Interim alii eam plane rejiciunt, cum judicium hic suspendatur, suspensio

pensio autem judicii non sit judicium, adeoque nec conscientia *vid.* Dn. Thomas. *Inst. Jurispr. divin. l. 1. c. 1. §. 59.* sed nihil mutandum censeo, nam cogitatio fluctuans, tamen cogitatio est, nec ad judicium requiritur, ut præcisé decidat, sed sufficit, si deliberet, utique is judicat etiam, qui quæstionem propositam se decidere non posse, agnoscit & fatetur. Inprimis autem illa conscientia dubia admittenda est, quæ non simpliciter fluctuat, sed, moralitate licet nondum intellecta, actionis executionem decernit.

Observ. 19.

De qua hæc est regula) Sed non tantum quoad conscientiam dubiam regula proponenda erat, verum etiam quoad cæteras species, hinc hic defectus breviter supplendus quoque erit: Videntur regulæ, circa conscientiam occurrentes, triplicis generis esse, vel enim respiciunt (1) ejus *vim*, vel (2) actionum *moralitatem*, vel (3) conscientiæ *emendationem*.

2. Primi generis regulæ possunt esse hæ (1) Conscientia consequens accusat, testatur, absolvit & condemnat (2) antecedens recta ad susceptionem vel omissionem actionis obligat, sed (3) erronea ista efficaciâ destituitur.

3. Secundi generis hæ feré sunt (1) quoad conscientiam rectam: *omnis actio vel actionis omissio spontanea, quæ conscientiæ rectæ contrariatur, est pecatum vid.* op. Maj. *Lib. 1. C. 5. §. 5. 6.* (2) quoad erroneam: *si conscientia versetur in errore*

re vincibili circa rem malam (rem vetitam credendo præceptam, vel contra) *peccat homo, tam si secundum, quam si contra eam agat, d. l. 1. c. 3. §. 13.* quodsi autem, ut hoc addamus, *erret circa rem indifferentem, peccat saltem, si agat contra conscientiam* (3) quoad dubiam : *qui agit conscientiâ adhuc dubia, peccat, §. 6. h. d. c. 3.* §. 8. sed hæc non simpliciter vera videtur, dubitans enim habet intentionem & bene & male agendi, hinc tum demum peccati arguendus est, si actio suscepta legi etiam revera repugnet (4) quoad Scrupulosam peculiaris regula non occurrit, cum enim sit suo modo decidens, ideo prima & secunda, quam modo retulimus, ad eam quoque applicanda erit.

4. Tertii generis regulæ concernunt vel conscientiam *consequentem*, quæ emendari debet, si ex errore sit tranquilla aut inquieta, vel *antecedentem*, quæ remedium postulat, si sit probabilis, erronea, dubia aut scrupulosa, non verò si certa, hæc enim sana est. Semper autem ex solidâ doctrinâ emendatio fieri, non autem per anodynum male temperatum animo stupor induci debet, *vid. d. l. 1. c. 3. §. 9.*

5. Quos vel nunquam aliquis honesti sensus subiit, vel penes quos vitio consuetudinis animus iterum occalluit, illi dicuntur *conscientiam cauteriatam* habere, *vid.* Becman. *lin. doctr. moral. c. 5. §. 8.* in quo statu maxima mortalium pars, minimum ad aliquod tempus deprehenditur.

§. 7. Sæpe etiam intellectus hominis pro vero falsum adprehendit; & tunc in *errore* versari dicitur. Qui error *vincibilis* solet appellari, quando quis adhibita attentione & diligentia debita cavere poterat, ne in eum incideret: *invincibilis* autem, quando quis etiam adhibita omni diligentia, quam vitæ communis ratio fert, istum evitare non poterat. Qualis error tamen saltem inter eos, queis rationis lumen excolere, & vitam ad honestum componere, cordi est, non circa communia vivendi præcepta, sed duntaxat circa singularia negotia incidere suevit. Nam & naturalis juris præcepta generalia plana sunt: & qui leges positivas fert: id ante omnia agere solet & debet, ut illæ subjectis innotescant. Unde citra supinam negligentiam heic error non nascitur. Sed in singularibus negotiis facile est, ut error invito & præter culpam obrepat circa objectum, aliasque actionis circumstantias.

Observ. 20.

Et tunc in errore versari dicitur) Error est *difformitas conceptus & rei conceptæ*, de quo dixi uberius in *Art. cogit. c. 4.* nam eo res hæc pertinet. In disciplinis moralibus, error saltem quoad actiones humanas, ad effectum temperandæ aut impediendæ imputationis, expenditur.

Observ.

Observ. 21.

Qui error vincibilis solet appellari) Eo pertinent divisiones erroris (1) in *vincibilem & invincibilem* (2) *juris* & *facti*, quam Autor implicitè proponit, nam ex his ferè circumstantiis, erroris, quoad imputationem, effectus æstimandus est.

Observ. 22.

Qualis error tamen) Errorem juris, Autor putat esse vincibilem, sed facti, invincibilem, quæ doctrina regulariter admittenda est, nam aliquando error juris, poterit esse invincibilis (si scilicet jus singulare & obscurum, aut persona ejus conditionis sit, ut ab ea scientiam juris rigide exigere, non conveniat) quemadmodum error facti, potissimum proprii, vincibilis.

§. 8. Ubi verò simpliciter cognitio abest, vocatur *ignorantia*. Quæ duplici modo consideratur; uno, prout ad actionem aliquid confert; altero, prout invito, aut non citra culpam oborta fuit. Priori respectu ignorantia solet dividi in *efficacem & concomitantem*. Illa est, quæ, si abfuisset, præsens actio non fuisset suscepta. Hæc est, quæ, licet abfuisset, nihilominus actio suscepta fuisset. Posteriori respectu ignorantia est *voluntaria*, vel *involuntaria*. Illa est, quam quis vel ultro affectavit, rejectis veri cognoscendi mediis, aut debita diligentia non adhibita obrepere sibi passus est. Hæc est, quando quis ignorat, quæ nec scire poterat, nec tenebatur. Et hæc

iterum *duplex* eſt. Vel enim quis in præſens quidem ignorantiam exuere non potuit, ut tamen in culpa ſit, quare in tali ſtatu verſetur. Vel non ſolum in præſens ignorantiam vincere nequit, ſed & in culpa non eſt, quare ad talem conditionem ſit devolutus.

Obſerv. 23.

Vocatur ignorantia) Cauſa erroris eſt ignorantia, hæc enim *ſimplex cognitionis veræ eſt abſentia*, aſt ſi *falſa cognitio ſequatur*, tum exiſtit error. Cæterum cum in rebus agendis, ſemper poſitiva perſuaſio præſupponenda ſit, nec poſſit actionis ſuſceptio aut omiſſio ex nuda privatione, ſeu cognitionis abſentia procedere, hinc liquet, quod in diſciplinis moralibus, ignorantia cum errore coincidat, id quod etiam communis docendi ratio ſatis confirmat.

Obſerv. 24.

Quæ duplici modo conſideratur) Hæc doctrina nec adæquata, nec perſpicua ſatis eſt, quare ita potius dicendum: Ignorantia vel error tripliciter conſideratur (1) ratione *objecti ad negotium ſuum relati*, hinc eſt error *efficax* & *concomitans* (2) *objecti in ſe ſpectati*, unde ignorantia *juris* & *facti* (3) *conſensûs*, ex quo error *voluntarius* & *involuntarius* eſt.

Obſerv. 25.

Illa eſt, quæ, ſi abfuiſſet, præſens actio non fuiſſet ſuſcepta) Hæc erroris efficacis & concomitantis definitio, cum doctrina Peripateticorum, erroris

roris discrimen ex eo, si agentis dolor & pœnitentia actionem susceptam sequatur, nec ne, æstimantium, coincidit. *vid.* Jacob. Thomas. *Philos. Pract. Tab. II.* De cætero illa doctrina, & inadæquata, cum saltem ad actiones illicitas qvadret, & in se falsa est, nam si â secuta agentis declaratione erroris efficaciam suspendere velimus, tum ille simulato dolore & pœnitentia, cujusvis actionis, sibi molestæ imputationem facile eluserit.

2. Potius igitur sic dicendum: Error *efficax* est, *qui in re necessariâ committitur, ac* (si sit involuntarius) *consensum excludit, atque adeo imputationem impedit.* Illa verò res est necessaria, quam vel *natura negotii*, vel *tempestiva agentium destinatio, indicio habili declarata*, requirit, id quod per inductionem actuum illicitorum, & licitorum liquidò intelligi potest. *Concomitans* verò est, *qui in re, extra negotium gerendum constitutâ, committitur, adeoque consensum necessarium non excludit, nec imputationem impedit.* Voluntarius ille sit, an involuntarius, hactenus requirendum non est, cum satis sit, quod negotium non attingat, adeoque in eodem alterando nullas partes habere queat.

Observ. 26.

Est voluntaria vel involuntaria) Hæc divisio, nisi fallor, coincidit cum divisione in errorem vincibilem & invincibilem, nam utraque consensûs præsentiam vel defectum innuit.

Observ. 27.

Et hæc iterum duplex est) Hoc diſcrimen etiam ſic exprimitur: Ignorantia involuntaria, eſt vel *talis in ſe, ſed non in ſua cauſa*, vel *in ſe & in ſua cauſa.* Cæterum facile liquet, diviſionem illam non adeo neceſſariam eſſe, nam ultima ſaltem eſt involuntaria aut invincibilis, prima vero revera voluntaria & vincibilis eſt, non tantum enim id voluntarium eſt, quod voluntas comitatur, ſed etiam qvod hæc antecedit.

§. 9. Altera facultas, quæ in homine præ brutis peculiariter cernitur, *voluntas* vocatur; per quam velut intrinſeco impulſu ad agendum ſeſe homo movet, & eligit, quod ſibi maxime arridet; averſatur, quod ſibi non convenire videtur. Habet igitur homo à voluntate, tum quod *ſponte* agat, i. e. ut non per intrinſecam aliquam neceſſitatem ad agendum determinetur, ſed actionis ſuæ ipſe autor ſit; tum ut *libere* agat, i. e. ut uno objecto propoſito poſſit agere vel non agere, idemque eligere vel reſpuere; aut pluribus objectis propoſitis unum eligere, cætera reſpuere. Porro cum actionum humanarum quædam propter ſe ſuſcipiantur, quædam quatenus ad aliud conſequendum inſerviunt, i. e. quædam rationem *finis*, quædam *mediorum* habeant: circa finem

quidem ita voluntas versatur; ut cum cognitum primo adprobet, dein ad eundem consequendum efficaciter sese moveat, & velut ad eum tendat, vehementius aut remissius; eoque obtento adquiescat placideque fruatur. Media autem primo probantur, tum quæ maxime idonea fuerint visa, eliguntur, ac demum usui adplicantur.

Observ. 28.

Altera facultas) Mens appetitui vel aversationi præcipuè dedita, seu Voluntas, est *facultas appetendi vel fugiendi rem, prout illa bona aut mala judicatur.* Quod judicium non tantum antecedit, sed & comitatur volendi actum.

Observ. 29.

Habet igitur homo à voluntate) Affectiones voluntatis, ex doctrina Autoris, duæ sunt, *Spontaneitas*, & *libertas*, quæ iterum est vel *contradictionis*, quâ possumus agere vel non agere, vel *contrarietatis*, quâ contraria vel diversa volumus *add. l.* 1. *c.* 4. §. 2. Cæterum cum Spontaneitas & libertas contradictionis coincidant, ceu definitionum collatio ostendit, ideo entia præter necessitatem non videntur multiplicanda esse, sed sola libertas sufficiet, quam sensu generaliori, etiam spontaneitatem dicere licebit.

Observ. 30.

Porro cum actionum humanarum) Specialius volendi actum, ab objecto Autor hic declarat, nimirum circa *finem* occurrit *Volitio*, *Intentio* & *Fruitio*,

tio, circa *media* vero, *Consensus*, *Electio* & *Usus* *add. l.1.c.4.§.1.* Fruitio in actu volendi, ultimum sortitur locum. Posse operationem Voluntatis specialius ita distingui, concedo, sed in istâ minutiarum consectatione, eruditionem aliquam consistere, non arbitror, sufficit hic popularis philosophia, quâ generaliter aliquid appetere vel aversari dicimur, cætera otiosas Scholasticorum speculationes redolent.

2. Alii omnes illos actus voluntati adscribi posse negant, cum multi judicium præsupponant vel involvant, voluntas autem sit potentia cœca & judicii expers, hinc concedunt quidem, quod in actu volendi, generalius supposito, operationes illæ occurrant, ast eos non voluntati sed intellectui alicui pactico, maximam partem tribuendos esse censent. *vid.* Becman. *lin. doctrin. moral. c. 6. §. 2. 12.* sed cum his tricis facilè transegeris, si ea, quæ *Observ. 13.* diximus, probe intelligas, illud autem plane falsum est, quod voluntas sit potentia cœca; In Ratione seu facultate rationali, quomodo potentiam cœcam, i. e. irrationalem & brutam concipies? fluunt illa omnia ex falsa Voluntatis suppositione.

§. 10. Quemadmodum autem hoc maxime nomine homo actionum suarum autor habetur, quia ipse voluntario eas suscepit: ita circa voluntatem id cumprimis observandum,

dum, ejus ſpontaneitatem utique aſſerendam eſſe ſaltem circa illas actiones, de quibus ab homine in foro humano ratio ſolet exigi. Ubi autem homini nihil plane ſpontaneitatis relinquitur, ibi non ipſe homo, ſed qui eidem neceſſitatem adfert, autor habebitur actionis, ad quam homo invitus membra viresque ſuas accommodat.

Obſerv. 31.

Ejus ſpontaneitatem utique aſſerendam eſſe) Magis ſerio libertatem Voluntati aſſerit Autor, nam eâ negatâ, omnis actionum moralitas in foro humano tollitur, nec obeſt *Præſcientia divina*, hæc enim actus humanos conſequitur, hinc illi non eveniunt, quia Deus præſcit, ſed quia illi ex libera humanæ voluntatis determinatione ſunt eventuri, ideo eos Deus præſcit, *add. l. 1. c. 4. §. 3.*

§. 11. Porro quanquam voluntas bonum in genere ſemper adpetat; & malum in genere averſetur: magna tamen inter ſingulos homines tum adpetituum tum actionum cernitur varietas. Idque inde provenit, quod non omnia bona & mala homini velut pura appareant, ſed invicem mixta, bona malis, mala bonis: & quia diverſa objecta diverſas velut partes in homine peculiariter afficiunt, v. g. quædam æſtimationem illam, quam homo de ſe ipſo habet, quædam ſenſus ejus exte-

riores, quædam amorem sui, quo se ipsum conservare studet. Ex quo est, quod illa quidem homo adprehendat tanquam *decora*, ista tanquam *jucunda*, hæc tanquam *utilia*. Et prout quodque horum validum motum homini impressit, ita eundem quoque versus se peculiariter propendere facit. Cui accedit in plerisque hominibus ad certa quædam peculiaris inclinatio, aut à certis aversatio. Hinc fit, ut circa quamlibet fere actionem sese simul offerant species bonorum & malorum, verorum aut adparentium, ad quas solide discernendas aliis major, aliis minor, est perspicacia. Inde mirum non est, unum in id ferri, abs quo alter maxime abhorret.

Observ. 32.

Porro quanquam voluntas) Nec *necessarius boni appetitus & mali aversatio*, cui voluntas semper indulget, ejus libertatem destruit, nam dantur plura bona & mala, vera & apparentia, ac multiplex hominum de iis omnibus judicium, hinc quoties ad applicationem ventum est, liberæ electioni semper locus est, quod latius hic deducitur.

Observ. 33.

Species bonorum & malorum) Liceat hac occasione pauca adjicere de *Bono* & *Malo*. Sunt nomina relativa respiciuntque hominem, hinc bonum est, *quod homini existentiam, conservationem*

vel

vel perfectionem aliquam largitur, Malum vero, *quod illa destruit vel imminuit.* Omne bonum prodest & delectat, seu *utile* & *secundum* est, sicut vice versa, malum nocet & contristat, seu *inutile* & *molestum* est. Sunt tamen illa non præcise de veritate, sed etiam opinione hominum quandoque accipienda, præterea utile & jucundum, pro ratione objectorum, aliquando etiam certo sensu, sibi invicem opponi potest, prout Autor §. *u. h.* facit.

2. Dividitur bonum & malum (1) ratione *objecti*, in bonum ac malum *corporis* & *animi* (2) *originis* in *naturale*, quod per naturam homini adest, & *adventitium*, quod ei supervenit, hoc iterum est *voluntarium*, *fortuitum* & *mixtum*.

3. Voluntarium est, *honestum*, & *inhonestum* seu *bonum* & *malum morale*, quod arbitrio Imperantis definitur, porro *Decorum* & *indecorum*, quod consvetudine hominum prudentum determinatur. Denique *privatum*, quod quis proprio judicio, pro bono & malo habet. De cætero omnia vel pleraque bona & mala, vel rectè vel perperam concipiuntur, hinc bonum & malum, *verum* vel *apparens* dicitur.

§. 12. Sed nec semper voluntas hominis circa quamlibet actionem velut in æquilibrio posita deprehenditur, sic ut inclinatio in hanc aut illam partem unice ab impulsu ejusdem intrinseco post mature perpensa omnia proveniat: sed frequentissimè per extrinseca

vel-

velut momenta verſus unam magis quam alteram partem homo propellitur. Ut enim prætereamus communem illam mortalium in prava proclivitatem, cujus originem atque indolem laterius fori eſt excutere; primo voluntati ſingularem quandam vergentiam conciliat *peculiaris ingenii diſpoſitio*, qua ad certum genus actionis aliqui valde proclives redduntur. Quæ non in ſingulis tantum hominibus, ſed & integris in nationibus deprehenditur. Eam autem producere videtur cœli nos ambientis, ſolique genius, humorum in corporibus temperatura ex ipſo ſemine, ætate, victu, valetudine, ſtudiorum ratione, ſimilibusque cauſis proveniens; item conformatio organorum, queis animus ad functiones ſuas obeundas utitur, & ſimilia. Ubi notandum, (præterquam quod homo adhibitâ curâ temperamentum ſuum non parum retundere & alterare poſſit) quantacunque etiam vis eidem tribuatur, non tamen eousque illa valere judicanda eſt, ut hominem neceſſario in violationem legis naturalis rapiat, quousque hæc in foro humano exercetur; ubi pravæ cupidines, intra actum exteriorem ſubſiſtentes, non attenduntur. Adeoque ſi vel maxime natura recurrat, furcâ licet expulſa, id tamen prohiberi poteſt, ne exteriores actiones vitioſas producat. Et quæ in ſupe-

ſuperanda ejusmodi inclinatione occurrit difficultas, illam ſplendor laudis penſat, quæ heic victorem manet. Quod ſi autem ejusmodi ſtimuli animum concutiant, quos nulla ratio, quo minus erumpant, reprimere poteſt; via tamen eſt, ut citra peccatum velut depleri queant.

Obſerv. 34.

Sed nec ſemper voluntas) Licet vero voluntas ſit libera, attamen in æquilibrio illa non ſemper conſiſtit, ſed dantur quædam *momenta*, quæ ejus libertati obſtent, eique peculiarem vergentiam ſeu proclivitatem verſus alteram partem concilient. Eo pertinet (I.) *pravitas ex lapſu orta* (II.) *peculiaris corporis ingeniique diſpoſitio*, quam Phyſici pluribus exponere debent. Autor eam attingit *h.* eamque voluntatis libertatem non plane deſtruere, recte cenſet. *add.* Oper. Maj. *l. 1. c. 4. §. 5.*

§. 13. Valde quoque in certas actiones voluntatem inclinat frequens ejusdem generis actionum repetitio, ex qua enata proclivitas *conſvetudo* vocatur. Per hanc quippe efficitur, ut libenter & expedite actio aliqua ſuſcipiatur, ſic ut objecto præſente in id velut trahi animus videatur, aut idem abſens vehementiſſimè deſideret. De qua id obſervandum; uti nulla videtur eſſe adſuetudo, quin eam adhibita diligentia iterum exuere poſſit homo; ita

nulla

nulla quoque animum eousque detorquere valet, ut non exterioribus ſaltem actibus, in quos illa rapitur, heic & nunc cohibendis par homo ſit. Et quia penes hominem fuit, ejusmodi adſuetudinem contrahere: inde utut hæc actiones facilitet, tamen neque bonarum actionum pretio aliquid decedit; neque pravarum malitia redditur levior. Quin uti bona adſuetudo hominis laudem, ita prava ejusdem turpitudinem intendit.

Obſerv. 35.

Valde quoque in certas actiones) Amplius (III.) *Habitus* ſeu *conſuetudo* voluntati proclivitatem conciliat. Sed tantum abeſt, ut actionem faciat involuntariam, ut potius actio ex habitu præcedens, ſimplici actione liberâ, ſit magis voluntaria, ut hic docetur, nam habitus ultro fuit aſſumtus, ultro retinetur, &, eo ſtante, voluntas quam maximè in actionem influit. *add. l. 1. c. 4. §. 6.*

§. 14. Plurimum quoque intereſt, an placida tranquillitas animo conſtet; an vero idem peculiaribus motibus, quos *affectus* vocant, concuciatur. Circa quos illud tenendum: quantumcunque vehementes iſti ſint, tamen debito rationis uſu hominem iisdem ſuperiorem eſſe poſſe, ipſorumque impetum ſaltem intra ultimum actum ſiſtere. Cum autem affectuum alii excitentur ſpecie boni, alii ſpe-

cie

cie mali,& ſtimulent, vel ad adquirendum aliquod gratum, vel declinandum moleſtum: naturæ humanæ congruens eſt, ut hos, quam illos plus favoris aut veniæ mortales inter comitetur, eoque magis, quo infeſtius & intolerabilius fuit malum, quod eos excitavit. Longe quippe tolerabilius habetur, carere bono ad naturæ conſervationem non adeo neceſſario, quam excipere malum ad naturæ deſtructionem tendens.

Obſerv. 36.

Quos affectus vocant) De his merito ſeorſim & prolixius agendum fuiſſet, nam vel maxime ad affectus ritè dirigendos pertinet diſciplina juris naturalis. Nobis interim tractationem iſtam ingredi, ac variorum ſententias referre, excutere, refellere aut componere, jam neque libet, neque licet, pauciſſima ſaltem pro explicando Autore adjiciemus. Quantum igitur nobis judicare licet, affectus quadrupliciter ſupponi videntur (1) pro actione intenſiori (2) habitu ita agendi (3) pro paſſione mentis, dum externum aliquod objectum, vel temperamentũ corporeum, in eam velut irruit eamq; protrudit (4) pro motibus temperamenti corporei. Hoc ſenſu Autor affectus ſumſit, eoque reſpectu (IV.) *Affectus* ad momenta inſtigantia referuntur *add. d. l.* 1. *c.* 4. §. 7.

§. 15. Denique uti dantur certi *morbi*, qui uſum rationis in perpetuum, aut ad tempus, plane

plane tollunt, ita multas apud nationes frequens est, homines sibi ultro arcessere morbi quoddam genus brevi transiens, usum rationis non parum perturbans. Quo innuimus *ebrietatem* ex certis potulentorum generibus, ac quibusdam fumis, provenientem; quæ violento motu sanguinem ac spiritus impellit & turbat, ac ad libidinem imprimis, iram, temeritatem, & enormem lætitiam homines proclives reddit; sic ut multi velut extra se per ebrietatem rapti videantur, & diversum plane genium induisse, quam quo sobrii conspiciebantur. Hæc tamen uti non semper omnem usum rationis sequestrat, ita, quatenus ultro arcessita est, odium potius quàm favorem actionibus per eandem susceptis conciliare apta est.

Observ. 37.

Denique uti dantur certi morbi) Ad momenta voluntatem moventia, refertur (V) *furor* & (VI) *Ebrietas*, sed hæc voluntati non tam aliquam proclivitatem conciliant, quam potius, totum actionum humanarum principium, destruunt, quamvis de Ebrietate aliquando etiam prius dicendum veniat. Posses his adjungere (VII) *obligationem*, quæ repræsentatione poenæ, voluntatem inclinat, & (IIX) *Coactionem*, quæ, malo aliquo cominus exhibito, eam impellit *add. d. c. 4. §. 8.*

Observ. 38.

Observ. 38.

Hæc tamen uti non semper) Quoad effectum Ebrietatis, circa imputationem, ita distinguendum videtur: Ebrietas vel est *modica*, hæc actionem voluntariam relinquit, vel *summa*, quæ omnem usum rationis sequestrat, hæc si fuerit, quoad originem, *involuntaria*, actionem invitam producit, adeoque agentem excusat, si verò *voluntaria*, tum actus *indifferentes*, ut contractus, adhuc imputari non posse videntur, quia hi liquidam cognitionem requirunt, nec iis animandis culpa præcedens sufficit, sed actus *illiciti*, seu delicta, ut culposi, imputabuntur, nisi quis directè, ob eorum executionem, ebrietatem contraxerit, nam tum gravior imputatio obtinet.

§. 16. Porro actiones humanæ uti *voluntariæ* solent vocari, quatenus à voluntate proficiscuntur & diriguntur: ita si quæ reluctante voluntate scienter suscipiuntur, *invitæ*, appellantur, pressius sumto hocce vocabulo. Nam latius id acceptum etiam illas comprehendit, quæ per *ignorantiam* patrantur. Invitum autem nobis hoc loco idem notat, quod *coactum*; quando nempe quis ab extrinseco principio validiore adigitur membra sua adplicare, ita ut aversationem & dissensum suum signis ac præcique renitentia corporis significet. Minus autem propriè invita & illa dicuntur, quando incumbente graviore necessitate ali-

quid tanquam minus malum eligitur, & suscipitur, abs quo alias homo extra necessitatem constitutus vehementer abhorrebat. Quales actiones vulgo *mixtas* vocant. Hæ cum spontaneis illud habent commune, quod voluntas pro præsenti statu eas utique eligat tanquam min9 malum Cum invitis autem aliquatenus quoad effectum conveniunt, quod vel plane non, vel non ita graviter, uti spontaneæ, soleant agenti imputari.

Observ. 39.

Porro actiones humanæ) Si principium actionis humanæ adsit, tum actio dicitur *Voluntaria*, si desit, *Invita*, quæ talis est vel *per ignorantiam*, si ex errore invincibili & efficaci actio suscipiatur, vel *violentiam*, quam solam pro invita Autor hic habet, sed sine ratione. Quodsi voluntas partim desit, partim adsit, tum existit actio *Mixta add. l. 1. c.* 4. § *9. 10.*

Observ. 40.

Hæc cum spontaneis) Quoad imputationem actionum mixtarum, clarius ita dici potest: *Actio mixta eatenus imputari potest, quatenus est voluntaria, nisi probetur exceptio.* Juxta hæc igitur arbitror, quod (1) *actio mala*, altero cogente, suscepta imputari queat, quia voluntaria est, nec ratio exceptionis occurrit, vis tamen adhibita imputationem temperat, ac agentem quodammodo excusat. Sed (2) *actio bona coacta* non imputatur, quia ad laudem boni viri obtinen-

nendam, non sufficit quævis voluntas, sed summa animi promtitudine, actio suscepta esse debuit. Idem (3) dicendum de *actione indifferente* v.g. contractu, nam nec hæc imputatur, licet enim qualis qualis voluntas hic adsit, attamen illa, ad producendam & imputandam obligationem, non sufficit, cum delictum cogentis, eum faciat inhabilem, quo minus jus aliquod ex actu coacto acquirat, negato autem jure, cessat quoque obligatio.

§. 17. Cæterum actionum humanarum, quæ ab intellectu & voluntate proficiscuntur & diriguntur, hæc est præcipua affectio, quod illæ homini possint *imputari*, seu, quod homo pro earum autore recte possit haberi, ac ad reddendam de iisdem rationem adstringi, quodque in ipsum redundent effectus, qui ex istis proveniunt. Nulla enim propior ratio est, quare alicui actio quæpiam imputari possit, quam quia ab isto sciente & volente, mediate aut immediate, profecta est; seu, quia penes ipsum fuit, ut fieret vel non fieret. Hinc axiomatis primarii loco in disciplinis moralibus ad forum humanum spectantibus habetur; quod de illis actionibus rationem posci queat homo, quæ ut fiant vel non fiant penes ipsum est: seu, quod eodem recidit, quod *quælibet actio directionis humanæ capax, quam penes aliquem est fieri vel non fieri, ipsi queat im-*

putari. Sic & contra nemo pro autore ejus actionis haberi potest, quæ penes ipsum neque in se, neque in sua causa fuit.

Observ. 41.

Quod illa homini possint imputari) Actionum voluntariarum affectio est *Imputativitas* seu *Aptitudo ad imputandum*, ut nempe non tantum ipsæ actiones, sed & potissimum earum effectus morales, agenti adscribi queant, hinc etiam de iis actionibus, quæ talem effectum post se relinquunt, saltem in vita civili quæritur *add.* Op. Maj. *l. 1. c. 5.*

Observ. 42.

Nulla enim propior) Quare actio alicui imputetur, ejus rei ratio recte redditur, *quia est voluntaria*, ast si amplius instes, cur actio voluntaria imputetur, tum nulla ulterius ratio reddi potest, sed illa veritas inde monstrabilis est, & immediata perceptione apprehenditur.

Observ. 43.

Hinc axiomatis primarii) A voluntate igitur ad imputationem, affirmative & negative valet argumentum, sed in foro humano, ac præsupposito genuino voluntatis gradu, juxta ea, quæ *Observ. 40.* diximus.

§. 18. Ex hisce præmissis aliquot particulares formabimus propositiones, unde constet, quid cuique imputari, seu, cujus actionis eventusque, autor quisque possit haberi. *I. Actiones ab alio patratæ, ut & operationes quarumvis aliarum rerum, nec non quivis eventus,*

tus, non possunt alteri imputari, nisi quatenus ille potest & tenetur istas moderari. Nihil quippe est frequentius inter homines, quam ut uni commissum sit, alterius actiones dirigere. Heic igitur si actio aliqua ab altero sit patrata, circa quam iste omisit, quod penes se erat, actio illa imputabitur non solum ei, qui immediate ipsam patravit, sed etiam isti, qui ex debita & possibili directione aliquid omisit. Habet tamen ea res fere suum modum finemque, sic ut illud *possibile* cum aliquo velut temperamento & moraliter sit intelligendum. Cum per quamcunque subjectionem unius sub altero subjecti tamen libertas non extingvatur, quin alterius directioni reniti, & in diversa tendere, possit; nec vitæ humanæ indoles ferat, ut quis uni perpetuo velut affixus omnes istius motus observare queat. Igitur si quis omnia fecit, quæ directionis sibi injunctæ natura ferebat, ubi nihilominus quid ab altero patratum fuit, patranti soli imputabitur. Sic postquam in animalia homines dominium exercent, quæ per illa in alterius detrimentum facta sunt, domino imputabuntur, siquidem is ex debita custodia & circumspectione aliquid neglexit. Sic & quævis mala, quæ alteri obtingunt, imputari isti possunt, qui eorum causam & occasionem,

cum posset & deberet, non subtraxit. Sic cum multarum rerum naturalium operationes promovere aut suspendere sit penes homines, quod ab hisce commodi vel damni datum sit, istis imputabitur, quantum eorundem opera vel neglectus ad id momenti attulit. Aliquando etiam præter ordinem imputantur alicui eventus tales, qui alias supra humanam directionem sunt, quatenus intuitu certi hominis istos divinum Numen peculiariter procuravit. Extra hosce & similes casus sufficit, si de propriis actionibus rationem quis possit reddere.

Observ. 44.

Ex hisce præmissis) Specialis hæc imputationis doctrina, quam hic Autor proponit, ac pluribus *in* Op. Maj. *l. 1. c. 5.* illustrat, parum difficultatis habet, cum omnia ex generali fundamento fluant, ac posita voluntate in gradu habili, imputatio obtineat, deficiente verò cesset, ad singulos §. § igitur aliquid notare opus non est, hinc inde tamen quædam adjiciemus.

§. 19. II. *Quæcunque in quolibet homine sunt vel non sunt, quæ penes ipsum non fuit, ut adessent, vel non adessent, non possunt ipsi imputari, nisi quatenus per industriam naturalem defectum non supplevit, aut nativas vires non adjuvit.* Sic cum perspicaciam ingenii viresque corporis nemo sibi præstare possit, nemi-

nemini quoque eo nomine imputari quid poterit, nisi quantum culturam adhibuit, aut adhibere neglexit. Sic non rustico, sed urbano atque aulico horridi mores vitio vertuntur. Unde & valde absurdæ sunt judicandæ exprobrationes ejusmodi qualitatum, quarum causa penes nos non fuit; v. gr. brevis staturæ, formæ parum felicis, & similium.

§. 20. *III. Quæ per ignorantiam invincibilem patrantur, imputari non possunt.* Quia neque dirigere actionem possumus, ubi intellectus lumen non prælucet; & præsupponitur, tale lumen sibi hominem non potuisse comparare, neque quo minus posset in culpa fuisse. Quin & in vita communi *τὸ posse* moraliter accipitur pro illa facultate, solertia & circumspectione, quæ vulgo sufficere judicatur, & quæ probabilibus rationibus subnixa fuit.

§. 21. *IV. Ignorantia, ut & error, circa leges, & officium cuique injunctum, ab imputatione non liberat.* Nam qui leges & officium alicui injungit, efficere solet & dedet, ut in notitiam subjecti illæ perveniant. Et ad subjecti captum leges ac regulæ officii attemperari solent & debent, circa quas cognoscendas & retinendas quemlibet sollicitum esse oportet. Unde qui est causa ignorantiæ, respondere

etiam tenebitur de iis actionibus, quæ ex illa ignorantia promanant.

Observ. 45.

Quæ per ignorantiam invincibilem patrantur, imputari non possunt) Hæc non simpliciter admittenda sunt, sed, ad intelligendum erroris effectum, distinguendum potius inter errorem *concomitantem*, hic imputationem non impedit, nec refert, vincibilis fuerit an invincibilis, nam sufficit, quod extra negotium versetur, adeoque consensum necessarium non attingat ac excludat *vid. Observ. 25. n.* 2. ut hactenus Autoris doctrina non procedat. Usum observationis infra *l. 1. c. 9. §. 12. n. 2.* amplius ostendemus: & *efficacem*, hic impedit imputationem, si sit *invincibilis*, quod tamen moraliter æstimandum §. *20. h.* si vero *vincibilis*, qualis regulariter est error juris §. *21. h.* tum ob antecedentem vel concurrentem consensum, imputationem non excludit.

§. 22. *V. Cui occasio agendi citra suam culpam deest, illi non imputatur, quod non egerit.* Videtur autem occasio quatuor hæcce complecti; ut *objectum* actionis sit in promptu; ut adsit commodus *locus*, ubi non possimus ab aliis impediri, aut malo aliquo multari; ut adsit opportunum *tempus*, quo non sint obeunda negotia magis necessaria, quodque item aliis, qui ad actionem concurrunt, sit opor-

portunum, ut denique naturales agendi vires ſuppetant. Citra iſthæc enim cum actio fieri nequeant, etiam abſurdum fuerit, ſi alicui imputetur, ad quod agendum occaſio defuit. Sic medicus ſegnitiæ non poteſt argui, ſi nemo ægrotet. Sic liberali eſſe non conceditur, qui ipſe indiget. Sic talentum ſuum defodiſſe argui nequit, cui rite ambienti ſtatio denegata fuit. Et cui multum datum fuit, ab eo multum repetetur. Sic non poſſumus ſimul ſorbere & flare.

Obſerv. 46.

Illi non imputatur, quod non egerit) De imputatione actionis omiſſæ, non aliter quæritur in vita civili, quam quatenus actio ſub legis præcepto eſt, hoc vero non præciſe obligare, ſed commodam occaſionem prærequirere ſolet. Quod ſi igitur quis, deficiente occaſione, actionem omittat, illa omiſſio legi non repugnat, nec aliquem effectum moralem poſt ſe relinquit, hinc de omiſſione illâ, vel omnino non quæritur, vel illa, ut peccatum, non imputatur §. 22. *h.* quodſi vero quis, poſita occaſione, actionem omittat, omiſſio illa legi contraria eſt, ac velut peccatum imputatur.

§. 23. *VI. Non poteſt* quoque *alicui imputari, quod non præſtiterit ea, quæ vires ipſius excedunt, neque per eas prohiberi aut effici poſſunt.*

 Inde

Inde vulgo, impossibilium nulla est obligatio, dicitur. Addendum tamen: modo quis sua culpa vires præstandi non detriverit, aut perdiderit. Hic enim eodem modo tractari potest, atque si vires adhuc obtineret; cum alias facilis esset via, quamvis obligationem paulo laboriosiorem eludendi, ultro corruptis præstandi viribus.

Observ. 47.

Quæ vires ipsius excedunt) Sic Reges Mexicani, sub initium regni, subditis promittebant, se effecturos, ut Sol justo tempore oriatur & occidat, ut pluviæ, quando opus est, cadant, ut terra fruges proferat. Quod institutum stultitiæ damnat Autor Op. Maj. *l. 1. c. 5.* §. *6.* Aliter videtur Krebsio *in tract.* de Ligno & Lapide *p.* 1. *Class. 2. sect. 2.* §. *1.* multæ & mirandæ sapientiæ id esse censenti, cum promissionis sensus sit; Principem bonis legibus rectoque & pio imperio, vel ipsa astra & meteora, valere in suam operam pro felicissima Subditorum & Reipublicæ beatitudine, cogere.

§. 24. *VII. Imputari* quoque *non possunt, quæ quis coacte patitur, aut agit.* Talia enim amoliri aut defugere supra ipsius vires positum intelligitur. Cogi autem dicimur duplici modo; uno, quando alius valentior per violentiam nostra membra ad aliquid agendum aut patiendum adplicat, altero, si poten-

tentior grave aliquod malum cominus intentet, (idque statim repræsentandi facultatem habeat,) nisi ultro nos ad aliquid faciendum moveamus, aut à faciendo abstineamus. Tunc enim, nisi expresse obligemur, id, quod alteri est inferendum, nostro malo redimere, is, qui eam nobis necessitatem adfert, pro autore facinoris habebitur; nobis autem non magis factum istud imputari poterit, quam gladio aut securi cædes.

Observ. 48.

Altero, si potentior grave aliquod malum) Hoc casu imputatio actionis malæ non plane cessat, licet Autor ita putet, nam in coacto est aliqua voluntas, & nulla apparet ratio, cur hic â regula de actionibus voluntariis imputandis, sit facienda exceptio *vid. Observ. 40. n. 1.* hinc etiam comparatio gladii aut securis, & Coacti, quam Autor hic facit, non procedit, illa enim merè passivè se habent, sed hic sua voluntate ad actum concurrit.

§. 25. *VIII. Eorum, qui rationis usu destituuntur, actiones non imputantur.* Quia, quid agatur, liquido dignoscere & ad normam comparare nequeunt. Et huc spectant actiones infantum, antequam usus rationis paulo distinctius sese incipiat exserere. Quod enim isti propter quasdam actiones increpantur aut verberantur, id non ideo fit, quasi in foro

ro humano pœnam propriè dictam meriti sint, sed per modum nudæ emendationis & disciplinæ; ne per talia molestiam aliis facessant, aut, ne pravam adsvetudinem contrahant. Sic & furiosorum, mente motorum, & delirorum actiones pro humanis non habentur, quibusquidem citra suam culpam iste morbus provenit.


§. 26. IX. Denique *imputari non possunt, quæ quis in somniis agere sibi videtur*; nisi quatenus talibus interdiu cogitandis cum delectatione immoratus, eorum imagines animo alte impressit, etsi & hæc rarissimè in foro humano attenduntur. Alias enim phantasia in somno est veluti cymba sine rectore fluitans, sic ut penes hominem non sit præstare, qualia visa isthæc effingat.

§. 27. Circa imputationem autem actionum alterius paulo distinctius observandum, quod aliquando quidem contingat, ut actio ei, qui immediatè eam patravit, plane non imputetur, sed alteri, qui hoc tantum velut instrumento usus est. Sed frequentius est, ut & ei, qui actionem patravit, & alteri, qui ad eandem agendo quid vel omittendo concurrit, illa simul imputetur. Id quod fit triplici potissimum modo; vel ut alter principalis causa actionis, patrator minus principalis habeatur;

beatur; vel ut uterque pari velut passu ambulet, vel ut alter minus principalis, patrator principalis causa sit. Ad primam classem pertinent, qui alterum autoritate sua ad quid permoverunt: qui consensum requisitum adhibuerunt, citra quem alter agere non poterat; qui poterant & debebant prohibere, & non fecerunt. Ad secundam classem pertinent, qui mandant, aut ad facinus patrandum conducunt; qui adjuvant; qui receptum & defensionem præstant; qui, cum opem ferre injuriam patienti possent & deberent, non fecerunt. Ad tertiam classem referuntur, qui consilium speciale dant; qui laudant & assentantur ante patratum facinus; qui exemplo suo ad peccandum accendunt, & similes.



CA-



CAPUT II.

DE NORMA ACTIONUM HUMANARUM, SEU DE LEGE IN GENERE.

§. I.

QVia actiones humanæ à voluntate dependent, voluntates autem singulorum non semper sibi similes & diversorum in diversa fere tendere solent, igitur ad ordinem & decorem in genere humano constituendum necessarium fuit, normam aliquam existere, ad quam istæ componerentur. Alias enim, si in tanta voluntatis libertate, tantaque inclinationum & studiorum diversitate quisque citra reflexionem ad certam normam ageret, quod ipsi in mentem veniret, non poterat non maxima confusio in genere humano existere.

Observ. 49.

Quia actiones humanæ) Post actiones humanas, naturali ordine, earum norma, seu lex, expenditur.

tur. Ejus *necessitatem* Autor attingit *h.* prolixius autem, quatuor rationibus, ab hominis *dignitate pravitate, ingeniorum varietate & imbecillitate* desumtis, ostendit in Op. Maj. *l.* 2. *c.* 1.

§. 2. Norma illa vocatur *Lex*, quæ *est decretum, quo superior sibi subjectum obligat, ut ad istius præscriptum actiones suas componat.*

Observ. 50.

Norma illa vocatur lex) Quæ necessario in *obligantem* & *Permittentem* distinguenda est, licet Grotius *de J. B. P. l.* 1. *c.* 1. §. 9. & Pufendorf in Op. Maj. *l.* 1. *c.* 6. §. 16. ac plerique alii, posteriorem negent, qui rerum moralium indolem & latitudinem, serio non expendisse, mihi videntur, nam *jura* non aliunde dependent, quam ex lege permittente, hinc effectus, veritatem causæ suæ, satis insinuat, quod nec ipse Grotius *d. c.* 1. §. 17. *n.* 2. diffiteri potuit, & cum jura & obligationes, pari passu fere ambulent, mirum est, cur legem permittentem non æque necessariam existiment, quam obligantem? sane sicut hæc requiritur, ut agere debeas, ita illa necessaria est, quo secure agere possis. Nec obstat (2) *permissionem non actionem, sed actionis negationem esse*, nam aliquando hoc verum est, sed non semper, Concessio juris, ac præcipue singularis, permissionis positivitatem satis ostendit (2) *de legis essentia esse obligationem*, nam, ex nimis stricto legis conceptu supponitur id, de quo controversia est.

Observ.

Observ. 51.

Quæ est decretum) Pertinet hæc definitio ad legem obligantem tantum, hinc addere liceat definitionem legis permittentis, nimirum hæc est *decretum, quo Imperans sibi subjectis jus dat, aliquid, si velint, licite & tutò habendi, agendi vel ab aliis postulandi.*

§. 3. Hæc definitio ut eo melius intelligatur, evolvendum est, quid sit obligatio; unde ea oriatur; quis obligationem recipere, & quis eandem alteri injungere queat. Vulgo igitur *obligatio* dicitur *vinculum juris, quo necessitate adstringimur alicujus rei præstandæ.* Scilicet injicitur per eam quasi frænum aliquod nostræ libertati, ut quanquam de facto voluntas in diversum tendere queat, intrinseco tamen per eandem velut sensu imbutam se deprehendat, ut ni præscriptæ normæ conformis sit actio edita, non recte se egisse cogatur agnoscere. Adeoque si quid mali eo nomine homini eveniat, non immerito id sibi accidere judicet; cum normam, prout par erat, sequenti istud evitasse licuerit.

Observ. 52.

Hæc definitio) Partitur hic Autor ea, quæ ad explicationem definitionis suæ necessaria existimat. Sed mihi, pro explicandâ utraque definitione, consideranda videntur (1) legis utriusque *effectus* (2) *subjectum* (3) *Autor* (4) *finis* & (5) *materia.*

Ob-

Observ. 53.

Vulgo igitur obligatio) Legis obligantis *effectus*, est *obligatio*, quam Autor expendit, *conf. l. 1. c. 6.* §. 5. Potest etiam dici, quod sit *vinculum legis seu morale, homines ad agendum & patiendum obstringens.* Permittentis vero, est *Jus*, i. e, *facultas moralis licitè & secure aliquid habendi* (hoc pertinet ad res) *agendi* (ad actiones proprias) *vel ab aliis postulandi* (ad actiones aliorum) De cætero pro ratione objecti, diversas sortitur denominationes, ut libertas, imperium, dominium, ususfructus, & ita porro, audiat. *vid. l. 1. c. 1.* §. 19. 20.

2. Obligatio & jus regulariter sunt correlata, hinc eadem ratione distinguuntur. Nimirum (1) ab *existentia*, jus & obligatio sunt vel *Connata* vel *Adventitia, vid.* Op. Maj. *l. 3. c. 4.* §. 3. 4. (2) ab *efficaciâ* vel *Perfecta*, ad quorum impletionem vis adhiberi potest, vel *Imperfecta*, quorum executio solo pudore & conscientia stat (3) â *duratione*, vel *perpetua* vel *temporaria d. c. 4.* §. 7.

3. De cætero in jus & obligationem omnes res seu entia moralia, quæ à legibus dependent, resolvuntur, utut Autor in Op. Maj, *l. 1. c. 1.* plura adstruere videatur. Debebant illa peculiari capite exponi, non tamen sub initium Disciplinæ juris naturalis, ceu Autori *d. l. 1. c. 1.* persuasum fuit, qui ordo illiquidam cognitionem arguit.

§. 4. Quod autem *homo aptus sit ad recipiendam obligationem*, duplex causa est: una quidem, quia is voluntatem habet, quæ sese in diversas partes flectere, adeoque & ad normam componere potest: altera, quia homo à potestate superioris non est immunis. Nam ubi alicujus agendi vires per naturam ad uniformem agendi modum sunt alligatæ, ibi libera actio frustra exspectatur: istique incassum præscribitur aliqua norma, qui eam neque intelligere, neque ad eandem sese componere potest. Si quis autem non agnoscat superiorem, eo ipso nemo existit, qui necessitatem eidem jure queat injicere. Et si maximè is in agendo certam rationem observet & à quibusdam actionibus constanter abstineat; id tamen non ex obligatione aliqua sed ex proprio beneplacito facere intelligitur. Sequitur ergo, ut ille obligationis sit capax, qui & superiorem habet, & normam præscriptam potest cognoscere, & voluntatem habet in diversa flexilem; quæ tamen, ubi norma per superiorem fuerit præscripta, sentiat, se ab ipsa non recte discedere. Quali natura hominem præditum adparet.

Observ. 54.

Quod autem homo aptus sit) Datur utraque lex *hominibus sub imperio constitutis*, in quibus adeò aptitudo legem admittendi requiritur. Eam

Au-

Autor, ex *usu rationis* & *subjectione* oriri putat *h. add. l. 1. c. 6. §, 6. 7. 8.* sed prior causa tantum, aptitudinem conciliat, posterior vero ad actualem legis existentiam pertinet, quæ duo hic sunt confusa.

§. 5. *Introducitur obligatio* in animum hominis *proprie à superiore* i. e. tali, cui non solum *vires* sunt malum aliquod repræsentandi contranitentibus; sed & cui *justæ* sunt *causæ*, quare postulare queat, ex suo arbitrio voluntatis nostræ libertatem circumscribi. Talia enim ubi in aliquo fuerint, postquam quid velit, significavit, necessum est, in animo hominis oriri metum reverentia temperatum: illum quidem ex potentia, hanc autem ex consideratione causarum, quæ etiam remoto metu allicere aliquem debebant ad istius voluntatem amplectendam. Qui enim nullam rationem allegare novit, quare mihi invito obligationem velit impingere, præter solas vires, is terrere quidem me potest, ut effugiendo majori malo ipsi tantisper parere satius ducam: sed eo metu remoto nihil amplius obstat, quo minus meo potius, quàm illius arbitrio agam. Contra qui rationes quidem habet, quare ego ipsi parere debeam, à viribus tamen malum aliquod mihi imponendi destituitur, ejus jussa impune à me possunt negligi; ni potentior aliquis hu-

jus auctoritatem proculcatam adſertum eat. Rationes autem, quare quis recte poſtulare queat, ut ab altero ſibi obtemperetur, ſunt: ſi ab iſto in hunc inſignia quædam bona ſint profecta; ſi conſtiterit, iſtum & bene huic velle, & rectius, quam ipſe valet, eidem proſpicere poſſe, ſimulque ſi actu iſte hujus directionem ſibi vindicet; & denique ſi quis ultro alteri ſeſe ſubjecerit, & in ipſius directionem conſenſerit.

Obſerv. 55.

Introducitur obligatio) Utriusque legis Autor eſt, *ſuperior*, ſcilicet ratione imperii, ſeu *imperans*, ad quem *prudentia* & *probitas* requiritur, ſi finem imperii conſideres, *vid. l. 1. c. 6. §. 11.* ſed in hac mortalium pravitate, requiſita illa conſiderari non ſolent, ſæpe etiam non poſſunt. Actu autem quis eſt Imperans, ſi habet (1) *juſtas imperandi cauſas* & (2) *vires ſufficientes juſſa tuendi*, quarum cauſarum neceſſarium concurſum Autor hic amplius oſtendit. *add. d. c. 6. §. 9. 12.*

Obſerv. 56.

Rationes autem quare quis) Sed quæ juſtæ imperandi cauſæ ſint, exponi debet. Autoris Philoſophia ambigua eſt, ac vix ſubſiſtit, ſi ultimam aſſertionem excipias. Breviter ſic dici poteſt: Juſtæ imperandi cauſæ duæ ſunt (1) *dependentia* ſubjecti ab Imperante, quæ quoad imperium divinum (2) *voluntaria ſubjectio*, quæ quoad humanum allegari debet.

2. Vi-

2. Vires sufficientes jussa tuendi, Deo sunt essentiales, sed in Imperante humano, oriuntur â consociatione multorum, vires suas ei offerentium, quo loco observandum non requiri præcise, ut actu, vires illas habeat, sed sufficere si jure sibi eas asserere possit, hinc â subditis perfidè destitutus, tamen pro legitimo Imperante haberi debet,

§. 6. Cæterum ut lex vim suam in animis eorum, quibus fertur, exserere possit, requiritur *cognitio cum legislatoris, tum ipsius legis.* Nemo enim obedientiam præstare valebit, si neque cui parere debeat, neque ad quid teneatur, noverit. Et legislatoris quidem cognitio est facillima. Legum quippe naturalium eundem esse auctorem, qui universi, ex lumine rationis constat. Nec civis ignorare potest, quis in ipsum imperium obtineat. Leges porro naturales quomodo innotescant, paulo post exponetur. Civiles autem leges per *promulgationem* publice & perspicue factam in subjectorum notitiam perveniunt. In quâ de duobus constare debet; tum quod lex eum habeat auctorem, penes quem summum in civitate est imperium; tum quæ sit legis sententia. Prius cognoscitur, si vel ipse legem sua voce promulget, vel autographo consignet, vel si id fiat per ipsius delegatos: quorum auctoritas frustra in dubium vocatur, si, constet,

 hoc

hoc cum munere, quod in civitate gerunt, esse conjunctum, & ipsos regulariter ad idem adhiberi; si istæ leges in usum judiciorum deducantur; si nihil contineant, quod summo imperio deroget. Ut autem sententia legis recte percipiatur, promulgantibus incumbit, quanta fieri potest perspicuitate uti. Si quid in legibus obscurum occurrat, ejus declaratio petenda abs legislatore, aut illis, qui ad jus secundum leges dicendum publice sunt constituti.

Observ. 57.

Cæterum ut lex vim suam) Legis permittendis *finis* est, ut subditi, si velint, licite & secure aliquid agere queant, quare iis concedit jus, cui in aliis respondet obligatio, lege obligante constituta. Possunt igitur subditi suo jure uti & non uti, unde tritum illud: *quilibet juri pro se introducto renunciare potest*. Legis vero obligantis *Scopus* est, ut juxta ejus præscriptum subditi actiones componant, qui ut obtineatur, lex subditis (1) *innotescere debet*, quod fit per *promulgationem* & *interpretationem* §. *6. h. add. l. 1. c. 6.* §. *4. 13.*

§. 7, Cujuslibet *legis perfectæ duæ partes* sunt: una, per quam definitur, quid sit faciendum, quidve omittendum: altera, per quam indicatur, quodnam malum sit propositum ei, qui præceptum intermittit, & interdictum

dictum facit. Nam uti propter pravitatem ingenii humani, in vetita tendere amantis, supervacuum est dicere *hoc fac*, si non facientem nil mali sit mansurum: ita absurdum est dicere, *pœnas dabis*, ni causa, quæ pœnam mereatur, præcesserit. Sic igitur omnis vis legis consistit in significando eo, quid superior à nobis fieri velit, vel non velit, & quæ pœna violatoribus legis sit constituta. Vis autem obligandi, i. e. intrinsecam necessitatem adferendi, & vis cogendi, seu, per pœnas ad observationem legum adigendi, proprie est in legislatore, & cui legum custodia atque executio est commissa.

Observ. 58.

Cujuslibet legis perfectæ duæ partes sunt) Ad obtinendum scopum modo memoratum, requiritur (2) ut *lex sit perfecta* i. e. parte *definitiva* & *vindicativa* constet §. 7. *h. add.* c. 6. §. 14. hæc tamen non in omnibus legibus eadem evidentia occurrit. Ut autem (3) in *legem latam subditi consentiant*, id necessarium non est, *vid. d. c.* 6. §. 13 *in fin.* solet quidem *observantiæ defectus*, à subditis nonnunquam allegari, sed non quasi consensus aut obsequium, ad autoritatem legi conciliandam, necessaria sint, verum ut, ex neglectu palam admisso, intelligatur, propositum dandæ legis, in Legislatore non fuisse serium.

§. 8. Illud, quod per leges alicui injungitur, debet non solum intra vires esse illius, cui leges feruntur, sed & utilitatem aliquam adferre sive illi ipsi, sive aliis. Nam uti sub comminatione pœnæ aliquid exigere velle ab aliquo, quod est & semper fuit supra ipsius vires positum, absurdum & crudele fuerit: ita supervacuum est, naturalem voluntatis libertatem constringere, si nulla in quemquam utilitas inde proveniat.

Observ. 59.

Illud, quod per leges) Legum *materia*, sunt actiones subditorum, quatenus earum directio iis est *possibilis*, juxta judicium Imperantis, *utilis* *§ 8. h.* ac *frequentius accidit vid. l. 3. 4. ff. de leg.* Dum autem actiones nominamus, personas & res, ad quas illæ respiciunt, non excludimus. Specialius dici potest, quod *jus naturæ obligans*, versetur circa *actiones*, *cum natura humana necessariam convenientiam vel pugnantiam habentes.* Reliquas, quæ *indifferentes* dici possunt, *lex naturæ permittens*, proprio beneplacito exerceri sinat, earum vero exercitium *lex positiva* divina & humana, nonnunquam, prout visum est, distinctius, circumscribat.

§. 9. Quanquam autem regulariter lex omnes legislatoris subditos complectatur, in quos materia legis quadrat. & quos legislator ab initio exemtos non voluit: interdum tamen contin-

contingit, ut ab obligatione legis aliquis peculiariter ſolvatur. Id quod *diſpenſare* vocant. Uti tamen diſpenſare ille tantum poteſt, cui legem ferendi & abrogandi poteſtas competit: ita cavendum, ne promiſcua & citra graviſſimas cauſas facta diſpenſatione autoritas legum convellatur, & invidiæ atque indignationi inter ſubjectos anſa præbeatur.

Obſerv. 60.

Quanquam autem) Leges arbitrariæ, aliquando ab Imperante mutantur, & quidem varia ratione, dum vel penitus & ſimpliciter tolluntur, vel iis lex contraria opponitur, vel aliqua pars aufertur, vel aliquid adjicitur, vel quidam ab earum obligatione eximuntur, ſeu de iis diſpenſatur, quam ultimam mutationem Autor refert.

Obſerv. 61.

Uti tamen diſpenſare ille tantum poteſt) Diſpenſandi jus ei competit, qui legem tulit, vel in hujus locum ſucceſſit, non tamen promiſcuè, hoc enim & lex naturalis & regulæ prudentiæ vetant.

§. 10. A diſpenſatione tamen multum differt *æquitas*, quæ eſt correctio ejus, in quo lex deficit ob univerſalitatem; ſeu dextra legis interpretatio, qua ex naturali ratione oſtenditur, caſum aliquem peculiarem ſub lege univerſali non comprehendi, eo quod alias abſur-

ſurdi quid inde foret ſecuturum. Nam quia ob infinitam varietatem omnes caſus neque prævideri, neque exprimi poſſunt; ideo judices, quorum eſt generalia legum decreta ad ſpeciales caſus adplicare, debent à lege excipere ejusmodi caſus, quos excepturus fuerat ipſe legislator, ſi præſens adeſſet, aut tales caſus prævidiſſet.

Obſerv. 62.

A diſpenſatione tamen multum differt æquitas) Accuratè loquendo, æquitas & interpretatio reſtrictiva differunt, illa enim eſt dictamen juris naturalis, quod leges poſitivas aut promulgatas rectè explicari præcipit, ne quis præter meritum, incommodum ſentiat, hæc vero eſt actus mentis, legem rite interpretantis & reſtringentis, qui æquitate dirigitur. Interim invaluit, ut æquitas & interpretatio reſtrictiva promiſcue accipiantur, ceu Autor hic facit, ac infra *c. 17. §. 12.* repetit. De cætero certum eſt, quod interpretatio iſta, & diſpenſatio plane differant; illa oſtendit, quod quis ſub lege nunquam fuerit comprehenſus, hæc ab obligatione legis quem eximit, illa fit ab interprete & judice, hæc â ſummo Imperante, illa fieri debet, hæc poteſt *vid. l. 1. c. 6. §. 17.* Grot. *de J. B. P. l. 2. c. 20. n. 25. 26. 27.* Verbo etiam id adjiciendum, quod leges poſitivæ cum *pacto* & *Conſilio* aliquam habeant convenientiam *vid. d. c. 6. §. 2. 3.*

§. 11. Por-

§. II. Porro à relatione & congruentia ad normam moralem actiones humanæ certas sortiuntur qualitates & denominationes. Et illæ quidem actiones, de quibus in neutram partem quid disponit lex, vocantur *licitæ* sive *permissæ*. Etsi quandoque in vita civili, ubi non omnia ad vivum possunt resecari, illa etiam licita dicantur, in quæ pœna fori humani non est constituta, etsi in se honestati naturali repugnent. Quæ porro actiones cum lege congruunt, *bonæ*, quæ discrepant, *malæ* vocantur. Sed ut aliqua actio bona sit, necessum est, ut ex omni parte cum lege congruat; ut mala sit, sufficit, si in una duntaxat parte deficiat.

Observ. 63.

Porro à relatione) A lege, actiones humanæ dicuntur *morales*; Est adeò moralitas, *affectio, quæ ex relatione ad legem, actionibus inest.* Eam Autor hic inseruit, sed seorsim & peculiari capite exponi illa merebatur.

Observ. 64.

Et illæ quidem actiones) Dupliciter moralitas spectari potest (1) ratione *modi*, quo lex de iis disponit, hoc sensu in *licentiam* & *necessitatem* distinguitur, unde actiones dicuntur *licitæ* & *necessariæ*. Illæ sunt, quarum suscipiendarum jus lex actu positivo concedit, non (ut malè Autor ex falsa hypothesi *vid. Observ. 50. n. 1.*) de quibus in neutram partem lex quid disponit, nam hæc descriptio saltem quadrat ad

actio

actiones imperfecte licitas, quarum mox Autor mentionem injicit verb. *etsi quandoque*. Hæ vero sunt, quas lex jubet vel prohibet, quæque adeo in *præceptas* & *prohibitas* amplius distingui possunt.

Observ. 65.

Quæ porro actiones) Deinde moralitas spectatur (2) ratione *actionum cum lege convenientiæ* vel *pugnantiæ*, quo respectu in *bonitatem*, *malitiam* & quam addendam censeo, *indifferentiam* dispescitur, unde actiones dicuntur *bonæ*, i. e. actiones voluntariæ, cum lege obligante ritè convenientes; Malæ i. e. actiones voluntariæ cum lege obligante pugnantes, & *moraliter indifferentes*, quæ ex vera legis permissione suscipiuntur, adeoque cum lege permittente conveniunt.

2. Sed ut penitius actionum indifferentium natura intelligatur, observandum, quod illæ triplici modo supponi possint, vel enim (1) actio dicitur *indifferens* ideo, quod *indifferenter quamvis legis dispositionem recipere queat*, hoc sensu non omnes actiones humanæ sunt indifferentes, sic v. gr. homicidium non potest permitti aut præcipi, quia cum natura humana necessariam habet pugnantiam. Doctrina, quæ contrarium asserit, *Indifferentissimus moralis* audit, ac in effectu legem naturalem omnemqne honestatem ante legem civilem negat, eoque nomine absurda censeri debet; Vel (2) quod *physice, citra respectum ad normam mora-*

moralem, consideretur, hoc sensu omnes actiones quamdiu illæ â lege abstrahuntur, recte Indifferentes dixeris; Vel (3) quod *â lege verè permittatur*, hæc ad differentiam cæterarum, *moraliter indifferens* dicitur de eaque paulo ante egimus. Potest illa etiam *negative bona*, seu *non mala* dici.

3\. Id vero inter scholasticos disputatur, *an etiam actio moraliter indifferens quoad invividua detur: seu an ulla actio indifferens occurat, si cum omnibus circumstantiis illa spectetur?* Vulgo cum Thomâ hoc negant, & tamen in vita civili, actiones indifferentes se asserere posse sibi persuadent, quod satis ridiculum censeri debet, quid enim proficis, si v. gr. saltationem dicas actum indifferentem, sed in abstracto, i. e. si eam abstrahas ab omnibus circumstantiis, â personis inquam, loco, tempore, fine, quid, hoc facto, in saltatione remanet? Actio igitur simpliciter â circumstantiis abstracta, est nonens, & qui adeo hoc saltem sensu actiones indifferentes asserunt, illi revera omnes negant, satius igitur fuerat, hoc aperte profiteri, quam verbis inanibus fucum facere, ac sibi aliisque illudere.

4\. Dubio procul igitur quæstio est affirmanda, vel enim plane non dantur actiones indifferentes, vel in individuo asseri debent. Nec obest ratio dissentientium: *omnem actionem individualem habere vel malum, vel bonum finem adeoque vel malam, vel boniam esse*, nam prius qui-

quidem verum eſt, ſed non ſimpliciter poſterius, actio, quæ bonum finem habet, eſt *bona ſenſu negante*, i. e. *non mala* ſeu *indifferens* quamdiu ſcilicet præceptum legis non adeſt, quod certè quoad omnes actiones, bonum finem habentes probari nequit. Liquet igitur, quod & ſententia contraria, & obiectio hæc, ex falſis hypotheſibus, juxta quas actionum moralitas, non ex lege, ſed circumſtantiis repetitur, deſcendat.

Obſerv. 66.

Sed ut aliqua actio bona ſit) Ut aliqua actio *poſitive bona* dici queat, utique ex omni parte, ſeu quoad omnes circumſtantias, cum lege congruere debet, ſed ſi in una parte deficiat, non ſtatim eſt *poſitivè*, ſed ſaltem *negativè mala*, i. e. *non bona* ſeu *præcepta*.

§. 12. Juſtitia autem quandoque eſt attributum *actionum*, quandoque *perſonarum*. Quando *juſtitia perſonæ* tribuitur, ſolet vulgo definiri, quod ſit *conſtans & perpetua voluntas ſuum cuique tribuendi*. Juſtus quippe vir dicitur, qui juſta faciendo delectatur, qui juſtitiæ ſtudet, ſeu in omni re conatur facere id quod juſtum eſt. Injuſtus contra, qui negligit cuique ſuum tribuere, vel id non debito ſuo, ſed præſente commodo, menſurandum exiſtimat Sic ut juſti hominis non paucæ poſſint eſſe actiones injuſtæ, & vice verſa. Juſtus

ſtus quippe juſta facit propter præceptum legis, injuſta non niſi per infirmitatem: injuſtus autem juſta facit propter pœnam legi adjunctam, injuſta per animi malitiam.

Obſerv. 67.

Juſtitia autem quandoque eſt attributum actionum quandoque perſonarum) Hoc non tantum de juſtitia, ſed in genere, de omni moralitate, bonitate ſcilicet & malitia, dicendum eſt. Nimirum moralitas, ſeu vitium (hæc enim coincidunt) tam in actionibus quam perſonis reperitur, nam exquenti illarum exercitio, hæ habitum virtutis & vitii acquirunt, quo loco de natura virtutis aliqua dicenda venient.

2. Virtus eſt *Habitus mentis*, ſeu ſtylo vulgari, *voluntatis*, *vivendi juxta leges.* Conſiſtit adeo eſſentia virtutis in *proclivitate ſervandi legem.* Peripatetici ſub involucro *mediocritatis* reverâ laudatum virtutis formale indicant *vid.* Jacob. Thomaſ. *diſſert.* de mediocritat, *Lipſ.* 1683. *hab.* §. 5. 18. 20. 24. ſed cum ejus neque nomen neque conceptus, rei ſignificandæ conveniat, iſta docendi ratio confuſam ac immaturam rei præſentis cognitionem redolens, nemini præjudiciis vacuo, temere probabitur, de quo plura dici poſſent, ſi inſtitutum pateretur.

Obſerv. 68.

Quando juſtitia perſonæ tribuitur) Virtus moralis generaliter ſuppoſita, diſtinguitur in *Pietatem*, quæ

quæ observat leges ad cultum divinum directò spectantes, & *Justitiam*, quæ officia hominibus debita rite explet, quo etiam collimat definitio juris Romani, Autori probata.

Observ. 69.

Justus quippe vir dicitur) Hæc doctrina ostendit, quod ad Justitiam *Habitus animi* requiratur, id quod in genere de virtute morali dicendum. De cætero raro ejusmodi habitus in hominibus occurrit, ac in vitâ civili nihil ferè, nisi qualem qualem virtutem in actionibus, requirimus, *vid. Prolegom. §. 22. 23.*

§. 13. Quando vero *justitia actionibus* tribuitur, tunc nihil aliud est, quam *recta adplicatio earundem ad personam*. Et justa actio, quæ ex proæresi, seu, à sciente & volente, adplicatur ad personam, cui illa debetur. Sic ut justitia actionum à bonitate in hoc potissimum differat, quod hæc simpliciter notet convenientiam cum lege; justitia autem præterea involvat respectum ad eos, in quos actio exercetur. Quo nomine etiam justitia virtus adversus alium dicitur.

Observ. 70.

Quando vero justitia actionibus tribuitur) Redit Autor ad moralitatem actionum, hinc pertexenda tractatio *Observ. 65*. Nobis ita videtur: Actio *bona* & *justa* coincidunt, frustra dissentiente Autore *h.* qui se ipsum in Op. Maj. *l. 1. c. 7. §. 4.*

refel-

refellere videtur. Uno nomine potest etiam dici *Officium*, quamvis hoc alterum moralitatis respectum, de quo *Observ. 64.* quoque includat *vid. Observ. 11.* Distinguitur ad exemplum Virtutis Personæ in *Piam*, quæ Deum, & *Justam in specie*, quæ homines respicit.

§. 14. Justitiæ divisionem non omnes eodem modo instituunt. Receptissima est divisio in *universalem & particularem*. Illa dicitur, quando quodcunque officium exercetur erga alios, etiam quod per vim, aut intentata in foro actione, exigi non poterat. Hæc autem est, quando alicui potissimum exhibentur, quæ ille suo jure postulare poterat; & hæc iterum solet dividi in *distributivam & commutativam*. Illa nititur pacto inter societatem & membra inito, circa participandum pro rata damnum & lucrum. Hæc autem nititur contractu bilatere potissimum circa res & actiones in commercium venientes.

Observ. 71.

Justitiæ divisionem non omnes eodem modo instituunt) Justitia, sive pro attributo personæ sive actionis supposita, commodissime à *legum diversitate* distinguitur in *Eminentem*, quæ observat leges imperfectas, & *Vulgarem*, quæ perfectas, illa, stylo Grotii *de J. B. P. l. 1. c. 1. §. 8.* dicitur *Attributrix*, hæc *Expletrix*.

Observ. 72.

***Receptissima est divisio in universalem & particularem*)** Justitia universalis, vel solo nomine submonente, non est aliqua Justitiæ species, sed potius tota Justitia, quæ ratione specierum subjectarum, *Universalis* dici potest. Interim invaluit, ut illo nomine certa aliqua species significetur, quæ inconcinna docendi & appellandi ratio Scholasticis originem debet *vid.* Jacob. Thomas. *Philosoph. Pract. annot. 109. ad. Tab. 24. n. 1.*

Observ. 73.

***Illa dicitur*)** In explicatione etiam illius divisionis non adeo consentiunt. Autor in Op. Maj. *l. 1. c. 7. §. 8.* ita eam explicat, ut Justitia Universalis cum Eminente, Particularis cum Vulgari coincidat, quæ explicatio etiam optima videtur, licet terminus *Universalis*, semper maneat inconcinnus, cum manifestum sit, quod utraque illa species, sit particularis. Sed §. 14. *b.* Particularem quidem pro Vulgari habet, sed universalem ita describit, ut non species, sed tota potius justitia sit. Dubio procul etiam Peripatetici Justitiam particularem strictius sumunt, quam ut Vulgari aut expletrici possit æquiparari. Ego in hac varietate, sequendam arbitror primam explicationem, ut Justitia *Eminens*, *Attributrix*, *Universalis*, ac *Vulgaris*, *Expletrix* & *Particularis* sint synonyma. Alias nihil sani ex vulgari illâ divisione facilè exsculpseris.

Ob-

Observ. 74.

Et huc iterum solet dividi in distributivam & commutativam) Hæc divisio Autoribus suis est explicatu difficilis, *vid.* Jacob. Thomas. *Ph. Pr. Tabb.* 23. Felden. ad Grot. *l.1.c.1.* §. 8. Pufendorf. §. 14. *h.* & *in* Op. Maj. *l.1.c.7.* §. 9. 10. Id tamen facile liquet, eam ab essentiâ Justitiæ esse plane alienam, ac meris niti accidentibus adeoque ex ignorantia veræ Virtutum normæ exortam videri, ut mirum sit, quare in ineptiis illis enucleandis, otio & ingenio Scriptores abutantur. Id sane fieri potest, ut ferente occasione, indeclamationibus præcipuè Scholasticis, Justitiæ aliquod addamus prædicatum, eamque dicamus *distributivam, commutativam, rectricem, Administrantem, correctoriam* aut simili elogio mactemus, sed inde exsculpere divisiones necessarias, iisque aliquam tribuere eruditionem, id verò insanum videtur.

2. Nobis igitur sufficiunt divisiones antea memoratæ, ad quas omnium virtutum exempla, quorum, pro ratione objectorum, numerus vel infinitus, vel certè indefinitus est, referri possunt. Undenarius Aristoteles numerus, quoad singulas virtutes insufficiens est, si autem summas earum species continere dicatur, virtutes intellectuales seu perfectiones Mentis à lege abstractas, & virtutes morales confundit, quoad has subordinationem necessariam negligit, ac tanta membrorum multitudine, parum artis ostendit, de qui-

bus omnibus plura dici possent, nisi instituti angustia id prohiberet.

3. Materia virtutis (ut post ejus divisionem adhuc quædam generalia addamus) triplex videtur, *lex*, *affectus* & *actio*, in hac enim & isto, illi attemperandis, illa occupatur. Virtutem consequitur *Animi tranquillitas*, atque hæc *virtutem*, scilicet, *actionem ex ea susceptam*, & *secutam animi tranquillitatem*, simul sumta, *summum hominis bonum*, de quo tot Philosophorum sunt sententiæ *vid.* Jacob. Thomass. *Ph. Pr. Tab. 5.* Becman. *lin. doctr. moral. c. 18. §. 1.* constituere arbitramur, circa quod, id etiam admonemus, male illud, Disciplinarum moralium Centrum constitui, ex quo præjudicio, inepta Earum distractio, ac inadæquata & contorta repræsentatio exorta est.

§. 15. Cognito quid justitia sit, facile etiam, quid *injustitia* sit, colligitur. Ubi observandum, quod actio injusta, quæ destinato ex consilio suscipitur, & per quam violatur; quod alteri perfecto jure debebatur, aut quod tali jure undecunque partum is possidebat, proprie *injuria* vocetur. Quæ triplici modo fit: vel si alicui denegetur, quod suo jure postulare poterat, (non si quid duntaxat ex humanitate aut simili virtute debebatur,) vel si auferatur, quod suo jure, adversus auferentem valente, tenebat; vel si malum aliquod alteri inferatur, quod inferendi potestatem non habeba-

bamus. Ad injuriam præterea requiritur destinatum consilium & malitia ejus, qui facit. Quæ ubi adfuerit, læsio alterius *infortunium* aut *culpa* vocatur, gravior aut levior, prout gravis aut levis fuerit socordia & negligentia, ex qua quis in alterum velut incurrit.

Observ. 75.

Cognito quid justitia sit, facile) Non de injustitia saltem, sed generalius de Vitio, quatenus illud actionibus vel hominib9 inest, agendū erat, hinc breviter illud supplebimus: Scilicet actio *mala*, de qua *Observ. 65.* diximus, etiam dicitur *injusta*, uno nomine *Peccatum, delictum* vel *injuria*, quamvis hunc terminum ex libertate academica, Autor §. 15. *h.* strictius supponat. Distinguitur in *impiam*, quæ Deum, & *injustam in specie*, quæ homines respicit *add. Observ. 70.*

2. Ex frequenti actionum malarum exercitio in hominibus oritur *Vitium morale*, quod est *habitus mentis, vivendi contra leges.* Consistit adeo ejus essentia in *proclivitate agendi contra leges*, in *defectu mediocritatis* perinde ineptè ejus formale constituitur, ac in mediocritate, formale Virtutis, *vid. Observ. 67. n. 2.* Distinguitur in *Impietatem*, quæ cultum divinum & *Injustitiam*, quæ officia hominibus debita negligit, *conf. Observ. 68.* Utriusque habitus sæpe inter homines est satis perfectus secus ac circa Virtutem contingere diximus *Observ. 69.* Injustitia amplius distingui potest in *Eminen-*

 tem,

tem, quæ leges perfectas spernit, ac Justitiæ vulgari opponitur, & *Vulgarem*: quæ leges imperfectas violat ac justitiæ eminenti contraria est *add. Observ.* 71. 72. 73. De cætero vitiorum numerus, pro ratione objectorum, indefinitus est, nec calculus Aristotelicus alicujus usus est *add. Observ.* 74.

3. Materia Vitii quoque sunt *lex*, *affectus* & *actio*, nam per hæc illam violare, vitii opus est. Ex *vitio* susceptam *actionem malam*, consequitur *conscientia inquieta*, quæ tria simul sumta, *summum hominis malum* efficiunt, quia iram Dei illi conciliant, ac miserandum istum statum, tristi applicatione ob oculos ponunt *add. Observ.* 74. *n.* 3. Vitium derelinquimus per *Resipiscentiam* i. e. recessum à vitio, cum proposito abstinendi *vid.* Becman. *lin. doctr. moral.* *c.* 12. §. 10. in cujus requisitis quousque ratio & religio Christiana consentiant, Theologorum est inquirere.

4. Illud tandem notandum, quod in actionibus bonis & malis, præter *qualitatem moralem*, de qua hactenus, etiam detur *quantitas moralis*, juxta illam, actiones sunt æquales, secundum hanc, sæpe inæquales, & una alterâ melior & pejor. Est autem quantitas illa, *Affectio, juxta quam actiones bonæ & malæ inter se conferri ac una alteri æqualis, vel ea melior aut pejor censeri potest.* Oritur eadem summatim, vel à *diverso voluntatis influxu*, vel â *legum*, quæ observantur, aut violantur *diversitate*. Vulgo ex

ex circumstantiis quantitatem repetunt, sed circumstantiæ, fundamenta modo nominata, saltem innuunt, hinc etiam non omnes in augenda vel minuenda actionum quantitate, alicujus sunt efficaciæ, sed prout fundamenta laudata præsupponunt, vel non *add.* Op. Maj. *l.* 1. c. 8. In ipsis etiam habitibus Virtutis & Vitii, dari diversam quantitatem, ex præmissis intelligitur, nam & illa ex diversitate *agendi consuetudinis* & *legis* resultat *add.* Thomas. *Ph. Pr. tab.* 27.

§. 16. Lex respectu autoris dividitur in *divinam* & *humanam*; illa abs DEO, hæc ab hominibus lata est. Sed si lex consideretur, prout necessariam & universalem congruentiam cum hominibus, vel minus, habet, dividitur in *naturalem & positivam*. *Illa* est, quæ cum rationali ac sociali natura hominis ita congruit; ut humano generi honesta & pacifica societas citra eandem constare nequeat. Unde & illa per rationis homini congenitæ lumen, & ex consideratione humanæ naturæ in universum investigari & cognosci potest. *Hæc* est, quæ ex communi conditione humanæ naturæ haut quicquam fluit, sed *abs solo legislatoris placito proficiscitur*: etsi nec ipsa sua ratione ac usu, quem certis hominibus aut peculiari societati generat, carere debeat. Est autem *lex divina*, alia *naturalis*, alia *positiva*. *Humana* autem omnis, presse accepta, *positiva* est.

Observ. 76.

Lex respectu Autoris dividitur) Poterit lex vel ratione *Autoris* vel *objecti* discerni, & altera divisio alteri adjungi. Sed commodissimum est, primum respectum sectari, ac ita species partiri: Lex est *divina* vel *humana*. Illa est *naturalis* & *positiva*, Hæc tantum *positiva*, ac vulgo in *universalem*, seu *Gentium*, & *Particularem*, seu *civilem* amplius discernitur. Singularum vel veritatem vel indolem deinceps spectabimus. A naturali autem incipiendum, quia positivis prior est, & sine ejus cognitione, positivæ solidè satis non possunt intelligi.

CAPUT III.

DE

LEGE NATURALI.

QUænam legis naturalis sit indoles, quæ necessitas, & quibus eadem præceptis in isthac mortalium conditione constet, planissime perspicitur, si quis naturam & ingenium hominis penitius perscrutatus fuerit. Sicuti enim ad accuratam legum civilium cognitionem plurimum facit, statum civitatis,

tis, moresque & ſtudia civium probe intellexiſſe: ita perſpecto communi mortalium ingenio, ſtatuque facile patebit, quibus legibus eorundem incolumitas contineatur.

Obſerv. 77.

Quænam legis naturalis ſit indoles) Juris naturalis indolem explicare, ſatis difficile eſt, cum res illa in ſenſus externos haut incurrat ac variis adeo ſcriptorum ſententiis ſubjecta ſit *vid.* Op. Maj. *l.2. c.3.* Kulpis *Colleg. Grot, diſſert.1.* Ex naturâ humanâ legem illam eſſe repetendam, parum quidem dubii habet, quo collimat §.1. *h.* ſed illud fundamentum rite excuſſiſſe, id verò non uſque adeo eſt expeditum. Nobis tria ſpectare placet (1) *an detur lex naturalis* (2) *quid ſit* & (3) *quodnam ſit ejus argumentum.*

2\. Datur (1) lex naturæ, quia Deus eſt, idem etiam genus humanum creavit, ejusque conſervationem vult, (quod etiam affectus cuivis inſitus, ſatis ſingulis inſinuat) Porro homines providentia ſua complectitur, in eos habet imperium, illosque ad legem recipiendam & obſervandam, aptos fecit. Ex his præſuppoſitis utique conſequitur, Deum dediſſe hominibus legem, quam velut normam conſervandi generis humani, in agendo reſpicerent, quæ termino, uti recepto, ita ſatis congruo, dicitur *Lex naturæ*, prout ejus veritas & indoles ex tractatu ſequenti amplius apparebit.

3. Eſt eadem (II,) vel *Conſtitutiva* vel *Permiſſiva*: Illa eſt *decretum voluntatis Divinæ, per rationem promulgatum, omnes homines exactiſſimé & immutabiliter obligans, ut actiônes voluntarias, cum naturâ humanâ, ad certum finem â Deo formatà, & liberâ hominum voluntate, licité amplius diſpoſita, neceſſario convenientes ſuſcipiant, non convenientes omittant.* Pro cujus definitionis explicatione ſex notanda (1) Legis naturalis *fundamentum* (2) *Autor* (3) *modus promulgandi* (4) *ſubjectum* (5) *objectum* (6) *effectus*, ſic enim hæ partes, ob ordinem Autoris, erunt locandæ,

§. 2. Id igitur homo habet commune cum omnibus animantibus, queis ſenſus ſui ineſt, ut ſe ipſo nihil habeat carius, ſeipſum ſtudeat omnibus modis conſervare; ut quæ bona ſibi videntur adquirere, mala repellere nitatur. Qui quidem affectus regulariter tantus eſt, ut reliqui omnes eidem cedant. Et quicunque hominis ſalutem impugnatum it, eum non poteſt non iſte averſari eouſque, ut etiam depulſo malo intentato plerumque odium, & cupiditas vindictæ adhuc remaneat.

§. 3. Aſt in eo præ brutis homo deteriore jam conditione videtur, quod vix ullum aliud animal tanta à nativitate imbecillitas proſequatur; ſic ut miraculi ſit inſtar futurum, ſi quis ad maturam ætatem pervenerit, niſi aliorum hominum auxilium accedat. Cum nunc

inter

inter tot inventa humanæ necessitatis adminicula, plurium annorum sollicita informatio requiratur, ut proprio quis marte victum & amictum sibi parare queat. Fingamus hominem, citra omnem ab aliis hominibus accedentem curam & culturam ad robustam ætatem provectum, cui nihil sit scientiæ, nisi quod ex proprio ingenio velut ultro pullulavit, eundemque ab omni aliorum hominum ope atque consortio in solitudine destitutum: sane vix miserabilius animal deprehendetur; elingue nimirum ac nudum, cui nihil aliud relictum, quam herbas radicesque vellere, aut sponte natos fructus legere, sitim fonte, flumine aut lacuna obvia levare, repellendis aëris injuriis antra subire, aut musco gramineve corpus utcunque tegere, tempus tædiosissimum per otium exigere, ad quemvis strepitum aut alterius animantis occursum exhorrescere, denique fame, frigore, aut per feram bestiam demum perire. Contra quidquid jam commoditatum vitam humanam comitatur, id omne ex mutua hominum ope redundavit. Sic ut post Deum O. M. nihil in hoc orbe sit, ex quo major utilitas homini provenire queat, quam ex ipso homine.

§. 4. Isthoc tamen tam utile invicem animal non paucis laborat vitiis, & non minore nocen-

nocendi facultate præditum est; quæ conjunctionem cum ipso reddunt satis ancipitem, magnamque requirunt cautionem, ne pro bono malum quis ab illo sortiatur. Jam primum major fere ad nocendum proclivitas in homine, quam in quovis brutorum deprehenditur. Nam bruta fere cibi desiderio & veneris efferantur, quorum utrique tamen facili negotio ipsa satisfacere possunt. Et eo desiderio sopito non temere in iras aut ad lædendum alios concitantur, nisi quis irritaverit. Ast homo animal est nullo non tempore in libidinem paratum, cujus stimulis longe frequentius vellicatur, quam conservandæ speciei necessarium videbatur. Ejusdem quoque venter non satiari duntaxat, sed & titillari vult; & sæpe plura adpetit, quam natura digerere valet. Vestibus ne indigerent bruta, natura prospexit: ast homo non ad necessitatem tantum, sed & ad ostentationem vestiri gaudet. Multi præterea affectus atque cupidines brutis ignoti, in mortalium genere deprehenduntur: superflua habendi libido, avaritia gloriæ & alios eminendi cupiditas, invidia, æmulatio, ingeniorumque contentio. Indicio est, quod pleraque bella, quibus genus mortalium colliditur, ob causas gerantur brutis ignotas. Atque ista omnia stimulare homines possunt & solent,

ut

ut ſibi mutuo nocere velint. Accedit in multis eximia quædam petulantia, & aliis inſultandi libido; quibus cæteri, etiam modeſto ingenio præditi, ſtudio ſe ac ſuam libertatem conſervandi ac tuendi, non poſſunt non offendi, ac ad reſiſtendum accingi. Quandoque etiam homines ad mutuas læſiones incitat inopia & quod præſens rerum copia cupiditatibus aut indigentiæ eorum non ſufficiat.

§. 5. Sed & maxima vis ineſt hominibus ad noxas mutuo inferendas. Nam etſi neque dentibus, neque unguibus aut cornibus ſint formidabiles, ut multa brutorum: tamen habilitas manus in efficaciſſimum nocendi inſtrumentum evaleſcere poteſt; & ſolertia ingenii aſtu & per inſidias graſſandi facultatem dat, quà aperta vi pertingere non licet. Sic ut facillimum ſit, hominem homini graviſſimum malorum naturalium, nempe mortem, inferre.

§. 6. Denique & in genere humano conſideranda eſt inſignis illa ingeniorum varietas, qualis in ſingulis brutorum ſpeciebus non cernitur; quippe quæ conſimiles fere inclinationes habent; parique affectu & adpetitu ducuntur. Aſt inter homines quot capita, tot ſenſus, & ſuum cuique pulchrum. Nec ſimplici aut uniformi cupidine, omnes agitantur, ſed multiplici & varie inter ſe mixto. Imò unus &

idem

idem homo ſæpe ſibi diſſimilis cernitur, & quod uno tempore concupivit, ab eodem alio tempore valde abhorret. Nec minor in ſtudiis, inſtitutis, & ad exſerendum animi vigorem inclinationibus varietas, quæ jam in infinitis fere vitæ generibus conſpicitur. Per quæ ne mutuo collidantur homines ſollicita temperatura & moderatione opus eſt.

§. 7. Sic igitur homo jam eſt animal ſui conſervandi ſtudioſisſimum, per ſe egenum, ſine auxilio ſui ſimilium ſervari impotens, ad mutua commoda promovenda maxime idoneum; idem tamen juxta malitioſum, petulans, & facile irritabile ac ad noxam alteri inferendam pronum non minus quam validum. Unde colligitur, eidem, ut ſit ſalvus, neceſſum eſſe, ut ſit ſociabilis, i. e. ut cum ſui ſimilibus conjungatur, & adverſus illos ita ſe gerat, ut ne iſto probabilem cauſſam accipiant eum lædendi, ſed potius ejusdem commoda ſervare & promovere velint.

Obſerv. 78.

Id igitur homo.) Juris naturalis *fundamentum* jam in ſenſu ſtrictiori, quatenus dictamina ejus inde ſaltem eruuntur, ſpectatur. Eſt autem, ut definitio innuit, *natura humana à Deo ad certum finem formata, ac libera hominum voluntate, licite amplius diſpoſita.* Spectanda igitur eſt natura (1) quatenus Deus eam formavit, (2) quatenus homi-

homines ipsi liberâ voluntate eandem amplius varié alterant,

2. Prius intelligi potest, si ad *finem* creationis respiciamus, hic autem vel in ordine ad *Deum*, vel *Homines* spectatur. Priori respectu, nisi fallor, ratio liquido intelligit, Deum intendisse sui *cultum* ac adeò hominis naturam formasse *religiosam*, ob hanc igitur voluntatem creantem, sequitur necessario dirigens seu lex naturalis, quæ homines, naturæ suæ convenienter, ad cultus divini exercitium, i. e. actiones, honorem, amorem & timorem Dei continentes, obligat, ut adeo ex natura hoc sensu spectata, aliqua juris naturalis pars: *Deum esse colendum*, certo satis colligatur, & verum sit hoc paradoxon: *Ob cultum homines obligari per legem naturalem ad cultum.*

3. Posteriori respectu, seu quoad homines, Deus in creatione, dubio procul, intendit *Eorum conservationem*, hinc formavit humanam naturam, *suæ conservationis studiosam* ac consequenter *sui amantem* ac *socialem*, ex qua dispositione, novam juris naturalis partem, *conservationi incumbendum*, ac in specie *exercendam esse Philautiam & socialitatem*, ratio colligit, de qua mox paulo explicatius agemus.

4. Sumitur igitur Philautia vel (1) pro fine â Deo intento, vel (2) aptitudine, seipsum amandi, vel (3) actuali sui ipsius amore, quemadmodum socialitas itidem significat (1) finem Dei (2) aptitudinem alios amandi & (3) actualem

lem aliorum amorem. Juxta duplicem priorem sensum, philautia & socialitas, est juris natural. fundamentum illudque antecedit, juxta tertium vero, est ejus objectum, illudque sequitur, ut iterum verissimum sit hoc paradoxon: *Ob philautiam & socialitatem, homines per legem naturalem obligari ad philautiam & socialitatem.*

5. Sed operæ pretium est, adhuc philautias & socialitatis considerationi insistere, nimirum quod Deus homines formaverit sui amantes & sociales, id brevissime & solidissime probatur argumento *intentæ conservationis*, utique enim, si Deus voluit generis humani conservationem, non potuit non humanam naturam sui amantem & socialem formare. Ex qua ratione simul patet, nec philautiam socialitati, nec hanc illi esse subordinandam, sed utramque in æquilibrio consistere ac propter generis humani conservationem requiri, *add. l. 2. c. 3. §. 16.*

6. Ad Autorem ut veniamus, ille Philautiam nullibi explicavit, quia eam ad fundamentum juris naturalis non pertinere censuit, quod tamen mihi haut probatur. Socialitatem verò, quam unicè laudato juri substernendam esse existimavit, tetigit in Op. Maj. *l. 2. c. 3. §. 15.* sed non satis exposuit, cum tamen vel maximè hoc fieri debuisset, nisi enim diversam ejus suppositionem accurate distinguas, juxta indicium *n. 4.* omnis, quæ inde suscipitur, demonstratio invalida est ac in perpetu-

petuum circulum agi, aut in infinitum exagitari poteſt.

7. Hominis autem naturam eſſe ſocialem, ita probat: Homo (1) ſeipſum amat §. 2. *h.* (2) citra aliorum auxilium eſt miſer (3) ad mutua commoda promovenda aptus §. 3. (4) ad nocendum proclivis §. 4. & idoneus, §. 5. (5) varius & mutabilis §. 6. ergo ſocialis §. 7.

8. Cæterum in hac demonſtratione id quidem veriſſimum, & in *d.* §§. ſatis probatum eſt, quod memoratæ affectiones, naturæ humanæ inſint, ſed quod ab iis ad ſocialitatem inferri queat, id non perinde liquidum. Videamus ſpecialius; *amor proprius*, amorem aliorum non ſtatim continet, cum potius hunc ſæpe expungat, Dicis, *amor proprius me impellit, quo ſim ſocialis, ac ab aliis bona conſequar!* Verum ita ſubordinatur ſocialitas Philautiæ, ac utilitas propria, ultimum juris naturalis fundamentum conſtituitur, quod tamen minime admittendum.

9. Sentit hoc incommodum Autor in Op. Maj. *l. 2. c. 3. §. 14. in fin.* dum inquit; *illud monendum, nos in eruenda hominis conditione, amori proprio priorem locum aſſignaſſe, non quod quilibet ſeipſum reliquis omnibus præferre debeat, aut omnia propria utilitate metiri, ſed quia amorem proprium naturaliter homo prius ſentit, quam aliorum curam:* Verũ non removet; non enim quæritur, an amorem proprium prius ſentiat homo, quam aliorũ curam, quod facilè conceditur,

tur, ſed an non, probata per amorem proprium ſocialitate, utilitas privata ultimum juris naturalis fundamentum conſtituatur, quod hactenus nondum eſt remotum.

10. Eo infirmior autem ab amore proprio deſumta probatio videri poteſt, ſi expendas, quod viceverſa Autor philautiam per ſocialitatem probare ſoleat, id quod ſatis liquet ex §. 13. *h.* & *cap. 5.* §. *1. h.* nam ita perpetuus committitur circulus, & ſubordinatio illa, intento â Creatore amoris proprii & alieni æquilibrio, repugnat.

11. Idem dicendum de *miſeria*, quæ ſocialitatem non infert, niſi per vitioſam ſubordinationem, hinc fictio §. 3. *h.* propoſita, latiusque explicata *l. 2. c. 2.* §. *2.* etiam ad demonſtrandam ſocialitatem nihil confert, cum totum argumentum in utilitatem propriam reſolvatur, ceu *Obſerv. 4.* jam oſtendimus.

12. *Aptitudo aliorum commoda promovendi*, quæ tertio loco laudabatur, ſocialitatem per ſe etiam non probat, nam non ſequitur: *aptus ſum ad alios amandos*, ergo *à Deo & natura ad hoc ſum deſtinatus*, nam aptus quis etiam eſt ad nocendum, nec tamen ideo hominis naturam, hoſtilem formatam dicere licet, ut adeò à ſola aptitudine, ſepoſito principio ſublimiori, ad habitum naturæ humanæ moralem, inferre non liceat.

13. Denique tantum abeſt, ut â *malitia* & *ingeniorum varietate*, quæ ultimo loco adducebantur,

tur, ad ſocialitatem inferre poſſis, ut potius illæ hanc manifeſtè deſtruant. Si de legis neceſſitate quæratur, ad illas affectiones rectè provocatur, quod fecit Autor *l. 2. cap. 1. §. 6.* aſt in probanda ſocialitate, nullas illæ habent partes.

14. Summa eò redit: demonſtrationis allatæ vel hic eſt ſenſus: *memoratas affectiones efficere hominis naturam ſocialem*, vel, *eas impellere, qua homo erga alios ſocialitatem exerceat*, juxta priorem, doctrina videtur falſa, juxta poſteriorem, ultimum fundamentum juris naturalis, conſtituit utilitatem privatam.

15. Quodſi tamen quis paulò mitius cum doctrina illa agere velit, dicere poterit, ex affectionibus memoratis, â poſteriori hominem colligere poſſe, quod ſibi ſolitudo aut illimitata philautia non conveniat, ſed potius in amore proprio, ſocialitate temperato, ejus ſalus & incolumitas conſiſtat, hoc cognito, ipſum, ſocialitatis veritatem, â priore, ex fine Creatoris, amplius inquirere & cognoſcere debere, quæ mitior ſententia ratione non caret.

§. 8. Hujus ergo ſocialitatis leges, ſeu, quæ docent, quomodo quis ſeſe debeat gerere, ut commodum ſocietatis humanæ membrum exiſtat, vocantur *leges naturales*.

§. 9. His poſitis adparet, *fundamentalem legem naturalem* eſſe hanc: *Cuilibet homini quantum in ſe, colendam & ſervandam eſſe ſocialitatem*. Ex

 quo

quo consequitur, quia qui vult finem, vult etiam media, sine quibus finis obtineri nequit: omnia, quæ ad istam socialitatem necessario & in universum faciunt, jure naturali præcepta; quæ eandem turbant aut abrumpunt, vetita intelligi. Reliqua autem præcepta sunt tantum velut subsumtiones sub hacce generali lege, quorum evidentiam lumen illud naturale hominibus insitum insinuat.

Observ. 79.

Hujus ergo socialitatis leges) Hactenus habitum naturæ humanæ, intuitu hominum ipsorum, declaravimus, exinde Ratio aliquam juris naturalis partem iterum colligit. Autor quidem ex natura sociali totam legem naturalem dependere censet §. 8. adeoque pro ratione hujus hypotheseos, eam quoque repræsentat. §. 9. Sed nobis & naturæ humanæ dispositio & lex naturalis, illi innexa, latius patere videtur, hinc ex hactenus declarato naturæ habitu, hanc legis partem; *incumbendum esse conservationi, adeoque philautiam & socialitatem exercendam*. saltem repetimus, ceu *Observ. præc. n. 3.* jam indicavimus.

2. Quo autem sensus memoratæ partis distinctius appareat, oportet eam expendere (1) ratione hominum viventium & inter se conversantium (2) vivorum erga mortuos (3) propagantium & propagandorum.

3. Pri-

3. Primo respectu exigit præceptum, ut *homines amorem proprium & alienum, in æquali gradu & reciproce regulariter exerceant*, quodsi autem certæ circumstantiæ eveniant, æquilibrium illud nonnunquam cessat, sicut etiam socialitas non est exercenda erga illum, qui delictis se eà indignum reddidit.

4. Secundo respectu probabile videtur, quod *homines vivi, mortuis quoque adhuc socialitatem* seu *amorem debeant*, in quantum scilicet hic in illos cadit, ob memoriam nempe pristinæ humanitatis ac spem resurrectionis, quam, ex scitis religionis revelatæ, supponere, nihil impedit. Juxta hæc igitur sepultura, velut medium exercendi amoris, jure naturali præcepta, devoratio verò mortuorum, aut abjectio, vel aliæ injuriæ prohibitæ nobis videntur, aliis tamen dissentientibus *vid.* Dn. Thomas. *J. J. D. l. 3. c. 10.* §. 7.

5. Tertio respectu, præceptum exigit, ut homines *genus suum propagent*, de quo dubitari nequit, cum intenta conservatio propagationem evidenter postulet, & *quidem eo modo, qui & naturæ propagantium sociali conveniat, & homines natos ad religiositatem, philautiam temperatam, & socialitatem optimè disponat*, quo quid specialius requiratur infra *ad l. 2. c. 2.* ostendere conabimur.

6. Hactenus exposuimus *habitum naturæ humanæ naturalem*, ac inde dictamina legis naturalis eruimus, Postea etiam ejus *habitus ad-*

ventitius confiderandus, quem innui *Obſerv. 78.* Nimirum ſalva intentione Dei, cui contravenire non debent, homines ſæpe liberâ voluntate, ſeu pacto, & lege poſitiva, habitum illum, quem vel in ordine ad Deum vel ſeipſos habent, augent, quo facto, præcepta legis naturalis etiam extenduntur, actioneſque, diſpoſitioni illi convenientes, exigunt.

7. Quodſi adeo hæc conjungamus, ſumma juris naturalis, ex naturæ humanæ habitu, naturali & adventitio fluens, hæc erit: *Cole Deum, exerce philautiam & ſocialitatem erga vivos & mortuos, nec non propagationi, naturæ humanæ attemperatæ, ſtude, conditioni tuæ vel naturali ael adventitiæ convenienter.* Ut adeo omnes homines, fini a Deo intento, actiones ſuas attemperare debeant,ſed modo nonnunquam diverſo,pro ratione ſcilicet diverſæ conditionis, perinde ſicut in automato, omnes quidem partes, juxta finem artificis operantur, ſed ſingulæ eo modo, qui earum diſpoſitioni convenit.

8. Quemadmodum autem homo, cum habitu phyſico ſpectatus, in certo aliquo ſpatio exiſtit, ita etiam ex habitu morali, quem hucuſque declaravimus, oritur aliquod ſpatium morale, ſeu *ſtatus*, qui adeo perinde, ac ipſa diſpoſitio, vel *naturalis*, in quo homines per naturam exiſtunt, vel *adventitius*, in quo propria voluntate conſtituuntur, eſt. Quo loco id etiam notandum, *finem à Deo intentum,*

ac

ac hinc *ortam humanæ naturæ dispositionem* & *statum* cohærere, ac sibi invicem subordinari, hinc res eodem recidit, sive illam, sive istam, sive hunc, pro fundamento juris naturalis habeas, quod vel ideò admonendum, ne quis, promiscuo illarum assertionum usu turbetur, vel iis, qui ita philosophantur, aliquam contradictionem vel variationem imputet.

9. Quodsi præceptis naturalibus simul satisfieri nequeat, tum ex fundamento hactenus tradito, etiam eorum *Prærogativa* dijudicari debet, quæ res his fere regulis nititur, (1) leges Deum respicientes, præferuntur iis, quæ ad hominum officia pertinent (2) de prærogativa præceptorum Socialitatis & philautias, ex utriusque gradibus judicandum, sive ejusdem, sive utriusque generis præcepta inter se committantur (3) si philautia & socialitas æqualis, facto alterius collidatur, illius causa est potior (4) idem est, si sine facto fiat collisio (5) quod si Philautia & socialitas inæqualis committantur, habenda ratio, quæ potior. De cætero neutiquam existimandum, quasi vera hic sit præceptorum pugna, apparens saltem est, nam concursus & prærogativa alterius præcepti efficit, ne aliud, extra concursum utique alias obligaturum, hac vice obliget.

10. Hæ sunt partes juris naturalis *directivæ*, quod attinet *Sanctionem*, certum est, quod eadem fiat *pœnis* & *præmiis naturalibus*, sed per *arbitraria præmia* lex naturæ non sancitur, bene ta-

men per *pœnas arbitrarias*, quia Deus utique serio voluit, ut dictamina legis naturalis serventur, hinc clausulam pœnalem præceptis naturalibus cohærere, ac Imperantes ad pœnas imponendas obligare, Ratio satis videtur insinuare, non tamen præcise pœnæ sunt imponendæ, multo minus earum determinatio ex ratione patet, quare & facultas definiendi pœnas, & 4
jus aggratiandi Imperantibus prout Reipublicæ utilitas hoc exigit, competit, nec cum obligatione memorata pugnat.

11. Hactenus de fundamento juris naturalis, quod maximè *nativum, verum, certum, adæquatum* ac *evidens* esse, & in utroque statu, *integro* & *corrupto* locum habere, ex dictis constat, quid enim magis naturale, certum aut perspicuum esse potest, quam jus naturale ex *naturâ rectè explicata* eruere? De aliorum sententiis satagit Autor in Op. Maj. *l. 2. c. 3.* quamvis omnes ad fundamentum præcise non pertineant. *Socialitatem* quod attinet, manifestum est, quod, qui ex eâ jus naturale repetunt, idem ex natura derivent, hinc etiam in explicatione fundamenti, â nobis socialitati aliquis locus relictus est. Interim philosophia, quæ eâdem, in demonstrando jure naturali, unice nititur, non placet, nam inadæquatè naturam humanam expendit, ipsam, etiam socialitatem non satis explicat ac probat, & vel inadæquate vel contorte, inde præcepta naturalia demonstrat. Quia tamen inter variam naturæ humanæ dispo-

spo-

spositionem, quâ religiosa, sui amans ac socialis est, eique innexa præcepta naturalia, arcta est connexio mutuusque respectus, hinc iis, qui socialitatem velut jurarunt, nunquam deerit color, quo principii sui sufficientiam se persuadere posse, sibi videri queant.

§. 10. Isthæc porro præcepta etsi manifestam habeant utilitatem, tamen ut eandem vim legis obtineant, necessum est præsupponi, DEUM esse, & sua providentia omnia regere; eundemque mortalium generi injunxisse, ut ista rationis dictamina tanquam leges, ab ipso vi congeniti luminis promulgatas, observent. Alias enim possent ea quidem fortasse observari intuitu utilitatis, sicut quæ à medicis regendæ valetudini præscribuntur, non autem tanquam leges; quippe quæ necessario ponunt superiorem, & quidem talem, qui alterius gubernationem actu susceperit.

Observ. 80.

Isthæc porro præcepta) Legis naturalis *Autor* est Deus, quod definitio nostra innuit. Ejus igitur existentia, imperium illudque actualiter exercendi voluntas, debet præsupponi, quæ omnia ab iis, qui contra atheos disputant, demonstrari solent, qua de re aliqua etiam ad *cap. seq.* dicenda erunt.

Observ. 81.

Alias enim possent) Si ab existentiâ Dei abstrahamus, certum est, quod dictamina antea rela-

ta, rationem legis non habeant, ea tamen,quæ homines ipsos respiciunt,non plane cessarent, utpote cum generis humani status & incolumitas, illa necessario expostulet, & hoc forte tantum voluit Grotius *de J. B. P. in prolegom.* §. 11. quamvis ille plerumque hoc nomine reprehendatur *vid.* Ziegl. *in not. ad d.* §. 11. Albert. *Comp. Jur. natur. p.* 1. *c.* 3. §. 21. Ex eo autem liquet, quod Atheus etiam suo modo jus naturæ asserere vel agnoscere queat.

§. II. Esse autem Deum legis naturalis auctorem, ex ratione naturali ita demonstratur, si præcise præsenti mortalium conditioni inhæreamus; non attendendo, an primæva conditio diversa ab hac fuerit, & unde ista mutatio provenerit. Cum natura hominis ita sit constituta, ut citra sociabilem vitam humanum genus incolume esse nequeat, hominisque animus notionum huc inservientium capax deprehendatur, & vero pateat,non solum genus humanum, uti aliæ creaturæ, originem suam DEO debere, sed & eundem istud utcunque jam constitutum providentiæ suæ moderamine complecti: inde consequitur, DEum velle, ut homo iis viribus, quas sibi præ brutis peculiares inesse sentit, ad naturæ suæ incolumitatem utatur, utque adeo à brutorum exlege vita, humana vita sit distincta. Id quod cum aliter, quam servata

vata

vata lege naturali, obtineri nequeat; intelligitur quoque, à DEO obligatum hominem ad iſthanc ſervandam, tanquam medium non ex arbitrio hominum inventum, ac ex eorum libidine mutabile, ſed expreſſe ab ipſo DEO huic fini procurando conſtitutum. Qui enim obligat ad finem, cenſetur quoqne eundem obligaſſe ad uſurpanda media fini neceſſaria. Sed & ſocialem vitam à DEO hominibus pro imperio injunctam eſſe, indicio eſt, quod in nullo præterea animante ſenſus religionis, aut metus Numinis deprehendatur, qui in animali exlege intelligi non poſſe videtur. Abs quo generatur tener admodū ſenſus in animis hominum non plane corruptorum, quo convincuntur, in legem naturalem peccando offendi illum, cui in animos hominum imperium eſt, & qui metuendus ſit, etiam ubi ab hominibus metus non impendet.

Obſerv. 82.

Eſſe autem Deum) Suppoſitâ Dei exiſtentiâ, demonſtratu non eſt difficile, quod Idem juris naturalis ſit auctor, cum enim Ille non aliter quam ex naturâ, & in ſpecie, ut generis humani Creator, cognoſcatur, ac genus humanum, ſine lege naturali, incolume eſſe nequeat, hinc facile colligitur, quod Idem, qui homines creavit, iis etiam legem naturalem obſervandam præſcripſerit, *vid. Obſerv. 77. n. 2.* Autoris demon-

monstratio primo quidem supponit, *ad naturam integram hic præcise non esse respiciendum*, quod verissimum, nam status integer & corruptus saltem differunt, quoad *perfectionem subjecti*, sed quoad *Autorem, juris naturalis constitutionem, fundamentum* & *principia cognoscendi*, nulla inter utrumque statum est differentia, hinc divina legis naturalis origo ostendi potest, sive integram sive corruptam naturam supponas, aut abstrahendo ab hoc discrimine naturam simpliciter intuearis.

Observ. 83.

Cum natura hominis ita sit constituta) Deinde demonstratio his partibus constat (1) genus humanum sine legibus naturalibus, ac præcipuè socialitatis, salvum esse nequit, (2) hominis animus notionum huc inservientium capax deprehenditur (3) genus humanum â Deo habet originem (4) Hic quoque illud providentiâ suâ complectitur, (5) ejus conservationem intendit, (6) in homine datur sensus religionis aut metus Numinis divini. Ex quibus sequitur (8) Deum generi humano legem naturalem dedisse. Quæ omnia satis certa sunt, quodsi tamen propositionem tertiam, quartam & quintam, primo loco colloces, deinde primam iis addas, denique secundam sextæ conjungas, tum demonstratio ordine planiori magisque naturali, decurret, propositionemque septimam liquidius exhibebit.

§. 12.

§. 12. Quod vulgo dicitur, isthanc legem natura notam esse, id non ita capiendum videtur, quasi in animis hominum jam nascentium inhæreant actuales & distinctæ propositiones circa agenda & fugienda: Sed partim quod illa per lumen rationis investigari possit, partim, quod saltem communia & præcipua capita legis naturalis ita plana & liquida sint, ut statim assensum inveniant, & ita animis inolescant, ut nunquam inde iterum deleri queant, utut forte homo impius ad sopiendas conscientiæ vellicationes eorundem sensum plane studeat extinguere. Quo nomine etiam in Sacris Literis cordibus hominum inscripta dicitur. Inde & cum à puero ex vitæ civilis disciplina eorundem sensu imbuamur; & vero recordari non possimus id tempus, quando primum eadem hauserimus, non aliter de ea cognitione cogitamus, ac si illa nobis nascentibus jam adfuisset. Id quod cuilibet etiam circa linguam ipsi vernaculam contingit.

Observ. 84.

Quod vulgo dicitur) Tertio circa definitionem nostram spectandus est *modus promulgandi*, nimirum per *Rationem* lex naturalis promulgatur, quod non ita accipiendum, quasi notitia laudatæ legis sit *connata*, sed quod per rationem humanam, ex diligenti naturæ humanæ contem-

templatione, *acquiri* eadem possit, prout fundamentum illud *Observ. 78. 79.* pluribus exposuimus, nam mens humana naturâ rudis, ac notitia connata, non naturalis sed miraculosa est, sed miraculi asserendi heic nulla suppetit ratio, eo autem sine sufficiente causâ admisso, hominibus malè feriatis aut fanaticis occasio præberetur, ægræ mentis deliria, notitiæ cujusdam connatæ prætextu, pro dictaminibus naturalibus venditandi *add.* Op. Maj. *l. 2. c. 3.* §. *13.* Cumberland *disquis. de leg. natur. prolegom.* §. *5* Thomas. *J. J. D. l. 1. c. 2.* §. *67.*

Observ. 85.

Quo nomine etiam in sacris literis) Vulgo tamen connata illa juris naturalis notitia, pietatis cujusdam specie blandiri, ac ideo probari solet, in ejusque confirmationem etiam adducitur *Rom. II. 15.* in quo Apostoli dicto urgent (1) vocem φύσεως, quæ externa principia excludat, 1. *Cor. II. 14. Gal. II. 15. Eph. II. 3. Jud. v. 10.* (2) inscriptionis, quæ habitui acquisito opponatur *Jer. XXIV. 7. XXXI. 33. vid.* Schertzer. *System. Theol. Loc. 9.* §. *12.* sed illa satis diluit Autor in Op. Maj. *d. l. 2. c. 3.* §. *13.* verb. *quæ à plerisque*, ostendens, quod per inscriptionem, saltem indicetur, *certa ac liquida cognitio*, non autem *modus eam obtinendi.*

Observ. 86.

Inde & cum à puero) Originem contrariæ sententiæ hic non malè explicat Autor, nimirum *cognitio in primâ pueritiâ haustâ*, apud incautos *noti-*

notitiam connatam facile mentiri poteſt, id quod exemplo linguæ vernaculæ amplius intelligitur.

2. Hic deſinit philoſophia Autoris, hinc cætera capita paucis addenda erunt. Quarto igitur ex noſtra Partitione, ſpectandum eſt *ſubjectum legis naturalis*, ſunt ſcilicet *omnes homines*, ceu definitio docuit. Ad bruta jus naturale non pertinet, vel enim penitus Ratione deſtituuntur, vel illâ ſaltem in eo gradu non gaudent, qui ad legis receptionem & admiſſionem requiritur, præterea hominum & brutorum aliquam eſſe quoad jura communionem, naturâ ipſa ſancitam, illud quidem nullo idoneo indicio oſtendi poteſt *add. l. 2. c. 3. §. 2. 3.*

3. Quinto *Objectum* quoque ſpectandum eſt. Conſtituunt illud, docente definitione, *actiones voluntariæ, cum natura humanâ, à Deo & homine ad certum finem formatâ, neceſſario convenientes vel pugnantes*, vel prout alii ex ſua hypotheſi loquuntur, *actiones, quæ cum natura ſociali conveniunt aut pugnant*. Circa eas autem de principio moralitatis, controvertitur, ſintne ſcilicet *illæ actiones moraliter bonæ & malæ, quia lex naturalis eas præcepit & prohibuit*, an *quia jam per ſe, & ſua natura, bonæ aut malæ ſint, lex illas præceperit aut prohibuerit?* Poſterius, adeoque moralitatem antecedentem, defendunt Scholaſtici eorumque aſſeclæ, ſed prius, atque ita moralitatem conſequentem, præcipue aſſeruit Pufendorf *l. 1. c. 2. §. 6. l. 2. c. 3. §. 4.* eamque ſen-

ten-

tentiam, in ſcriptis Eriſticis, amplius defendit.

4. Veriſſima eſt poſterior ſententia, quia omnis moralitatis cauſa eſt lex, adeoque ante eam, moralitatem propriè dictam aſſerere haut licet, diſſentientes ſane nunquam aliam moralitatis cauſam probabunt, nam ſepoſita lege, utilitatis quidem reſpectus, aliquid fieri vel omitti nonnunquam jubet, ſed exinde moralis honeſtas aut turpitudo non reſultat. Non obſtat (1) *ex moralitate illa conſequente ſequi, quod Deus legem naturalem mutare, & contraria officia, v. gr. homicidium doloſum aut pactorum violationem, hominibus injungere queat*, nam id non ſequitur, poſtquam enim Deo placuit formare hominem religioſum & ſocialem, non potuit aut poteſt ſibi ipſi repugnare, eidemquè officia naturæ contraria, injungere, ſed hominem naturæ ſuæ convenienter obligare debet; Procedit igitur objectio in determinatione moralitatis mere liberâ, non vero hypotheticè neceſſariâ, *vid. Obſerv. 65. n. 2.* I. (2) *eſſe igitur homicidium doloſum, adulterium, pactorum violationem, blaſphemiam, actus indifferentes, ſi legem removeas*, ita ſane, ſine ulla hæſitatione, dicendum, & id quidem, non tantum quoad actionis *materiale* (nam hoc etiam poſt legis prohibitionem, adeoque ſemper, indifferens manet) *ſed* & *formale* vid. *d. Obſerv. 65. n. 2. 2.* interim legis prohibitio hìc nunquam ceſſat aut ceſſare poteſt, hinc actus illi, ob perpetuam legis

legis prohibitionem, ſemper ſunt illiciti. Quodſi autem ſupponas profanam hypotheſin: *Deum non eſſe*, tum homicidium, adulterium, pactorum violatio ſimilesve actus, non tantum per ſpeculationem, ſed & revera erunt indifferentia, de blasphemià autem, nulla tum poterit eſſe quæſtio, quia negato Deo, illa eſt non ens, quamvis Zentgravius *in diſquiſ. de jur. natur. art. 8. §. 11. p. 241.* contendat: *malum eſſe, Deum convitiis proſcindere, ſi ne Deum quidem dari, vel maximè fingas*, Puſendorſio in *Vindic.* Zentgrav. §. *13. p. 59.* adducto, eo nomine merito irriſus.

5. Sicut autem controverſia illa in foro civili, aut circa determinandam actionum ſpecialium moralitatem, nullum habet uſum, ſed ad prima moralitatis principia, rite cognoſcenda, pertinet, ita facile etiam componi poteſt, ſi per moralitatem *antecedentem* intelligas actionum cum naturà humana convenientiam vel pugnantiam, per *conſequentem* vero, moralitatem proprie ſic dictam, quæ ex legis, convenientiam vel pugnantiam illam ſecutæ, diſpoſitione reſultet.

6. Tandem ſexto juris naturalis *effectus* etiam conſiderandus. Eſt ſcilicet *Obligatio*, & quidem (1) *univerſalis*, omnes homines obſtringens (2) *exactiſſima*, internam etiam animi puritatem exigens (3) *immutabilis*, quia naturam humanam, haut mutatam, vel mutandam, tanquam fundamentum, præſupponit, non-

nunquam tamen homo ipſe, cujus gratiâ obligatio introducta, fundamentum illud alterare valet, quo facto, obligatio ceſſat, quia extra illas circumſtantias nunquam obtinuit (4) *Ultra ſphæram hujus vitæ duratura*, eo ſcilicet ſenſu, quod ejus neglectæ, poſt hanc vitam ſit reddenda ratio, hoc uti religio chriſtiana aperte docet, ita idem, ſicut etiam primum & ſecundum, quod modo memoravimus, ex diligenti Legislatoris contemplatione, Ratio etiam ſibi relicta, colligere valet *add. Obſerv.5.*

7. Ex his adeò Definitio legis naturalis conſtitutivæ ſatis intelligi poteſt. Permiſſiva, *vid. Obſerv.77. n.3.* eſt *Decretum voluntatis divinæ, per rationem promulgatum, quo hominibus facultas moralis, actus cum natura humana neceſſario non convenientes vel pugnantes, ſuſcipiendi, conceditur.* Quodſi præcedentia capita, breviter etiam huc applicanda ſint, occurrit (1) *fundamentum*, eſt itidem *natura humana*, dum enim ratio inquirit & eruit, quid cum illa neceſſariam habeat convenientiam vel pugnantiam, adeoque faciendum aut omittendum ſit, eo ipſo etiam cognoſcit, quid naturæ indifferens, adeoque licitum exiſtimari debeat (2) *Autor*, pro quo *Deus* itidem agnoſcendus eſt (3) *promulgatio*, per *Rationem* lex permiſſiva quoque innoteſcit, juxta ea, quæ proximè *n.1.* diximus (4) *ſubjectum*, ad *omnes homines* illa pertinet (5) *objectum*, ſunt actiones indifferentes i.e. neceſſariâ, cum naturâ humanâ connexione vel pugnantiâ deſtitutæ,

tutæ, adeoque quamvis legis diſpoſitionem recipere aptæ *vid. Obſerv. 65. n. 2, 1.* denique (6) *Effectus*, ſunt omnis generis *jura*, connata & adventitia, ut libertas, inviolabilitas, dominium, imperium aliaque, quæ ut plurimum arbitrio hominis mutari, ac actiones, quæ hactenus legi permittenti ſuberant, obliganti ſubjici poſſunt.

§. 13. *Diviſio officiorum*, quæ ex lege naturali homini incumbunt, commodiſſime videtur inſtitui *ſecundum objecta*, erga quæ iſta ſunt exercenda. Quo intuitu illa in tres principales partes diſpeſcuntur; quarum prima tradit, quomodo ex ſolo rectæ rationis dictamine quis ſeſe debeat gerere *adverſus DEUM*; altera, quomodo *adverſus ſeipſum*, tertia, quomodo *adverſus alios homines*. Quanquam autem primario & directe ea præcepta legis naturalis, quæ ad alios homines ſpectant, ex ſocialitate, quam fundamenti loco ſubſtravimus, deriventur: tamen etiam indirecte officia hominis erga DEUM, tanquam Creatorem, inde deduci poſſunt, quatenus ultimum firmamentum officiis erga alios homines, à religione & metu Numinis accedit, ſic ut ſociabilis quoque non eſſet homo, ni religione foret imbutus. Et quia ſola ratio in religione ulterius progredi nequit, quam quouſque illa inſervit promovendæ tranquillitati & ſo-

cialitati hujus vitæ: nam prout religio salutem animarum procurat, ex peculiari revelatione divina provenit. Officia autem hominis erga seipsum ex religione & socialitate conjunctim promanant. Ideo enim quædam non pro absoluto suo lubitu homo circa seipsum disponere potest, partim ut cultor idoneus divini Numinis, partim ut commodum & utile membrum societatis humanæ esse queat.

Observ. 87.

Divisio officiorum) Tandem (III.) spectandum quoque est legis naturalis Argumentum *vid. Observ. 77. n. 1.* Autor illud recenset §. *13. h.* plenius summam legis obligantis, occasione fundamenti declarandi, exhibuimus *Observ. 79.* cui inprimis ex *d. Observ. n. 10.* addenda clausula poenalis indefinita. Summa autem legis permittentis hæc est: *jure tuo, si vis, utere.*

2. Generalia illa dictamina plures propositiones speciales comprehendunt, quæ dici solent *Conclusiones*; de cætero distinguuntur (1) in præcepta *absoluta*, quæ ante factum, & *hypothetica*, quæ post illud obligant (2) in *affirmativa* seu *præcepta in specie*, quæ actiones voluntati Imperantis convenientes jubent, & *negativa* seu *prohibitiones*, quæ repugnantes prohibent.

Observ. 88.

Quanquam autem primario) Censet autor etiam officia erga Deum, ex socialitate posse deduci,

ci, ſed *indirecte*. Verum vel ex hac confeſſione patet, deductionem illam recte ſe non habere, demonſtratio indirecta, nulla eſt demonſtratio, vel ſaltem vitioſa & parum naturalis.

Obſerv. 89.

Quatenus ultimum firmamentum) Sed hæc demonſtratio religionem ſubordinat ſocialitati, præterea illius uſum ſecundarium ſaltem oſtendit, hinc minus bona cenſeri debet.

Obſerv. 90.

Et quia ſola ratio in religione) Poſito quod Ratio, in cognoſcenda religione, intra ſphæram hujus vitæ præciſe ſubſiſtat, nec vitam futuram & ſalutem animarum intelligat, attamen illud falſum eſt, quod eam non aliter, quam ut vinculum vitæ ſocialis & civilis, cognoſcat, nam hoc ſane Ratio ſibi relicta certiſſime intelligit, quod religio primario ſit propter Deum, ſecundario vero vitæ ſocialis coagulum, cum igitur ex ſocialitate religio, quoad primarium uſum, demonſtrari nequeat, vitioſa cenſeri debet demonſtratio.

Obſerv. 91.

Officia autem hominis erga ſe ipſum) Si hæc officia ex religione & ſocialitate conjunctim promanant, ut hic dicitur, ſocialitatis inſufficientia, vel proprio teſtimonio agnoſcitur. Deinde verũ qvidem eſt, quod officia hominis erga ſeipſum, tam ex religioſitate quam ſocilitate repeti queant, eſt enim inter fundamenta, & iis innexa juris naturalis præcepta arcta connexio, ut dictum

Obs. 79. n. 11. attamen nulla apparet ratio, cur naturæ diſpoſitio, quâ ſui amans illa formata eſt, negligi, nec exinde laudata officia, demonſtratione planiſſimâ & maximè naturali, repeti debeant;

2. Hæc intelligendæ legi naturali ſufficere poſſunt, quo vero generalia moralitatis principia adæquate cognoſcantur, etiam de *Lege poſitiva* agendum erit, ſecus ac Autori viſum, qui de ea plane ſiluit. *vid. Obſerv. 76.* In genere eſt *lex, jure naturali præcepta ac prohibita confirmans, & permiſſa determinans.* Eſt eadem *divina & humana*, circa illam tria ſummatim conſideranda (1) *an* (2) *quid ſit* (3) *quæ ejus præcepta*, de cætero legis illius conſideratio ad Jurisprudentiam quoque pertinet, ne quicquam diſſentiente Feldeno *in not. ad* Grot. *de I.B.P. l. 1. c. 1. §. 15 p. 34.*

3. Datur (I) Lex divina poſitiva, quia Deus in homines habet imperium, & in S. literis actu multa promulgavit, quæ ratio ſibi relicta ignorat quæque adeo non poſſunt non eſſe arbitraria aut poſitiva. De veritate igitur legis hujus generaliter ſuppoſitæ dubitari nequit ab iis, qui autoritatem S. literarum admittunt, quamvis una vel altera ſpecies ab hoc aut illo aſſerta ab alio in dubium vocari, ſalva illa autoritate queat.

4. Quo autem (II) ejus indoles recte appareat, ſpecies primo inveſtigandæ videntur. Solet lex divina poſitiva varie diſtingui, plerumque
diviſio

divisio Grotii, qua in *universalem & particularem*, hæcque in *ceremonialem* & *forensem* dispescitur, probatur, sed illa insufficiens videtur. Potius igitur sic dicendum: lex divina positiva est vel *religiosa*, quæ cultum divinum directo respicit, vel *Politica*, quæ ad homines, in societate civili spectatos, pertinet.

5 Religiosa (1) â *materiâ* discernitur in *ceremonialem*, quæ modum colendi determinat, & *moralem*, quæ cultum ipsum dirigit (2) â *duratione*, in *temporalem*, qualis est ceremonialis *vid.* Grot: *de J. B. P. l. 1. c. 1 §. 16. n. 7. ibique* Ziegler *in not.* & *perpetuam*, qualis est moralis (3) â *subjecto*, in *particularem*, quæ Judæis, & *Universalem*, quæ omnib9 hominib9 data est, illius exemplum iterum est, Ceremonialis, licet alii id negent *vid.* Thomas. *J. J. D. l. 1. c. 2. §. 128.* hujus vero, Moralis.

6. Politica discernitur in *Universalem*, quæ omnibus hominibus data censetur, & *Particularem*, quæ in usum Reipublicæ Judaicæ, quamdiu illa cum peculiari suo habitu subsistere debuit, lata est. Prior â duratione, etiam *Perpetua*, posterior *temporalis* dici potest.

7. De legibus religiosis, nihil ulterius addimus, spectant enim ad Theologiam, dum ipsam religionem continent & dirigunt, Politicas vero juxta species modo relatas, distinctius paululum considerabimus. *Universalis* est *decretum voluntatis divinæ, expresse promulgatum, quo Deus*

omnes homines intuitu actionum indifferentium, exactissime obligat, vel iis licite quid agendi, jus concedit. Ejus *Autor* est Deus: *Promulgatio*, sub initium generis humani, Adamo & Noacho facta censetur, minimé vero tertia vice per Christum, ceu contendit Grotius *de J. B. P. l. 1. c.* 1. §. *15.* Illius *subjectum* sunt omnes homines. *Fundamentum* est liberrimum Dei beneplacitum, hinc etiam *voluntaria* vel *arbitraria* dicitur: *Materia* sunt actiones indifferentes. *Effectus* jus & obligatio, quæ universalis, exactissima, ultra sphæram hujus duratura, sed non immutabilis, hinc Deus de lege universali, quoad Judæos dispensasse censetur.

8. *Particularis* est *decretum voluntatis divinæ expresse promulgatum, quo Deus solos Judæos, intuitu actionum indifferentium exactissimé obligavit, vel iis jus aliquod concessit.* Quæ de *Autore*, *Fundamento* & *Materia* proxime diximus, illa huc etiam pertinent. *Promulgatio* vero per Mosen facta est: *subjectum* sunt soli Judæi, ac *Effectus*, Jus & obligatio particularis. Dicitur alias, prout hic supponitur, *lex forensis*; Quoad Judæos, adventu Messiæ, illa desiit, alias vero Gentes nunquam obligavit, hinc hodie idem ejus usus est, qui cujusvis rei historicæ, ut pro lubitu scilicet aliquid inde in utilitatem propriam vertere queamus *add.* Grot. *d. c.* 1. §. *16. 17.*

9. Posthæc dispiciendum (III) de argumento legis divinæ positivæ, in qua tractatione hoc agendum, quo juxta certa quædam indicia, legis

gis universalis & Particularis dictamina distinguantur. Quæ vulgo dari soleant κριτήρια, refert Ziegl: *ad* Grot. *l. 1. c. 2. §. 6.* sed iis non valde profeceris, nobis sic breviter videtur: Primo dispiciendum, an præceptum aliquod in S. Codice occurrens, sit *naturale* an *positivum*, quæ quidem dijudicatio non aliunde, quam ex solidâ legum naturalium cognitione, dependet. Si constet, positivum esse, tum inquirendum, an *universale* an *particulare* sit, cui dijudicando has regulas inservire arbitramur (1) *regulariter omnes leges à Mose propositæ, censendæ sunt particulares*, quia Populus judaicus peculiarem constituit civitatem, cui adeo soli de legibus Deus prospicere voluit (2) *tum vero universales erunt, si vel ante rempublicam judaicam datas esse appareat, vel Deus Gentiles, ob earum transgressiones, se punivisse profiteatur.* Universalitas igitur semper est probanda, pro particularitate vero praesumitur.

10. Juxta hæc igitur præcepta universalia politica sunt (1) lex pœnalis de homicida capitaliter puniendo *Gen. IX. 6.* (2) dispositio, qua marito imperium in uxorem conceditur *Gen. III. 16. I. Cor. XI. 3.* (3) leges connubiales *Lev. XVIII.* (4) Prohibitio Polygamiæ *Gen. II. 22. 23. I. Cor. VII. 2. seqq. I. Timoth. III. 2.* (5) Prohibitio divortiorum *Gen. II. 23.* Plures leges universales asseri, cum aliqua veri specie, non posse videntur, hinc reliquas omnes, quæ in S. Codice occurrunt, si naturales non sint, pro particularibus habe-

 mus,

mus, quas adeo prolixe commemorare opus non eſt.

11. Sunt, qui lege poſitiva univerſali divina (1) conſenſum parentum, ad nuptias liberorum, ſub pœna nullitatis requiri, (2) eadem etiam hierologiam in nuptiis exigi cenſeant, quemadmodum (3) ſolutionem decimarum illâ præcipi, ac (4) eſum ſanguinis vetari, denique (5) delicta carnis, ut adulterium, inceſtum & ſodomiam eâdem puniri arbitrantur, ſed illa ſine rationibus veriſimilibus aſſeri puto.

12. Quodſi diverſas illas legum divinarum ſpecies inter ſe compares; tum facile liquet, quouſque illæ vel conveniant, vel differant. Nimirum lex naturalis & poſitiva univerſalis conveniunt (1) quoad Autorem (2) ſubjectum (3) rigorem obligandi. Differunt (1) quoad promulgationem (2) objectum & (3) obligationis immutabilitatem. Poſitiva particularis autem, ſaltem convenit cum naturali, quoad (1) Autorem & (2) obligandi rigorem, in cæteris ab eâ differt. Denique in quibus lex poſitiva univerſalis & Particularis conveniant aut differant, ex *n. 8.* apparet.

13. Hæc receptior hodie, de lege divina poſitiva, eſt ſententia; Et inprimis Grotius primus fere, legem divinam poſitivam univerſalem aſſeruit, cum antea, ſub nomine legis moralis, cum jure naturali, fuerit illa confuſa. Ejus veritatem profeſſo ſtudio ſe eſſe demonſtraturum

rum promisit Kulpis *Colleg. Grot. exerc. 4. §. 6. lit. R.* sed non præstitit. *Dn.* Thomasius autem ejus dictamina copiosius *Institutionibus suis Jurisprudentiæ divinæ* inseruit. Cæterum sicut legis particularis, nulla est hodie autoritas, ita universalem negavit iterum Brücknerus *in Cons. matrim. in proœm. n. 26. seqq.* nec videtur plane improbabile, si dictamina, quæ hoc nomine laudantur, vel omnino negemus, vel ad jus naturale referamus.

14. Postea etiam de *lege Humana* quædam dicenda erunt. Solet illa â nonnullis distingui in *Universalem* seu *Gentium* & *Particularem* seu *Civilem*. Verum si, prout par est, per illam intelligas *legem humanam positivam universalem vel omnes, vel saltem* (largiamur enim hoc legis hujus Patronis) *moratiores gentes obligantem, ac â lege naturali & civili distinctam*, tum eadem rectius negatur, quia non occurrit Legislator, hinc negata causa meritò negatur effectus, nunquam enim vel omnes vel moratiores Gentes, conditâ civitate, alicui Imperanti se submiserunt, â quo lex aliqua universalis, diversa Gentes propriâ vi obligatura, proficisci potuerit.

15. Interim multi cum Grotio jus Gentium asserunt, quo fine urgentur (1) *definitio vid.* Grot. *l. 1. c. 1.* §. 14. verum illa nihil probat, cum etiam non entia fingi & definiri queant, hinc non sufficit dixisse, *jus Gentium voluntate multarum Gentium, vim obligandi accepisse*, sed ostendendum

dum est, quomodo negato Legislatore, & stante Gentium æqualitate, id fieri queat, quod sane nunquam ostendetur (2) *exempla variorum præceptorum*, quæ ad illud jus referri debeant.

16. Verum terminorum ambiguitate luditur, nam aliquando per jus Gentium intelligitur (1) *facultas moralis* ex lege naturali resultans (2) *ipsa lex naturalis*, aut in specie (3) *lex naturalis hypothetica*, quæ pacta Gentium expressa vel tacita similiaque facta dirigit, aliquando (4) *lex civilis nonnullarum Gentium, quæ saltem subditos ex voluntate Imperantis obligat, in diversis tamen civitatibus obtinet, ipsas vero Gentes neutiquam obstringit*, eo pertinet servitus Romanorum, nam hanc revera ex lege civili, sed nonnullarum Gentium esse, recte attendentibus facile intelligitur (5) *consuetudo Gentium illicita*, quo spectat immanitas bellica, quæ limites humanitatis excedit ac ultra modum grassatur, ea Grotio *jus Gentium externum* dicitur, qui summus hujus nominis est abusus, facta enim, quæ legibus divinis contraria sunt, jus seu legem efficere non possunt, utut feroces & ambitiosæ Gentes, jure se ita agere, videri velint (6) *consuetudo licita*, quo referendæ solennes bellorum indictiones, missiones Legatorum, quatenus jure naturali non præcipiuntur, usus certorum armorum & similia, atque hæc consuetudo in terminis nudi moris semper subsistit, nec unquam, propter defectum communis Imperantis, in legem pro-

propriè dictam, evalescere potest. Denique (7) *pactum tacitum* vel etiam *expressum*, sed hoc ex lege naturali vim suam sortitur, proprie autem lex non est, multo minus in genere & propria virtute obligat. Licet igitur jus Gentium juxta sensus memoratos admittamus, eo tamen, de quo unicè quæritur, illud non occurrere manifestum est *conf.* Pufendorf. *l.* 2. *c.* 3. §. 23.

17. Juxta hæc igitur lex humana tantum *particularis* seu *civilis* est, nam de hujus (I) *Veritate* dubitari nequit, cum, constitutis civitatibus, detur Imperans, à cujus imperio eadem proficisci queat. Est igitur (II) *Decretum voluntatis, signis arbitrariis declaratum, quo Imperans suæ civitatis subditos obligat, vel iis jus, aliquid licite agendi, concedit.*

18. Ejus *Autor* est Imperans, cui ob pactum fundamentale, imperium per legem naturalem legitimè est quæsitum. *Promulgatio* fit per signa arbitraria, facta scilicet & præcipue, verba. *Fundamentum* est utilitas Civitatis, legibus divinis consentanea. *Subjectum* sunt subditi, non ipse Imperans, quamvis ultro legibus propriis uti queat, imo nonnunquam ex regulis prudentiæ aut præscripto juris naturalis, eas observare teneatur. *Materia* sunt actiones possibiles & licitæ, si presse lex civilis accipiatur, nam aliàs illa etiam confirmat, quæ jure divino jam sunt constituta, id quod distinctius *l.* 2. *c.* 12. exponendum erit. *Effectus* est jus

jus & obligatio, illud ex lege permittente, hæc obligante deſcendit, de cætero nec univerſalis, nec exactisſima, nec immutabilis eſt, nec ultra ſphæram hujus vitæ, propriâ virtute durat. An autem leges injuſtæ vim obligandi habeant, vel ſaltem executorem â peccato abſolvant, peculiaris quæſtio eſt, quam *l. 2, c.* 12. §. 9. excutiemus.

19. Diviſio legis humanæ varia eſt, nam præter communem illam, qua in *permittentem* & *obligantem* diſcernitur, poterit (1) à *diverſa promulgatione* diſtingui, in *Expreſſam* & *Tacitam*, illa pro diverſitate ſtatus publici, varias poteſt habere ſpecies, *conſtitutionem Principis*, *SCtum* vel *Plebiſcitum*, Hæc *conſuetudo* dicitur, quo nomine tamen etiam alia ſignificantur & rarò, ſi calculus recte ſubducatur, conſuetudo ſeu lex tacita revera adeſt (2) â *ſubjecto*, in *Generalem* & *ſpecialem* 3) â *fundamento*, in *juſtam* & *injuſtam*, ut & *prudentem* & *imprudentem*, equidem injuſta & imprudens lex, nomen legis proprie non meretur, quia tamen in vita civili, earum conditio ſæpe dubia eſt, ideo hactenus inter ſpecies legum, locus aliquis iis relinqui poteſt (4) â *materia* in *humanam ratione autoritatis tantum*, quæ leges divinas obligantes confirmat, & *originis ac autoritatis ſimul*, quæ permiſſa, pro Reipublicæ utilitate, determinat, hæc, exquiſitè loquendo, humana eſt, illa vero divina, humanâ ſaltem autoritate confirmata.

20. Quod-

20. Quodsi leges humanas in sensu latiori, pro complexu scilicet legum in civitate valentium, cujuscunque demum sint originis, supponas, tum in *Publicas*, quæ statum reipublicæ, & *privatas*, quæ res privatas concernunt, distinguuntur, utræque à specialibus objectis, novas sortiuntur denominationes, ut *civiles*, *feudales* aut *Ecclesiasticæ* audiant. Omnia illa ex habitu Rerumpublicarum & imperii civilis resultant, ac adeo omnibus Gentibus sunt communia, nisi quod nonnunquam speciale objectum & hinc orta peculiaris legum denominatio in aliqua civitate occurrat, quæ alibi non reperiatur. Quod si adeò memoratæ divisiones in certa aliqua Jurisprudentia particulari, v. gr. Romana, proponantur, non ideo existimandum est, quasi isti Genti & Civitati sint propriæ, earumque cognitio unicè inde dependeat, quæ Legulejorum solet esse sententia.

21. Quod attinet (III) *argumentum legum humanarum, latius suppositarum*, occurrunt in civitatibus partim (1) *leges pure divinæ*, autoritate saltem humanâ confirmatæ, quod inprimis quoad leges publicas & fundamentales deprehenditur, partim (2) *leges merè humanæ*, quæ tam quoad partem definitivam quam vindicativam, unice ab imperio civili dependent, partim (3) *leges mixtæ*, ubi pars definitiva est à voluntate divina, sed sanctio pœnalis ab imperio humano, quæ omnia, intuitu certæ alicujus

Reipu-

Reipublicæ, ſpecialius perſequitur Jurisprudentia particularis.

22. Sic igitur hactenus Autor de *actione humana, lege, rebus moralibus conſcientia, virtutibus* ac *Vitiis* egit, licet non ſatis adæquate, quo fine ſupplementa aliqua exhibuimus, nec ordine ſatis naturali, quem tamen hactenus mutare non licuit. Explicanda nunc eſſet in parte præliminari, *interpretatio* & *applicatio vid.* prolegom. §. 25. ſed uti hanc nullibi attigit Autor, ita illam ad *cap. ult. l. 1.* rejecit, qvare nobis etiam utriuſque explicatio ad illum locum differenda erit, hoc tamen hic paucis monendum, aliam eſſe interpretationem *legum naturalium*, aliam *poſitivarum ſimiliumque actuum ſignis arbitrariis declaratorum*, illa nihil aliud eſt, quam actus mentis humanæ, quo veritatem & præcepta legis naturalis, ex diligenti naturæ humanæ contemplatione eruit, ſecundum ea, quæ hoc capite circa legem illam diximus, de qua adeo nihil amplius dicendum, cum ex conſuetis ratiocinandi principiis profluat. Hæc vero etiam quidem ratiocinationis ſpecies eſt, ſed cum voluntatem ex ſignis externis aliisque circumſtantiis colligere debeat, hactenus ſeorſim expendi debet, quo circumſtantiis, voluntatem ſignificantibus, animus aſſueſcat, eaſque obſervare diſcat.

23. Tranſeundum itaque eſt ad partem principalem, quæ argumentum legum divinarum exhi-

bet *vid.* Prolegom. §. 26. Hanc Autor ita instruxit, ut ordo quidem non plane improbandus sit, sed tamen ille in multis deficiat, qua in re nihil nobis jam mutare licet.

CAPUT IV.

DE
OFFICIO HOMINIS ERGA DEUM, SEU, DE RELIGIONE NATURALI.

§. I.

Officium hominis erga *DEUM*, quantum quidem ex naturali ratione investigari potest, *duabus partibus* absolvitur: tum ut de *DEO* recte sentiamus, tum ut actiones nostras ad ipsius voluntatem componamus. Inde religio naturalis constat propositionibus tum *theoreticis*, tum *practicis*.

Observ. 92.

Officium hominis erga Deum) Primo loco distinctius expendendum venit *praeceptum de Deo colendo*, quod commodissime fiet, si ipsum cultum in se spectemus, nam tum etiam praecepta specialia, pro ratione actuum variorum, formari possunt. In genere cultus notat *complexum actionum Deo debitarum*, & dicitur alias *Religio*;

quæ intuitu obligationis, â qua dependet & dirigitur, eſt vel *revelata*, vel *naturalis*, quæ hujus loci eſt, & ſummatim conſtat (1) *notitia Dei* (2) *cultu ſtrictè dicto* §. 1. *h. vid.* Hobbes. *de civ. c. 15.* Thomaſ. *J. J. D. l. 1. c. 5. §. 30.*

§. 2. Inter ea, quæ de *DEO* cuivis homini ſentienda ſunt, primum omnium eſt, ut certo perſuaſus ſit, D*EUM exiſtere*, i. e. revera dari ſummum aliquod & primum Ens, abs quo hoc univerſum dependeat. Id quod ſapientes ex ſubordinatione cauſarum, quæ demum in primo aliquo ſiſti volunt, ex motu, & ex contemplatione machinæ hujus univerſi, & ſimilibꝰ argumentis, liquidiſſimo demonſtrarunt. Quæ ſi quis neget abs ſe capi poſſe, non ideo atheiſmi ſui excuſationem invenit. Cum enim univerſum genus humanum in perpetua velut poſſeſſione iſtius perſvaſionis fuerit; neceſſum erat, ſi quis eandem oppugnare velit, ut non ſolum omnia argumenta, quibus DEUS eſſe probatur, ſolide deſtruat, ſed & plauſibiliores rationes pro aſſertione ſua proferat. Simulque cum generis humani ſalutem ea perſvaſione contineri hactenus creditum ſit, oſtendendum ipſi præterea fuerit, generi humano per atheiſmum melius conſuli, quam retento ſano cultu Numinis. Quod cum fieri nullo modo queat, omnium eorum, qui iſt-

hanc

hanc convellere quocunque modo aggrediuntur, impietas maxime est detestanda, & gravissimis pœnis coërcenda.

Observ. 93.

Inter ea, quæ de Deo) Naturalis notitiæ de Deo hæc fere sunt capita (I) *Deum existere.* Existentiam vulgo probant, per principia tum *interna*, provocantes ad conceptum de Deo, quem unicuique insitum dicunt, quem tamen alii negant, tum *externa*, quæ desumuntur (1) â creatione & conservatione, vel creaturarum in genere, vel in specie humani generis §. *2. h.* (2) omnium gentium consensu *vid.* Albert: *Comp. Jur. nat. p. 2. c. 1.* §. *2.* Grot. *de V. R. C. l. 1, per tot.* quæ demonstratio, Scholasticorum stilo, *via causalitatis* dicitur ac priori præstat, de cætero una saltem est, nam consensus Gentium, non tam nova probatio est, quam potius demonstrationis, ex natura desumtæ, agnitio. Licet vero universa mundi machina, Autorem aliquem liquido satis arguat, adeoque ratio humana de Ejus *existentiâ* satis persvasa sit, attamen *modum existendi* & *creaturæ productionem*, sibi relicta non intelligit.

Observ. 94.

Quæ si quis neget abs se capi posse) Qui notitiam illam negat, Atheus dicitur, qui atheismum & *veriorem*, & generi humano *utiliorem* probare debet; si quidem non tantum excusationem

invenire, quod Autor dicit, sed & atheismum religioni præferri, velit.

Observ. 95.

Quod cum fieri nullo modo queat) Hæc ex præcedentibus non penitus sequuntur, detestabilem esse atheismum concedi debet, sed ideo gravissimis poenis eum coërcendum esse, non sequitur, vi & poenis notitia Dei nemini invito ingeri potest: Errantis poena est doceri, exitus Deo est commendandus.

§. 3. Alterum est, *DEUM esse universi hujus conditorem.* Cum enim ex ratione manifestum sit, isthæc omnia non extitisse à seipsis, oportet ut eadem summam aliquam causam habeant. Quæ ipsa est id, quod *DEUM* appellamus. Ex quo consequitur, falli eos, qui subinde *Naturam*, tanquam ultimam omnium rerum & effectuum causam, crepant. Nam si per id vocabulum intelligitur efficacia illa & vis agendi, quæ in rebus conspicitur, illa ipsa utique autorem sui, i. e. *DEUM* arguit: tantum abest, ut ejus vis ad negandum *DEUM* quid valere possit. Sin autem per *Naturam* intelligatur summa rerum omnium causa, ex profano quodam fastidio defugitur plana & recepta DEI adpellatio. Errant quoque illi, qui credunt DEUM esse aliquid eorum, quæ in sensus incurrant, & præcipue *sidera*. Nam

hæc

hæc omnia ſubſtantia ipſorum arguit, non eſſe primum aliquod, ſed ab alio ortum. Nec minus indigne de *DEO* ſentiunt, qui eum *mundi animam* dicunt. Anima enim mundi, qualiscunque illa demum ſit, partem mundi notat: pars autem rei quomodo ejusdem cauſa, i. e. prius aliquid eſſe potuit? Quod ſi autem per animam mundi intelligatur primum illud & inviſibile, à quo omnium rerum vis & motus dependet, pro plano vocabulo obſcurum & figuratum nomen ſubſtituitur. Ex hoc ipſo quoque adparet, *mundum non eſſe æternum.* Id enim abhorret a natura ejus, quod cauſam habet. Et qui mundum æternum aſſerit, aliquam ejus cauſam negat, & ſic ipſum DEUM negat.

Obſerv. 96.

Alterum eſt) Ad notitiam naturalem pertinet (II) *Deum hujus univerſi eſſe conditorem* §. 3. *h.* quod quidem eâdem, qua caput præcedens, demonſtratione nititur, cum enim Deum non aliter, quam ex naturâ, cognoſcamus, hinc eodem argumento edocemur, & Deum exiſtere, & hoc univerſum condidiſſe.

Obſerv. 97.

Ex quo conſequitur, falli eos) Qui naturam omnium rerum ultimam cauſam crepant, eos vel in terminis ludere, vel Deum negare, Autor oſtendit. De cætero cum tanta ſit Rationis

humanæ imbecillitas, ut universum Naturæ ambitum emetiri illa non valeat, hinc iis, qui bona fide, sine malitiâ, dubitant, proterve insultandum non erit, illud certum videtur, quod ingenua imbecillitatis humanæ agnitio, heic præstet tumidâ Scholasticorum sapientia, qui, licet nihil intelligant, sed ut plurimum inania verba fundant, tamen res divinas, ad minutissimos usque apices se intelligere, videri volunt.

Observ. 98.

Errant quoque illi) Deum non esse aliquid eorum, quæ in sensus incurrunt, Ratio hominis satis intelligere videtur, nam si certam aliquam rem, in sensus incurrentem, pro Deo habere velit, nullam inveniet causam, quare non eodem jure, alii, Deitatem tribuere possit, quo ipso sententiæ falsitas patet. De cætero qui Deum sensualem asserunt, illi quidem seriam, de Dei existentiâ, persvasionem habere possunt, quia tamen talis reverâ non occurrit, ideo & ista doctrina in atheismum desinere videtur, nisi malis dicere, sub falso saltem conceptu, ens aliquod incomprehensibile, reverâ asseri.

Observ. 99.

Nec minus indigne de Deo sentiunt) Circa hanc & sequentem sententiam, repetenda, ea quæ *Observ. 97.* dixi. Peculiaris etiam quæstio est, *an mundus sit infinitus?* quæ licet forte non rectè asse-

afferatur, attamen Ratio hominis, terminos vel fines ei assignare nequit.

§. 4. Tertium est, ***DEUM tum in universum mundum, tum in genus humanum regimen exercere.*** Id quod ex admirabili & constanti ordine, qui in hoc universo cernitur, liquido adparet. Quoad effectum autem moralem perinde est, utrum quis neget, DEUM existere, an ab eodem humana curari; cum utrumque omnem religionem plane tollat. Frustra enim metuitur aut colitur, ut ut in se sit præstantissimus, qui nulla plane nostri cura tangitur, & nihil boni malique in nos vult, aut potest conferre.

Observ. 100.

Tertium est) Ulterius ad notitiam naturalem spectat (III) *Deum in hoc universum regimen exercere* §. 4. h. quod itidem eâdem, quà præcedentia capita, probatione ostenditur, nam cum Deum non aliter, quam ex natura intelligamus, hinc & Deum existere, & esse universi hujus Autorem & Gubernatorem, eadem ratione cognoscimus.

Observ. 101.

Quoad effectum autem moralem) Sicut ineptum est, Deum asserere, & tamen ejus providentiam negare, cum hac ratione, juxta conceptus pueriles, vel ludibundi pictoris, Numen repræsentetur, ita ista doctrina, quoad effe-

ctum, cum Dei negatione coincidit, quod quoad alias sententias falsas, providentiam divinam tamen non negantes, secus est.

§. 5. Quartum est, *nullum attributum in DEUM cadere, quod aliqvam imperfectionem involvat.* Cum enim ille omnium rerum caussa sit & origo, absurdum foret, creaturam ipsius aliquam sibi posse perfectionem animo concipere, quæ abs DEO abesset. Imo cum istius perfectio infinitis modis exsuperet captum tantillæ creaturæ, eandem terminis potius negativis, quam positivis, exprimere par erit. Inde DEO haut quaquam sunt tribuenda, quæ *finitum aut determinatum*, quid notant: quia finito majus semper attribui potest. Et omnis determinatio ac figura terminos ac circumscriptionem involvit. Quin nec dicendus est distincte & plene comprehendi aut *concipi nostra imaginatione*, vel quacunque facultate animæ nostræ; quia quicquid animo distincte & plene concipere valemus, id finitum est. Neque vero ideo, quia DEUM infinitum dicimus, ejus conceptum plenum animo tenemus: cum infinitum proprie non notet aliquid in ipsa re, sed impotentiam in animo nostro: ac si diceremus, non capere nos magnitudinem ejus essentiæ. Inde nec recte dicitur, quod *partes* habeat, aut sit *totum* aliquod;

quod; quia hæc attributa finitorum ſunt: neque quod *in loco* aliquo contineatur; quia hoc innuit fines & terminos magnitudinis: neque quod *moveatur* aut *quieſcat*; utrumq; enim ſupponit eſſe in loco. Sic nec Deo proprie attribui poſſunt, quæ *dolorem* aliquem aut *paſſionem* notant, (*proprie* dico; nam ubi talia Deo attributa leguntur, id fit ἀνθρωποπαθῶς pro effectu, non affectu) ut eſt ira, pœnitentia, miſericordia. Item, quæ *egeſtatem & abſentiam* alicujus boni notant, ut eſt adpetitus, ſpes, concupiſcentia, amor cupidinis. Nam hæc involvunt indigentiam adeoque & imperfectionem: cum intelligi non poſſit, ut quis adpetat, ſperet, cupiatve, niſi quibus indiget, caretve. Sic & quando Deo tribuitur *intellectus*; *voluntas*, *ſcientia*, & *actus ſenſuum* viſio, auditio, illa longe ſublimiori modo ſunt capienda, quã quo nobis inſunt. Nam voluntas eſt adpetitꝰ rationalis: appetitꝰ autem præſupponit abſentiam & indigentiam rei congruentis. Et intellectio ac ſenſus in hominibus involvit paſſionem, per objecta in organa corporis & potentias animæ impreſſam; quod eſt indiciũ potentiæ ab illo dependentis & conſequenter non perfectiſſimæ. Denique & illud à perfectione divina abhorret, ſi dicantur *plures uno Dii*. Nam præterquam quod admiranda mun-

di harmonia unum duntaxat ejus moderatorem arguit, etiam finitus tunc foret Deus, si plures essent paris potestatis ab ipso non dependentes. Sic ut contradictionem involvat, plura dari infinita. Quæ cum ita sint, maxime rationi congruum est, circa attributa DEI utcunque exprimenda uti nominibus vel *negativis*, ut infinitus, incomprehensibilis, immensus, æternus, i. e. principio & fine carens: vel *superlativis*, ut optimus, maximus, potentissimus, sapientissimus, &c. vel *indefinitis*, ut bonus, justus, creator, rex, dominus, &c. eo sensu, ut non tam velimus, quid sit, distinctè dicere, quam nostram admirationem & obedientiam qualicunque expressione profiteri; quod est signum animi humilis, & animi honorantis quantum potest.

Observ. 102.

Quartum est) Denique notitiæ naturalis caput est (IV) *Deum esse aliquod ens plane diversum ab iis quæ sensibus & intellectu nostro comprehendi possunt* §. 4. n. Pertinet hoc ad Dei *essentiam*, sicut autem mens humana, circa *modum existentiæ divinæ* cœcutit, ita circa *essentiam Dei* nihil etiam illa positive intelligit, hoc quidem recte asserit, Deum esse aliquod *Ens rationale*, sed de substantia rationali aut cogitante, nullum conceptum positivum habet. Scholastici aliàs Essentiam divinam duplici via, *negationis* scili-

ſcilicet & *eminentiæ* (nam via *cauſalitatis*, quæ inſuper laudari ſolet, ad exiſtentiam Dei pertinet) repræſentare ſolent, quam methodum exagitat *Dn.* Thomaſ. *J. J. D. l. 1. c.* 3. §. *54. ſeqq.* Interim Autor in effectu duplicem illam viam hic quoque agnoſcit, nec improbari illa poteſt, ſi eò ſaltem referatur, ut per eam, non quid Deus ſit, ſed quid non ſit, cognoſcere nos poſſe dicamus.

Obſerv. 103.

Deniq; & illud) Plures Deos ratio aſſerero nequit, hæc enim aſſertio liquidã Dei cognitionẽ præſupponit, qualis in mẽte humana nõ occurrit. An vero Gentiles prudentiores plures Deos revera aſſeruerint, ac vulgari ſuperſtitioni ſeſe hac in parte attemperaverint, an vero ejusdem Numinis diverſas virtutes & operationes, diverſis ſaltem nominibꝰ inſigniverint, illud aliis indagandum & expediendum relinquimus.

Obſerv. 104.

Quæ cum ita ſint) Egregium eſt hoc monitum, omnem ſcilicet de Deo Philoſophiam, ita eſſe adornandam, ut illa non tumidam aliquam ſapientiam præ ſe ferat, ſed imbecillitatem mentis humanæ ingenue agnoſcat ac divinitatis incomprehenſibilitatem admiretur, contra quod philoſophia Scholaſticorum valde impingit.

2. Notitiæ de Deo opponitur (1) *falſa de Deo ſententia*, quæ ſeriò quidem Deum agnoſcit, ſed con-

conceptus falsos, ac ex ratione refutandos, de eodem fovet (2) *atheismus theoreticus*, qui Dei existentiam negat, ac in *apertum*, qui diserte Deum inficiatur, & *obliquum*, qui implicite & oblique Deum removet, distinguitur, cujus exempla Autor in §. §. *praeced.* adduxit; Eo scilicet pertinet doctrina, quæ (1) naturam ultimam rerum causam dicit, (2) Deum mundi animam (3) mundum æternum asserit (4) providentiam divinam negat *add.* Hobbes. *de civ. c. 15. §. 14.* (5) fatum Stoicum comminiscitur *vid.* Thomas. *J. J. D. l. 1. c. 3. §. 87.* & si quæ alia ejus generis dogmata occurrunt. De cætero impossibile est, ut atheismus ita existat, ut quis liquido persuasus sit, Deum non existere, ut vero mens humana, rerum harum difficultate velut oppressa & desperabunda, rem in medio relinquat, id possibile est.

3. Quando igitur Homo, ex natura, istam de Deo notitiam est consecutus, tum facile quoque intelligit, se per legem naturalem obligari ad illam conservandam, ac ei oppositum atheismum vitandum, ex quo liquet, hunc non tantum esse peccatum imprudentiæ ceu contendit Hobbes. *de civ. c. 14. §. 19.* sed & injustitiæ, repugnat enim idem obligationi naturali.

§. 6. Propositiones *practicæ* religionis naturalis versantur partim *circa internum*, partim *circa externum cultum* Dei. *Internus cultus*

Dei

Dei consistit in ejus *bonore*. Honor autem est opinio alienæ potentiæ conjunctæ cum bonitate. Debet scilicet animus hominis ex consideratione potentiæ & bonitatis Dei quantam potest animo venerationem adversus ipsum concipere. Ex quo fluit, ut eundem debeat *amare*, tanquam omnis boni autorem & datorem; in eum *sperare*, tanquam abs quo in futurum quoque omnis nostra felicitas dependeat; ejus voluntate *adquiescere*, tanquam qui pro sua bonitate omnia optime faciat, nobisque det, quæ maxime expediunt; eum *timere*, tanquam potentissimum, & cujus offensa maximum sit malum conciliare apta; ei denique in omnibus humillime *obsequi* tanquam creatori, domino ac rectori optimo maximo.

Observ. 105.

Propositiones practicæ) Sub religione naturali deinde continetur Cultus strictè dict9 *vid. Obs.92.* quem Autor §. *6. 7.* tam quoad actus internos, quà externos declarat, *add.* infra *l.2.c.14.§.11.* Op. Maj. *l. 8. c. 4.* §. 13. Hobbes. *de civ. c. 15.* §. *9.* hinc summatim ita dicendum; Cultus est vel *internus* vel *externus*, hic vel *indirectus*, qui legum, homines respicientium, observantia, Deo exhibetur, vel *directus*, qui Deum directo respicit, ac iterum vel *omissione contemtus externi*, vel *susceptione actuum honorificorum* constat.

2. Quousque

2. Quousque autem lex naturalis cultum memoratum jubeat, deinceps videndum, breviter: jubet cultum internum, nec non externum indirectum, porro directum, quatenus omissione contemtus externi absolvitur, non vero quatenus susceptione actuum honorificorum constat, sed hic cultus saltem jure naturali licitus censeri debet *vid.* Thomas. *J. J. D. l. 1. c. 5.* §. *11.* licet Autor contrarium velut de plano supponat.

§. 7. *Externus* Dei *cultus* in hisce potissimum consistit, ut homo Deo *gratias agat* pro tot bonis ab eo acceptis. Ut ipsius voluntatem per actiones suas, quantum fieri potest, exprimat, seu ei *obtemperet*. Ut ejus magnitudinem *admiretur* & *celebret*. Ut *preces* ad ipsum *fundat* pro obtinendis bonis & averruncandis malis; preces enim sunt signa spei, spes vero bonitatis & potentiæ divinæ agnitio est. Ut si res tulerit per solum Deum *juret* & juramentum religiosissime observet, hoc enim postulat omniscientia & potentia Dei. Ut de Deo *considerate loquatur*: id enim est signum timoris; timor autem potentiæ confessio est. Ex quo consequitur, *non esse utendum Dei nomine temere & frustra;* utrumque enim inconsideratum. *Non esse jurandum, ubi non est opus;* est enim frustra. *Non esse curiose & petulanter disputandum circa naturam & gu-*

& gubernationem Dei: ex hoc enim nihil aliud ſequitur, quam ut Deum exigere velimus ad modulum noſtræ rationis. Item ut *quicquid* Deo *præſtandum eſt, in ſuo genere ſit eximium, & honorem exprimere aptum.* Item, ut *homo Deum non ſolum ſecreto, ſed & palam & publice in conſpectu hominum colat.* Occultare enim aliquid eſt, quaſi quis eo exercendo erubeſceret. Contra publicus cultus non ſolum de noſtra devotione teſtatur, ſed & alios exemplo incitat. Denique ut *ſummo conatu leges naturales obſervet.* Nam uti imperium Dei parvipendere ſuperat omnes contumelias; ita è contrario omnibus ſacrificiis eſt acceptior obedientia.

§ 8. Enimvero id certum eſt, effectum hujus religionis naturalis, præciſe & pro præſenti hominum conditione conſideratæ, intra ſphæram hujus vitæ terminari: ad æternum autem ſalutem nanciſcendam nequaquam valere. Ratio quippe humana ſibi relicta jam ignorat, pravitatem, quæ in facultatibus & inclinationibus hominis cernitur per culpam humanam proveniſſe, Deique offenſam & æternum exitium mereri: eoque & neceſſitas Salvatoris, ejusque officium & meritum, nec non promiſſa Dei humano generi facta, & quæ alia inde dependent, eandem latent: per

quæ

quæ ſola ſalutem æternam hominibus provenire, ex divinis literis conſtat.

Obſerv. 106.

Enim vero id certum eſt) Uſus religionis naturalis duplex ſupponi poteſt, *Principalis* & *ſecundarius.* Ille reſpicit Deum, dum per religionem, illum nobis reddimus propitium, imò vitam æternam conſequimur, ſi ſcilicet de hac, ex naturâ aliquid novimus, nec Deus peculiarem religionem revelavit. Videtur quidem diſſentire Autor §. *8. h.* ſed revera non diſſentit, nam negat poſteriorem effectum, ex hypotheſi religionis revelatæ, ac rationi incognitæ, qua poſita, utique religio naturalis effectum laudatum non habet.

§. 9. Operæ pretium porro fuerit paulo diſtinctius expendiſſe uſum, quem in vita humana religio gignit; ut conſtet, *eam revera eſſe ultimum & firmisſimum humanæ ſocietatis vinculum.* Nam in libertate naturali, ſi metum divini Numinis removeas, ubi quis propriis viribus fiſus fuerit, quælibet imbecillioribus pro libitu inferet, ac honeſtatem, pudorem, fidem inter inania vocabula reputabit, nec ad recte faciendum aliter, quam ſenſu propriæ imbecillitatis adigetur. Porro, religione remota, civitatum firmitas intrinſeca ſemper in incerto foret, ac ad cives in officio continendos haut quidquam ſufficeret

metus

metus temporalis pœnæ, fides superioribus data, ejusque servandæ gloria, & gratitudo, quod ope summi imperii à miseriis status naturalis defendantur. Tunc enim reverà locum haberet: qui mori scit, cogi nescit; quippe cum DEum non metuentibus nihil magis quàm mors metui possit. Huic cõtemnendæ qui sufficeret, in imperantes quævis tentare posset. Ut autem id vellet, vix causa defutura foret; puta ut declinaret incommoda, quæ sibi ab alterius imperio videntur incumbere; aut ut ipse potiretur commodis, quæ imperii possessorem comitantur. Præsertim cùm facile judicare possit, jure se id facere, vel quòd, qui in præsens rerum potitur, pravè remp. videatur gerere, vel quòd ipse longè melius imperaturum sese speret. Occasio autem ad tali tentanda facilè offerri posset, Rege vitam suam non satis caute circumsepiente, (& quis talia rerum statu custodes ipsos custodiet?) vel multis conspirantibus, vel bello externo ingruente adscitis in partes hostibus. Præterea cives ad injurias mutuò inferendas futuri essent pronissimi. Cùm enim in foro civili pronuncietur secundùm acta & probata, omnia scelera & flagitia, ex quibus lucrum provenire aptum est, si occultè patrari & sine arbitris possent, pro dexteritate ingenii, in qua placere

ſibi quis poſſet, haberentur. Nemo quoque opera miſericordiæ aut amicitiæ foret exerciturus, niſi gloriæ aut emolumenti explorata ſpe. Ex quo & illud conſequeretur, ut, dum nemo in alterius fide, remotis pœnis divinis, ſolidam fiduciam collocare poſſet, ſinguli perpetuo metu & ſuſpicionibus anxii viverent, ne ab aliis deciperentur, aut læderentur. Sed & tam imperantes quam ſubjecti parum proclives futuri eſſent ad præclara & glorioſa opra patranda. Nam imperantes, nullo conſcientiæ vinculo cõſtricti omnia munia, ipſamq; juſtitiam venalia eſſent habituri, & in omnibꝰ privatum commodum quæſituri cum oppreſſione civium, à quorum rebellione ut ſibi ſemper metuerunt; ita ſuam ſalutem unicè in eo poſitam intelligerent, ut iſtos quàm maximè enerves redderent. Cives contra, oppreſſionem imperantium formidantes, nunquam non circumſpecturi forent occaſiones rebellandi; nec minus tamen ipſi inter ſe diffiſuri, ſeque mutuò formidaturi erant. Quin & conjuges oborta vel levi querela ſe invicem eſſent ſuſpectaturi, ne veneno, aut alio clandeſtino modo necarentur. Par periculum à familia immineret. Cùm enim ſine religione nulla quoque futura foret conſcientia, non facile eſſet, occulta ejusmodi ſcelera de-

deprehendere; quippe quæ plerumque per inquietudinem conſcientiæ, & terrores in exteriora indicia erumpentes, prodantur. Unde adparet, quantopere interſit generis humani, atheiſmo omnes vias, ne invaleſcat, præcludere; ſimulque quanta vecordia eos agitet, qui ad opinionem prudentiæ politicæ conciliandam facere autumant, ſi in impietatem proclives videantur. *Obſerv. 107.*

Operepretium porro fuerit) Secundarius religionis naturalis uſus triplex præcipuè eſt (1) debet illa homines manducere ad inquiſitionem cultus à Deo vere revelati *vid.* Grot. *de V. R. C. l. 1. §. 25. 26.* quem uſum vulgo *pædagogicum* dicunt *vid.* Albert. *C. J. N. p. 2. c. 1. §. 20.* ſed (2) non minus debet illa impedire, ne quamvis traditionem vel fabulam, pro religione revelata amplectamur; (3) firmat illa ſocietates humanas, quem uſum late Autor §. 9. declarat, quamvis prolixitas illa principalem theſin non confirmet, ſed præſupponat, hinc ſi eam neges, cætera omnia corruunt.

2. Quare ita potius dicendum, *religio eſt quidem firmiſſimum ſocietatis humanæ vinculum,* ſed (1) hunc uſum religio naturalis cum revelata habet communem, ſi ſcilicet unamquamque, intra activitatis ſuæ ſphæram, conſideres, nulla tamen (2) illum uſum præſtat, niſi ſit ſociabilis, ac adjunctam habeat perſuaſionem, de futura beatitudine & pœna *vid.* Tract. Maj. *l. 2. c. 5. §. 20.* verb. *ex quo fonte* Grot. *de V. R. C. l. 1.*

§. *21.* ac (3) ſeria ſit, i. e. interno ac vero Dei amore & timore conſtet, vera ſit in ſe, an falſa, hactenus nihil refert. Si ultimum requiſitum deſit, religio ſocietati humanæ nihil præſtat, ſi ſecundum, eam inſuper enormiter turbare poteſt.

Obſerv. 108.

Unde apparet, quantopere) Atheiſmum theoreticum, ad continendas ſocietates humanas, nihil conferre manifeſtum eſt, ille tamen has etiam neceſſario non turbat, quod ex ejus definitione liquet. Atheus cum Hypocritâ pari paſſu ambulat, eo verò, qui religionem inſociabilem & imperioſam ſectatur, quantum ad ſocietates humanas, melior eſt.

2. In hunc ferè modum de religione naturali philoſophari licet, ſepoſitâ religione Chriſtiana. Aſt poſtquam hæc invaluit, manifeſtum eſt, quod inter Chriſtianos, religionis naturalis, ſolitarie ſpectatæ, nullus amplius ſit uſus; nam Deum juxta illam colere velle, non tantum inutile, ſed & exitioſum fuerit, ſecundarius quoque uſus ceſſabit, cum ad religionem Chriſtianam non amplius adduci debeant, qui eam jam admiſerunt, quemadmodum hæc etiam pro vinculo ſocietatum humanarum habenda erit. Chriſtianis igitur, ex jure naturali hæc præcepta obſervanda erunt: Ut (1) veritatem religionis ſuæ probe inveſtigent, deprehensâ veritate (2) eam incorruptam conſervent (3) juxta ejus præſcriptum, Deum

co-

colant, eamque (4) pro vinculo societatum humanarum habeant.

3. Quoad alias vero Gentes, quæ religionem Christianam nondum admiserunt, sed religione naturali, superstitione temperata (nam puram in aliqua gente reperiri, vix crediderim) vivunt, de usu modo memoratæ religionis adhuc quæri potest, Usus *principalis*, ex scitis religionis Christianæ, negandus videtur, quamvis in specie Petrus Chauvin *in libr.* de relig. natur. *Roterodam. 1693.* impresso, *c. 8.* serio defendat, religionem naturalem, prodesse ad salutem æternam iis, qui Christum ignorent, id quod Autori defendendum, aliis vero amplius excutiendum relinquimus. *Secundarius* vero, quoad illas Gentes adhuc obtinebit.

CAPUT V.

DE

OFFICIO HOMINIS ERGA SEIPSUM.

§. I.

Quanquam hominem amor sui penitus infixus subigat, solicitam sui curam agere, suaque commoda omnibus modis procurare, sic ut hoc intuitu a-

liquam obligationem comminiſci ſupervacuum videatur; alio tamen reſpectu homo utique certa quædam circa ſeipſum obſervare tenetur. Cum enim non ſibi ſoli ſit natus homo, ſed ideò tam eximiis dotibus à Creatore ſit ornatus, ut & ipſius gloriam celebret, & idoneum ſocietatis humanæ membrum exiſtat: inde ita ſeſe componere homo tenetur, ut ne dona Creatoris incultu perire patiatur, & ad ſocietatem humanam aliquid pro virili conferat. Sic etſi ſua cuique ruditas maximo ſit probro & damno: rectè tamen à magiſtro vapulat diſcipulus, ſi, quarum capax erat, artes addiſcere negligat.

Obſerv. 109.

Quanquam hominem) Homo quidem *ſeipſum* obligare nequit, cum nemo ſeipſo ſuperior, adeoque obligans & obligatus eſſe queat. Neque etiam *ſibi ipſi* poteſt obligari, ut nempe obligatio ab ejus arbitrio ſuſpenſa ſit, nemo enim ſimul Creditor & debitor eſſe poteſt, cum ita pro lubitu ab obligatione ſe liberare queat, ut facile liqueat, nullam obligationem efficacem hoc ſenſu conſtitui poſſe, adeoque fruſtra aliquam aſſeri *conf.* Hobbeſ. *de civ. c.6.§.14.* Attamen *erga ſeipſum* obligari poteſt, ut ſcilicet obligationis ſimpliciter conſtitutæ, *Autor* ſit Deus, homo vero ejus *ſubjectum* & *objectum*. An vero tali obligatione opus fuerit, dubitat

Autor

Autor, cum naturalis instinctus jam satis hominem, ad curam sui gerendam, impellat.

Observ. 110.

Sic ut hoc intuitu] Censet Autor obligatione aliqua opus non fuisse ratione hominis ipsius, bene vero Dei & Proximi *add. l. 2. c. 4.* §. *16.* verum simpliciter, adeoque etiam primo respectu, obligationis necessitas asserenda est, nam instinctus non semper validè satis impellit, ac ab homine, velut creatura rationali, actio moralis est edenda, quæ legem & obligationem præsupponit, denique cura sui ipsius, majorem requirit circumspectionem, quam ut eandem affectus sæpe nimis vehemens recte dirigere queat, hinc normam sublimiorem & exactiorem illa prærequirit.

2. De cætero ex accurata *sui ipsius cognitione*, omnis officiorum sibi ipsi exhibendorum, cognitio resultat, nam exinde intelligitur præceptũ generale: *Exercendam esse philautiam statui cujusvis convenienter, ac sine læsione religionis & socialitatis,* nam inter hæc æquilibrium & nonnunquam prærogativa servari debent, prout illa ad *cap. 3.* deduximus.

§. 2. Porro cum homo constet duabus partibus, *anima & corpore*, quarum illa rectoris, hoc ministri aut instrumenti vicem subit, sic ut animi imperio, corporis servitio magis utamur: utriusque quidem cura, sed illius tamen præcipue agenda. Et animus quidem

ante omnia ad commode tolerandam vitam socialem est formandus officiique & honesti sensu & amore imbuendus. Tum pro cujusq; capacitate & fortuna aliquid addiscendum, ne quis inutile terræ pondus sit, sibi gravis, aliis molestus. Sed & tempestive eligendum honestum vitæ genus, prout impulsus genii, corporis atque ingenii habilitas, natalium conditio, fortunæ bona, parentum autoritas, imperantium civilium jussa, occasio aut necessitas ferunt.

Observ. III.

Porro cum homo constet) Specialius homo intelligit, se habere *animam* & *corpus*, hinc utriusque curam se gerere debere, sed principaliter illius, amplius cognoscit, cum animus corpore præstet.

Observ. 112.

Et animus quidem) Cura animi quoque gradibus discernitur. Ergo (1) Dei cultusque Divini, (2) socialitatis & amoris proprii, denique (3) aliarum rerum, priori cognitioni subordinandarum notitiâ, animus est imbuendus §. 2. *h*. Deinde ita adsuefaciendus, ut (4) imperium in cæteras facultates retineat (5) virtutis quoque & prudentiæ habitu indui debet, quo actiones pias, justas, prudentes & moderatas eò facilius suscipere, contrariasque omittere queat, cumque istam animi culturam, proprio marte

marte quis sibi semper præstare nequeat, hinc (6) eadem ab hominibus probis & cordatis est expetenda. Cæterum in hac officii parte homines plerumque deficere, experientia satis docet.

§. 3. Cùm autem animus fulturis *corporis* sustineatur, inde vires ejus congruentibus alimentis ac laboribus erunt firmandæ & conservandæ, nec intemperantiâ cibi potûsque, intempestivo ac non necessario labore, aliave ratione affligendæ. Quo nomine vitanda ingluvies, ebrietas, immodica Venus, & similia. Cùm etiam inordinati & vehementes affectus non solùm ad perturbandam societatem stimulos moveant, sed & ipsi homini plurimum noceant: inde danda opera, ut quis affectus suos, quantum fieri potest, compescat. Et quia multa pericula repelli possunt, ubi animosè iis obviam eatur, mollities animi ejicienda idemque contra periculorum terrores obfirmandus.

Observ. 13.

Cum autem animus fulturis corporis) Cultura corporis exigit, ut homo (1) corpus alat (2) sanitatem conservet adeoque iis, quæ ei prosunt, utatur, contraria verò fugiat §. *3. h. add. l. 2. c. 4. §. 3. seqq.* quod officium partim ex imperitia, partim ex affectuum intemperie sæpe homines negligunt, amplius ut (3) corporis & membro-

rum integritatem custodiat, qui igitur vel sine causa, vel, religionis similive prætextu, corpus, sauciant aut aliàs manus violentas sibi inferunt, vel inferri patiuntur, ut qui se ultrò castrandos præbent, illi utique in legem naturalem peccant.

§. 4. Quia autem nemo sibi ipsi vitam dedit, sed illa pro DEI beneficio est habenda, adparet quoque, homini nequidquam competere potestatem in propriam vitam hactenus, ut eandem pro lubitu possit abrumpere; sed exspectandum utique esse, quoad quis evocetur ab eo: qui nos in hacce statione collocavit. Equidem id utique rectè fieri posse videtur, cùm homo possit & debeat sua opera aliis inservire, & verò certum genus laborum, aut eorum intensio vires hominis ita atterat, ut senium vitæque terminus maturius ingruat, quam si quis molliter ætatem exegisset: ut quis eligat probabilem occasionem brevioris vitæ, quo talenti sui usum aliis eò largiùs dispenset. Sed & cùm sæpe multorum vita servari nequeat, nisi pro iis alii probabili sese vitæ periculo exponant; per imperantem legitimum posse civi sub comminatione gravissimarum pœnarum injungi, ne ejusmodi periculum fugâ declinet. Imo & ultrò tale peri-

periculum subire licebit, modò graviores causæ non retrahant, & spes sit isthoc in aliorum salutem cessurum; & hi digni sint, qui tam carè redimantur. Nam id stolidum fuerit, alteri perituro frustra sese comitem addere, aut egregium virum pro nauci homine mortem oppetere. De cætero tamen per legem naturæ haud quidquam præcipi videtur, ut quivis cujusvis alterius vitam suæ vitæ præferat; sed cæteris paribus sibi quisq; proximus esse permittitur. Ast verò, qui vel tædio molestiarum, quæ vitam humanam communiter comitantur, vel indignatione malorum, quæ humanæ ipsos societati erubescendos non erant reddituta, vel metu dolorum, queis fortiter toleratis exemplo suo prodesse aliis poterant, vel per vanam jactantiam fidei aut fortitudinis vitam ultro abrumpunt & projiciunt, utique in legem naturalem peccare sunt censendi.

Observ. 114.

Quia autem) Inprimis etiam (4) vita conservanda est §. 4. *h.* quod quidem sanitatis & integritatis curâ, modo memorata, obtinetur, sed insuper tamen à propria violentia abstinendum est. Qui hoc officium negligunt, dicuntur *Propricidæ*, i. e. *qui vitam contra legis prohibitionem, sibi ultro, directe vel indirecte, auferunt.* Duo igitur, ut alias, ita hic etiam requiruntur, nempe

pe *voluntas*, quæ suos, eosq; insignes, gradus habet, & *legis prohibitio*, quæ, quoad factum voluntarium, tamdiu præsumitur, donec probetur exceptio. Ex quib9 etiam liquet, duplicis generis exceptiones, ubi interemptio propria, in crimen non incidat, heic occurrere posse, si scilicet vel *voluntas* vel *legis prohibitio* deficiat.

Observ. 115.

Equidem id utique recte fieri posse videtur) Ad primam classem pertinet cædes ab eo facta, qui alienatione mentis, vel perpetua vel temporaria, laborabat, hanc excusandam esse facilè liquet. Secundi generis exceptiones magis dubiæ sunt. Autor §. *4. h.* & *l. 2. c. 4. §. 17.* censet, *licere eligere probabilem vitæ brevioris occasionem, quo quis talenti sui usum aliis eo largius dispenset*, quod aliis non videtur. Interim cum æquilibrium amoris proprii & alieni, in puncto non consistat, sed insignem habeat latitudinem, præterea laboris intensioris effectus non adeo certus sit, denique socialitas nonnunquam prævaleat Philautiæ, hinc sententia Autoris omninò defendi poteist.

Observ. 116.

Sed & cum sæpe) Alia adducitur exceptio, quæ ob prærogativam socialitatis admittenda videtur *add. d. l. 2. 4. §. 18.* Exemplum ejus, prebent etiam illi, qui ad reprimendam calamitatem, incendio, aqua vel simili causa excitatam, accurrunt, in eaque pereunt, vel laboribus gravioribus, in plurium utilitatem, fata maturant.

Observ.

Observ. 117.

Nam id stolidum) Non stolidum tantum, sed & injustum hoc fuerit, quemadmodum etiam jus naturæ non solum *permittit*, ut cæteris paribus, quisque sibi ipsi proximus sit, ceu mox dicitur, sed id etiam *jubet*. Cum alio igitur, vel pro alio velle perire, regularite justa exceptio non est.

Observ. 118.

Ast vero qui) Nec hi prætextus ad excusationem sufficiunt, ceu recte hic dicitur, licet apud Ethnicorum nonnullos illa sententia obtinuerit *vid. l. 2. c. 4.* §. 17. *in fin.* §. 19. *in fin.* Porro nec pudicitiæ servandæ causâ aut si quis deinceps in probrum Dei, se victurum videat, propricidium licitum videtur, quamvis, quoad ultimum, Ebræorum nonnulli dissenserint *vid. d. l. 2. c. 4.* §. 19. Grot. *de J. B. P. l. 2. c.* 19. §. 5. Illi vero excusandi videntur, qui fata sibi accelerant, quod, certitudine moraliter infallibili, prævideant, mortem sibi paulo post, ab hoste injusto, cum ignominia & cruciatu, allatum iri, quemadmodum etiam certum videtur, quod delinquentes, jussu Magistratus, mortem promeritam sibi ipsis inferre queant, *vid.* Op. Maj. *l. 8. c. 3.* §. 4. *in med.*

2. Ulterius cura sui ipsius exigit, ut (5) corpus vivum, sanum & integrum ita expoliamus, quo honeste & utiliter agere queat, hæc enim cura animo & corpori communis est. Contra hoc offici-

officium peccant, otiosi, Eremitæ, Monachi, valida mendicabula, abusum nominis divini in quæstum vertentia, Deumque sibi velut tributarium reddentia, ignavi, ut & homines sordidi, *vid. l. 2. c. 4. §. 13. 15.*

3. Præterea ex cognitione sui ipsius homo intelligit, se esse membrum societatis humanæ, quod ad sui conservationem, variis bonis externis indigeat, quodque cum aliis, hoc vitæ curriculum decurrere oporteat. Ergo (6) in appetendis bonis illis, existimatione, opibus & muneribus nimirum, ex regulis amoris proprii, recte se gerere debet. In hoc officio sibi præstando, homines plerumque excedunt, ac ex perversa philautia, socialitatem graviter lædunt *add. d. l. 2. c. 4. §. 10.* Denique (7) præcepta amoris proprii, hominem in vita civili honeste & prudenter agere jubent, quo ita sibi ipsi infortunium haut conciliet, mala imminentia depellat ac bona comparet, *conf. d. l. 2. c. 4. §. 6. 7. 8. 15. in fin.*

4. In hunc fere modum officia, quæ homo sibi ipsi debet, repræsentari breviter possunt, & quamvis illa ex aliis fontibus etiam derivari queant, hactenus tamen illa omnia, quæ memoravimus, ut peculiaria bona & mala spectantur, quæ ex regulis amoris proprii, appetere vel fugere deceat. Præterea id quoque admonendũ, quod multa, quæ velut media, ad amorem propri-

prium pertinent, arbitrio humano subsint, adeoque non præcisè præcepta, sed licita saltem existimari queant.

§. 5. Cæterùm quia sæpenumerò conservatio sui, quam & tenerrimus affectus & ratio homini commendat, cum præcepto de socialitate collidi videtur, dum nempe salus nostra ab alio homine in periculum conjicitur, sic ut aut nobis sit pereundum, vel grave incommodum subeundum, aut alter cum læsione propulsandus: igitur quali cum *moderamine defensio nostri contra alios homines sit temperanda*, jam tradendum. Instituitur igitur defensio nostri vel *sine læsione* ejus, abs quo malum nobis imminebat, dum efficimus, ut ei anceps aut formidolosa nostri invasio videatur; vel cum *istius læsione* aut pernicie. Prior modus quin sit licitus, omnique peccato vacet, dubium non habet.

Observ. 119.

Caterum quia sæpenumero) Expendit Autor collisionem Philautias & socialitatis, ac præceptorum, quæ simul observari neqveunt, prærogativam, quamvis illa disquisitio nimis mature instituatur, antequam enim præcepta comparare possis, singula seorsim cognita esse debent, hinc merito præceptorum socialitatis explicatio, hanc comparationem præcedere de-

debuisset. Interim hactenus Autoris ordo sequendus erit.

Observ. 120.

Instituitur igitur defensio nostri) In genere Philautia & socialitas colliditur vel ratione *boni*, quod utrique non sufficit, & tum regulariter illa præferenda est, vel *mali*, quod utrique imminet, hæc collisio vel *facto ejus*, in quem alias erat exercenda socialitas, eoque vel doloso, vel non doloso. excitatur, vel *sine ejus facto* existit, qui casus altero latius patet ac ad Philautiam secum ipsa collisam, & Religionem etiam pertinet, ut deinceps apparebit.

2. Si facto doloso philautia & socialitas collidatur, tum illius primario esse habendam rationem, ex naturâ satis patet, quisque enim sibi ipsi proximior est quam aliis, hinc ratio insinuat, curam sui ipsius, ordine præcedere curam aliorum, ac adeo, si utraque locum habere nequeat, illius saltem rationem esse habendam. Accedit, quod alter dolose socialitatem abrumpat, hinc absurdum foret, si delinquentis magis, quam innocentis, sit cura gerenda, imo si Deus inter homines intendit socialitatem, quod verissimum, non potuit simul velle, ut ejus, qui illam abrumpit, malitia impune grassetur, quia, hoc posito, revera insociabilis vita futura esset. Licet vero Philautias primaria cura esse debeat, attamen si sine læsione alter repelli queat, hoc medium merito eligendum, nam etiam delinquenti, ex regulis socialita-

tis

tis, parcendum, si sine nostro damno id fieri possit, hinc hoc obtinebit præceptum: *Ita te defende, ut alium, te licet læsurum, si fieri potest, non lædas*, quod ex philautias & socialitatis fonte conjunctim profluit. §. *5*, *h*.

§. 6. Enim verò circa posteriorem modum scrupulus moveri potest; quòd parem jacturam videatur facere genus humanum occiso invasore, quàm si ipse peream; & quòd utique perdendus sit mei similis, quicum ad colendam vitam socialem adstringor; & quòd majores turbas videatur parere violenta defensio, quàm si vel fugam arripiam, vel corpꝰ patienter invasori præbeam. Verùm ista hoc defensionis genus haut quidquam faciunt illicitum. Nam ut adversus aliquem pacificè & amicè agam, requiritur, ut ipse se talem erga me præbeat, qui ejusmodi officia à me recipere idoneus sit. Et quia socialitatis lex ad salutem mortalium spectat, ideò ejusdem talis est facienda interpretatio, quæ singulorum salutem non pessumdet. Inde ubi alter exitio meo imminet, nulla est lex, quæ meam me salutem prodere jubeat, ut alterius malitia impunè grassari queat. Et qui ex tali occasione læditur, aut occiditur, habet, quod suæ pravitati imputet, quæ mihi isthanc necessitatem imposuit. Alias quippe omnia bona,

K quæ

quæ natura aut industria nobis peperit, frustra forent concessa, si alteri injuste illa invadenti vim non liceret opponere; & parata præda improbis expositi forent probi, siquidem hi istis nunquam deberent vim opponere. Sic ut violentam sui defensionem plane proscribere, exitio generi humano sit futurum.

Observ. 121.

Enimvero circa posteriorem) Quodsi autem aliter fieri nequeat, tum etiam *cum alterius læsione aut internecione, violenta nostri defensio erit instituenda*, hinc non tantum *licita* sed & *præcepta* censeri debet, adeo ut si quis, cum defendere se posset, maluerit occidi, contra legem naturalem peccasse censendus sit. Tria tamen Autor violentæ defensioni objicit (1) jacturam, quam, occiso invasore, genus humanum patiatur (2) studium colendæ socialitatis (3) magnitudinem tumultus, quam defensio illa pariat.

Observ. 122.

Verum ista hoc defensionis genus] Ad mediam objectionem, quæ principalis est, Autor ipse hic respondet *add. l. 2. c. 5.* §. 1. summa eo redit: hoc casu Deum non intendisse socialitatem, adeoque ad ejus exercitium homines lege naturali non obligasse *conf. Observ. 120. n. 2.* Duæ reliquæ objectiones non sunt magni roboris, nam jactura invasoris arguit quidem aliquod peccatum, sed non defensoris, verum ipsius occisi, magni-

magnitudo autem tumultus vel turbarum, & in se incerta est, & ad moralitatem defensionis nihil omnino confert. Alias id quoque objici potest (1) *quod invasor occisus exitium æternum incurrat*, sed hoc non semper fit, deinde imputet sibi, quicquid etiam malorum patitur (2) *quod conatus occidendi morte non rectè puniatur*, verum à malis pœnalibus ad mala bellica non rectè infertur, illa puniens in sua potestate habet, adeoq; eadem delicto cōmisso attemperare potest & debet, sed hæc invasor ultro incurrit *add.l.2.c.5.*§.14. Grot. *de J.B.P.l.*1, *c.3.*§.*3.c.2.*§.*8.*

2. Quod si Princeps quem invadat, tum satius erit occidi, quam occidere, non quidem ob aliquod invasoris jus, sed ob Reipublicæ utilitatem, si quis tamen hujus obligationis parum memor sit, is ob summam animi consternationem, in foro divino excusatus videtur *add.* Op. Maj *d.l.* 2. *c.* 5. §. 2. Albert. *Comp. Jur. nat. p.* 2. *c.* 3. §. 13.

§. 7. Non tamen semper, quando injuria intentatur, ad extrema licet provolare; sed *tutiora prius remedia tentanda*; puta, ut aditum invasori intercludam, ut intra munita loca me contineam, ut invasorem moneam à furore desistere. Sicut & hoc prudentis est, *levis injuriæ patientia*, si commode fieri possit, defungi, & de suo jure aliquid remittere potius, quam intempestiva violentiæ opposi-

tione majori sese periculo exponere; præsertim ubi impetatur id, quod facile reparari aut pensari queat. Verum ubi hoc aut simili modo salus mea in tuto locari nequeat, pro eadem expedienda vel extrema tentare licebit.

Observ. 123.

Non tamen semper) Quo defensio violenta liquidius intelligatur, duo distincte consideranda (I) *ipsa collisio defensioni sufficiens*, hæc adesse censetur, si (1) præsens periculum (2) sine nostra culpa immineat, ac illud (3) alia ratione, quam oppositione violentiæ depelli nequeat, quorsum collimant monita §. 7. *h.* (II) *facultas lædendi, tali in casu competens.*

§. 8. Sed ut liquido judicari possit, an quis intra *limites inculpatæ defensionis* substiterit, dispiciendum prius est; utrum quis *in naturali libertate* nulli mortalium subjectus, an vero *imperio civili* obnoxius degat. Priori statu, ubi alter injuriam inferre pertendat, nec pœnitentia pravi conatus ductus ad pacem mecum colendam redire velit, hunc vel cum cæde repellere potero. Idque non solum si vitam meam impetat, sed & si vulnerare, aut lædere duntaxat, aut etiam res, salvo corpore, eripere conetur. Nam neque cautum est mihi, quod ab istis injuriis ad majores

non

non sit transiturus; & qui sese hostem profitetur, nullo amplius jure munitur, quo minus quovis modo à me repellatur. Ac revera tunc insociabilis esset hominum vita, si contra eum, qui modicas injurias continuare non desistit, extrema non liceret adhibere. Hoc modo enim modestissimus quisque deterrimo cuiq; perpetuum ludibrium deberet. In hoc porro statu non solum in præsens intentatum periculum repellere, sed & hoc depulso invasorem eo usque persequi possum, quoad ab illo in futurum satis mihi cautum sit. Super qua *cautione* ita habendum. Si quis, injuria intentata, ultro pœnitentia ductus veniam petat, & damni restitutionem offerat, in gratiam cum ipso, fide accepta, redire debeo. Nam firmum est signum animi emendati, sponte pœnitere, & veniam petere. Ast qui tunc demum pœnitentiam præ se fert, quando resistendi vires deficiunt, ejus nudo promisso fidere parum tutum videtur. Igitur tali vel vires nocendi subtrahendæ, vel aliud vinculum injiciendum, ne deinceps nobis existat formidabilis.

Observ. 124.

Sed ut liquido judicari possit) Quoad licentiam lædendi, non immerito distinguitur inter *statum naturalem* & *civilem, add. l. 2. c. 5. §. 6.* nam hi duo

 sta-

ſtatus non tantum quoad *cautionem antecedentem & conſequentem vindictæque exactionem*, ſed & quoad *ipſam defenſionem lædendique facultatem* differunt, diverſoque plane jure utuntur.

Obſerv. 125.

Priori ſtatu ubi alter injuriam inferre pertendat) In ſtatu naturali læſionem in infinitum extendere licet, ſi invaſor à propoſito non deſiſtat, cum enim Imperans non occurrat, qui ejus conatum retundat, hinc ipſius hoſtilitas non momentanea aut ſimultanea, ſed ſucceſſiva & perpetua, ac, quoad lædendi propoſitum, illimitata eſt, hinc invaſioni illimitatæ, ejusdem generis defenſio merito opponitur.

Obſerv. 126.

Nam neque cautum eſt mihi) Ex eo, quod modo diximus, tres rationes, quæ afferuntur, majorem vel vim vel evidentiam ſortiuntur. Nimirum *prima* recte urget invaſoris hoſtilitatem in actum jam deductam & illimitatum nocendi propoſitum, adeoque longe differt ab ea doctrina, quæ, ſine prævia hoſtilitate, ob ſolam ſuſpicionem, ex communi hominum malitia ortam, jus occupandi alium, aſſerit, cui indulget Hobbes. *de civ. c. 5.* §. *1.* Porro *ſecunda* merito inculcat, illimitati propoſiti nocendi conſectarium, qui enim aliis hoſtem ſe illimitatè profitetur, ille nullo etiam ſocialitatis jure munitur. Denique eo etiam, licet per obliquum, collimat *tertia*, nam revera hominum vita

vita foret insociabilis, si contra hostem, illimitatum nocendi propositum habentem, defensio certis constringenda foret limitibus. Atque ex his amplius etiam explicari & confirmari possunt tradita in Op. Maj. *l. 2. c. 5.* §. *3. 12.* & apud Grotium *de J. B. P. l. 2. c.* 1. §. 11. Quodsi tamen hostis in angustias ita redactus sit, ut nocere amplius non possit, sed mala infligenda arbitrio defensoris dirigi queant, tum æquitas postulat, ut eadem, fere juxta regulas pœnales, imponantur.

Observ. 127.

In hoc porro statu) In statu naturali, læsus quoque suo arbitrio cautionem in futurum exigit, cujus modum æquitas & prudentia dirigit, ut hic docetur *add. l. 2. c. 5.* §. *4* sæpe etiam, non ut volumus, sed ut possumus, cautionem exigere, eademque contentos nos esse oportet.

§. 9. Qui autem imperio civili subjecti degunt, tunc demum violentam sui defensionem licite adhibent, quando tempus ac locus non fert auxilium magistratus implorari ad repellendam eam injuriam, qua vita, vitæque æquipollens, aut irreparabile bonum in præsentaneum periculum conjicitur. Et quidem ut periculum tantummodo depellatur: vindicta autem & cautio de non offendendo imposterum magistratus arbitrio relinquatur.

Observ. 128.

Qui autem imperio civili) In ſtatu civili facultas lædendi arctioribus circumſcripta eſt limitibus, quia invaſio momentanea & limitata eſt, dum hoſtilitas per Magiſtratum reprimi & tolli poteſt, hinc defenſio offenſioni eſt attemperanda & cautionis exactio Magiſtratui relinquenda §. *9. h.* Ex quibus etiam liquet, rationem, qua quis diſtinctionem ſtatus naturalis & civilis impugnare velit, *quod ſcilicet non alia ratione ſocialitatem negligere, aliique malum inferre conceſſum ſit, quam quatenus idem ſocialitatem abruperit*, ſine effectu eſſe futuram & id, quod oppugnare debebat, potius confirmaturam, cum enim diverſa in utroque ſtatu ſit læſio, hinc etiam defenſio diverſimodè ſe habere debet.

§. 10. Licet autem defenſionem ſuſcipere tam adverſus eum, qui dolo malo, quam qui *per errorem* exitium mihi intentat; puta, ſi quis inſania agitatus me invaſerit, aut quia me alium, qui cum inimicitiæ ipſi intercedunt, crediderit. Nam ſufficit, quod alteri non ſit jus ad me invadendum, aut occidendum, neq; in me ſit obligatio ad mortem fruſtra ſubeundam.

Obſerv. 129.

Licet autem defenſionem ſuſcipere) Defenſio violenta etiam contra invaſorem non doloſum recte ſuſcipitur §. *10. h. add. l. 2. c. 5. §. 5.* licet enim delictum

lictum cesset, philautias tamen causa potior est *vid. Observ. 120. n. 2.* quia tamen in eo non est consilium illimitatè lædendi, sed læsio fortuita est, ac ex momentaneo impetu æstimari debet, hinc neque in statu naturali, in infinitum hoc casu defensio extendi potest.

§. 11. Circa *tempus*, intra quod defensio recte fieri potest, ita habendum est. Qui in naturali libertate utrinque degunt, etsi possint ac debeant præsumere, alios adversus se officia legis naturalis observaturos: tamen propter malitiam ingenii humani nunquam ita securi esse debent, quin sibi mature innoxia munimenta circumponant; puta, aditum præstruendo hostilia molientibus, arma virosque comparando, socios adjungendo, aliorum conatus vigilanter observando, & quæ sunt similia. Verum ista suspicio, orta ex communi hominum malitia, non sufficit, ut sub obtentu defensionis meæ alterum ultro armis opprimere possim, ne quidem si potentiam ipsius nimis gliscere videam; præsertim ubi eandem innoxia industria, aut per benignitatem fati citra aliorum oppressionem adauxerit. Quin & si quis præter facultatem nocendi etiam voluntatem ostendat, non quidem adversus me, sed alium, non ideo statim meo nomine eum invadere ultro possum;

 nisi

nisi ad auxilium alteri, qui injuste à potentiore invaditur, ex fœdere tenear. Quod eo promtius facere expedit, si probabile sit, istum altero oppresso in me quoq; transiturum, & priore victoria pro instrumento sequentis usurum. Ast ubi liquido adparet, alterum circa inferendam mihi vim jam occupari, licet conatus suos nondum plene expromserit, statim licebit violentam sui defensionem auspicari, & noxam adparantem occupare; siquidem nulla spes sit fore, ut amice admonitus hostilem animum exuat, aut ejusmodi admonitio rebus nostris noxia sit futura. Unde heic pro aggressore erit habendus, qui prior voluntatem nocendi alteri concepit, & ad eandem exsequendam se comparavit; defensionis autem favor illum comitabitur, qui celeritate usus tardius molientem oppresserit. Neque enim ad defensionem requiritur primum ictum excipere, aut ictus, qui intentantur, eludere duntaxat & repellere.

Observ. 130.

Qui in naturali libertate) Ob solam invasionis suspicionem, in statu naturali, nemo est occupandus, sed qui invasionem metuit, de cautione innoxia debet esse solicitus §. 11. *b*. Equidem Hobbes *de civ. c. 5. §. 1.* etiam hoc casu jus occidendi concedit, ex falsa, de jure omnium in omnes;

mnes, hypothesi, quâ negata, consectarium ultro corruit, nam ex veris socialitatis principiis, quamdiu alter hostilitatem actu nondum exseruit, tamdiu pro amico, licet parum fido, habendus est, si autem nocendi propositum actu declaraverit, tum ei velut hosti recte occurritur.

Observ. 131.

Quin si quis præter facultatem) Defensio violenta hoc casu quidem, proprio nomine, non est suscipienda, alia vero est quæstio, annon oppresso, ex lege socialitatis succurrere tenear? quam licet Autor negat, addita duplici limitatione, rectius tamen affirmatur, juxta indolem scilicet præcepti affirmativi, quæ enim in alteram partem afferuntur *l. 2. c. 5. §. 6.* leviora sunt, quam ut attendi mereantur, quæ cum ita sint, duplex Autoris limitatio, per modum ampliationis, â nobis accipienda erit *add.* Albert. *Comp. Jur. natur. p. 2. c. 3 §. 31.*

Observ. 132.

Ast uti liquido apparet) Recte hic tempus suscipiendæ defensionis, quoad statum naturalem, explicatur, nimirum initium non est præcise repetendum ab *actuali invasione*, sed *â certa ad invasionem præparatione*. Porro non statim cessat tempus defensionis, si offensor semel sit repulsus, quia enim retinet lædendi propositum, non tantum, si denuo invadat, repelli, sed & in insidiis velut latitans, ultro occupari potest, quæ omnia majori cum effectu & evidentiâ,

quoad

Digitized by Google

quoad gentes liberas, in civitatibus contentas, ſeſe exſerunt.

§. 12. Aſt in civitatibus haut quidquam tam laxum ſpacium ad ſui defenſionem indulgetur. Nam heic licet quis intellexerit civem ſeſe comparare ad vim ipſi inferendam, aut atroces minas ſpargere; nequaquam occupare iſtum licebit; ſed ad communem imperantem erit deferendus, & ab eodem cautio petenda. Verum ubi quis ab altero jam invaditur, & in eas redigitur anguſtias, ut magiſtratus, aut aliorum civium implorandi ſubſidium facultas non ſit, tunc demum ad repellendam vim vel extrema invaſori licebit intentare; non quidem ea intentione, ut per cædem vindicta ob injuriam exigatur, ſed quatenus vita citra ejusmodi cædem è præſenti periculo nequit eripi. *Initium* autem temporis illius, quo quis in ſui defenſionem alium impune poteſt occidere, inde ſumitur; quando aggreſſor voluntatem impetendi vitam meam præ ſe ferens, & à viribus inſtrumentisque nocendi inſtructus, jam intra illum locum extiterit, ex quo reipſa nocere poſſit, computato quoque illo ſpatio, quo opus eſt, ſi ego prævenire quam præveniri malim. Etſi propter perturbationem animi, quam tantum periculum excitat, modicus exceſſus in foro hu-

humano non curetur. *Perdurat* autem *spatium inculpatæ tutelæ,* quoad aggressor fuerit depulsus, aut ultro recesserit, vel pœnitentia in ipso facinoris momento tactus, vel quod conatum ejus eventus destituerit; ita ut in præsens nocere amplius nequear, nobisque sit facultas in loca tuta nos recipiendi. Nam ultio injuriæ & cautio in futurum ad imperii civilis curam & potestatem spectat.

Observ. 133.

Ast in civitatibus) In statu civili tempus expediendæ defensionis violentæ, tam laxum non est, sed incipit illud ab *actuali læsione*, & desinit, *simul ac invasoris impetus depulsus est*, nam læsionem imminentem aut recursuram, Magistratus impedire potest & tenetur, hinc cautio tam antecedens, quam consequens, ejus curæ relinquenda est §. *12.b.* quamvis cautionem, imperio civili haut contrariam, ipse lædendus vel læsus, sibi etiam comparare queat *vid. l. 2. c. 5. §. 6.* verbis: *quin & in civitatibus.* In utroque igitur statu quidem, ob imminens periculum, saltem se defendere licet, sed periculum aliter in naturali, aliter civili, ob hostilitatis intentatæ diversitatem, imperiique civilis defectum vel præsentiam, æstimatur.

§. 13. Quanquam autem dictum sit, non recte

recte ad cædem provolari, ubi commodiore via periculum depelli poteſt: tamen propter *perturbationem animi*, quam imminens periculum parere ſolet, non omnia ad vivum reſecari ſolent; cum in tali periculo trepidanti non ita accurate omnes evadendi vias liceat circumſpicere, ſicut ei, qui tranquillo animo rem conſiderat. Inde uti ex loco tuto ad provocantem ultro deſcendere temerarium eſt; ita ſi in aperto me loco conſtitutum alter invadat, non præciſe ad *fugam* obligor; niſi forte in propinquo ſit tale ſuffugium, in quod me citra periculum poſſim recipere: neque ſemper ceſſim ire teneor. Nam & ibi nudum tergum oſtendendum, & utrinque periculum lapſus imminet, ac ubi ſemel gradu ſis depulſus, eundem iterum componere haut facile eſt. Uti autem aliquis favore defenſionis non excluditur, quod ultro in publicum ad ſua negotia obeunda prodiit, cum ſi domi manſiſſet, à periculo immunis erat futurus: ita eodem non fruitur, qui ab altero in *duellum* provocatus, ubi comparuerit, ita premitur, ut, ni illum transfodiat, ipſi ſit pereundum. Nam cum leges id periculum ſubire vetent, ejus quoque ad excuſandam cædem nulla habetur ratio.

Obſerv.

Observ. 134.

Quanquam autem dictum sit) Videtur hæc doctrina ad statum civilem esse referenda, cum enim in hoc, arctioribus limitibus violenta defensio sit circumscripta, hinc de nonnullis specialiter quæritur (1) an omnia ad vivum resecanda (2) au fuga præcisè suscipienda (3) an libertatis usus culpam inducat (4) an provocatus in duellum, jure defensionis fruatur? Quibus addi potest (5) an armorum imparitas, jus defensionis violentæ vitiet? *vid. l. 2. c. 5. §. 9.* quæ ex principiis antea præmissis facile solvuntur.

2. Qui juxta modum hactenus expositum, defensionem suscipit, *moderamen inculpatæ tutelæ* observasse dicitur, & non tantum est impunitus, sed & impeccabilis, præterea damni restitutionem, ab occisi hæredibus recte petit, quamvis de hoc, in foro civili, vix aliquid audiatur. Quodsi autem exactè omnia non observaverit, tum & impensas ferre debet, ac arbitrarie insuper punitur, ubi tamen æquum est, ut propter summam animi perturbationem, in qua defensor constitutus est, modicus excessus non attendatur, imprimis cum invasor odium, invasus vero favorem, mereatur. Modum excessus vero ex circumstantiis judex æstimabit, gravius enim excedit, qui collisioni ansam præbet, quam qui defensionis limites transilit, aut aliud medium collisionem

nem tollendi, forte prætervidet. Explorandis circumſtantiis, jusjurandum frequenter adhiberi ſolet.

§. 14. Quod pro defenſione vitæ, idem & pro *defenſione membrorum* conceditur, ſic ut & ille innocens habeatur, qui violentum invaſorem occidit, cui fortaſſe intentio fuit membro eum duntaxat mutilandi, aut grave vulnus infligendi. Nam & natura à mutilatione, & gravi læſione maxime abhorremus; & mutilatio membri, præcipue nobilioris, quandoq; non multo minoris quam ipſa vita æſtimatur. Quin in anteceſſum non conſtat, an non ex mutilatione ac vulnere mors ſit ſecutura: ac talis patientia communem hominum conſtantiam ſuperat, ad quam leges regulariter non ſolent obligare, in gratiam præſertim hominis malitioſi.

Obſerv. 135.

Quod pro defenſione vitæ) Propter membrorum defenſionem, invaſorem quoque occidi poſſe, recte dicitur, ſubeſt enim probabile vitæ periculum, ac membra ſunt bonum irreparabile, pro cujus conſervatione, rectè extrema tentantur §. *14. h. add. l. 2. c. 5.* §. *10.* Diſtinctio, an ſubſit vitæ periculum, nec ne, quam nonnulli adhibendam cenſent *vid.* Albert. *C. J. N. p. 2. c. 3.* §. *15.* merè ſpeculativa eſt, nec dijudicandæ defen-

defensionis moralitati, in vita civili, usum habere potest.

§. 15. Sed & quod pro vita, id & pro *pudicitia* licere judicatur: quippe cum nulla major contumelia honestæ fœminæ inferri queat, quam si quis invitæ eripere aggrediatur, cujus integritate ejus sexus decus maxime æstimatur; & efficiat, ut hosti ex suo sanguine prolem suscitare cogatur.

Observ. 136.

Sed & quod pro vita) Pudicitiam quoque corporisque integritatem cum cæde defendere licebit, cum & illa sit bonum irreparabile §. 15. *h. add. l.* 2. *c.* 5. §. 11. Alia quæstio est, an fœmina, stupri declinandi causâ, seipsam interimere queat? quæ neganda videtur, *vid Observ.* 118. *add.* Becman *lin. doctr. mor. c.* 11. §. 4.

§. 16. *Defensio* autem *rerum* inter eos quidem, qui in naturali libertate vivunt, etiam *ad cædam usque* invasoris procedere potest; modo res non sit ejusmodi, ut contemni mereatur. Nam citra res utique vita nostra servari nequit; & æque hostilem animum declarat, qui res, quam qui vitam per injuriam impetit. Verum in civitatibus, ubi erepta subsidio magistratus recuperari possunt, id regulariter non conceditur; nisi in eo casu, ubi qui res nostras ereptum venit, in judicium adduci

non poteſt. Quo intuitu licitum eſt occidere prædones, & fures nocturnos.

Obſerv. 137.

Defenſio autem rerum) Ad res defendendas facultas occidendi in ſtatu naturali recte aſſeri videtur §. *16. h.* licet enim rationes allatæ, ſuſtinendæ aſſertioni, forſitan non ſufficiant, attamen illimitatum nocendi propoſitum, quod invaſor habet, aut ſaltem, ob hoſtilitatem ſemel declaratam, habere meritò præſumitur, recte allegatur.

Obſerv. 138.

Verum in civitatibus) In ſtatu autem civili, in quo ex ipſa læſione defenſio æſtimanda eſt, regulariter res erepturos occidere non licet, niſi probabiliter vitæ quoque noſtræ inſidientur, aut metus ſubſit fore, ut res ablatas non facile recuperare liceat, tum enim habent rationem boni irreparabilis, pro quo conſervando extrema tentare licet.

Obſerv. 139.

Quo intuitu licitum eſt) Apud Ebræos licuit occidere fures nocturnos, Grotius id, ob præſumtas vitæ inſidias, admiſſum cenſet, Autor vero, ob deficientem res recuperandi ſpem *vid. l. 2. c. 5.* §. *17. 18.* Expediant id alii, utraque interim ſententia in theſi vera, ac aſſerendo occidendi juri, ſufficiens nobis videtur *add. d. c. 5.* §. *12. 15.*

§. 17. Atque hæc de defenſione ab iis facta, qui ultro ab aliis per injuriam invaduntur.

Qui

Qui autem prior alterum læsit, tunc demum recte se defendere, eaque defensione istum denuo lædere potest, postquam pœnitentia tactus reparationem damni dati, & cautionem de non lædendo in posterum obtulit; & læsus eandem per asperitatem animi respuit, ac manu sibi vindictam facere pertendit.

Observ. 140.

Qui autem prior) Hæc doctrina inter gentes liberas potissimum obtinet, nam si Gens læsa oblatam idoneam satisfactionem respuat, tum personæ velut mutantur, ac invasor, defensionis jure deinceps utitur. Circa applicationem tamen faciendam, circumspectione opus erit, ne quamvis satisfactionem macilentam aut callidam, pro sufficiente statim habeamus, læsumque, istam repudiantem, defensionis favore excidisse arbitremur. In civitatibus, ubi autoritate Magistratus reparatio damni præstatur, certius est, quis pro invasore aut defensore, deinceps sit habendus.

§. 18. Denique & tanti habetur conservatio sui, ut si ea obtineri aliter nequeat, in plurimis casibus ab obligatione communium legum eximere censeatur. Quo nomine *necessitas* lege carere dicitur. Scilicet cum tanto ardore ad sui conservationem homo rapiatur, non facile præsumitur talem isti obligationem impositam, cui propria salus cedere debeat.

Quanquam enim non Deus ſolum, ſed &, ubi materiæ gravitas requirit, imperium civile tam rigidam nobis obligationem injungere queat, ut mors ſit potius oppetenda, quam latum unguem ab illa diſcedamus : tamen non ſemper tam rigida legum præſumitur obligatio. Has enim, qui tulerunt, aut qui inſtituta quædam inter homines introduxerunt, cum utique ſalutem aut commoditatem hominum per ea promovere voluerint, regulariter quoque ob oculos cenſentur habuiſſe conditionem naturæ humanæ, & quam non poſſit non homo refugere & amoliri illa, quæ ad ſui deſtructionem tendunt. Inde regulariter leges inprimis poſitivæ, & quævis inſtituta humana judicantur excipere caſum neceſſitatis, ſeu non obligare, quando ipſarum obſervationem comitaturum eſſet malum, humanam naturam deſtruens, aut communi hominum conſtantia ſuperius; niſi expreſſe, aut propter negotij naturam iſte quoque caſus ſit comprehenſus. Unde neceſſitas non id quidem efficit, ut directe lex poſſit violari, & peccatum admitti : ſed ex benevola legislatorum mente, ſimulque naturæ humanæ conſideratione præſumitur, caſum neceſſitatis ſub lege generaliter concepta non contineri. Exemplo uno & altero res erit declaranda.

Obſerv.

Observ. 141.

Denique & tanti) Nonnunquam etiam Philautia & Socialitas colliduntur sine facto Ejus, in quem hæc exercenda *vid. Observ.* 120. Contingit illud ob *Necessitatem*, quæ tamen etiam Philautiam, cum se ipsa, aut Religione, committit. Est autem Necessitas hoc loco *periculum vitæ, membrorum aut rerum, sine nostra culpa excitatum, ex quo unica ratione evadere possumus, si scilicet actum, præceptis amoris divini, proximi aut sui ipsius, alias prohibitum, suscipiamus, vel præceptum omittamus.* In casu igitur imminentis ejusmodi periculi, quæritur, *an leges admittant exceptionem necessitatis* i. e. an, ob curam sui ipsius, reliqua præcepta modo indicata, hoc casu non obligent, adeo ut impune & sine peccato, actus alias prohibiti aut præcepti suscipi vel omitti queant? Autor quæstionem, datis rationibus, affirmat, ac sensum sententiæ affirmantis proponit §. 18. *h.*

2. Cæterum illa philosophia est nimis generalis, ac â scopo quodammodo abludit, dum magis de legib9 & institutis positivis, quá naturalibus pronunciat, idque generaliter, ut in ea animus acquiescere nequeat. Instruendæ igitur doctrinæ magis speciali, hæc prænotanda (1) quæstionem illam habere locum in dubio, ubi scilicet Legislator in neutram partem diserte quid pronunciavit (2) eam proponi intuitu legum naturalium, conjecturas tamen eruen-

 dæ

dæ voluntatis, mox adducendas, legibus positivis etiam posse applicari.

3. Vulgo distinguunt inter præcepta *affirmativa* & *negativa*, in iis exceptionem necessitatis facile, in his difficulter admitti censentes, quod ut distinctius ostendat *Dn.* Thomas. *J. J. D. l. 2. c. 1.* §. 145. *seqq.* interesse censet, utrum *necessitas habeat originem à Deo*, an *à malitia humana*, dein utrum *medium evadendi suppeditetur ab instinctu naturali*, an *à malitia hominum*, factâ postea applicatione, exceptionem necessitatis modo asserit, modo negat. Cæterum licet illæ circumstantiæ non male observentur, attamen cum rationem datæ decisionis non satis insinuent, hinc ulterius eundum videtur.

4. Mihi leges, quæ Deum respiciunt, à cæteris primo separandæ, ac quoad illas, hæ regulæ notandæ videntur (1) *Quoties susceptio vel omissio actionis, Dei contemtum aut abnegationem involvit, toties lex, quæ illa alias prohibet aut præcipit, exceptionem necessitatis non admittit*, nam honori divino, vitam nostram cedere debere, ex conditione materiæ, ratio satis intelligit (2) *Quoties vero susceptio aut omissio actionis, alias prohibita vel præcepta, contemtum Dei non continet, toties lex necessitatis exceptionem admittit*, cum enim honor Dei non periclitetur, ex benevola ejus mente obligatio suspensa præsumitur.

5. Ad exempla si applicetur regula, susceptio actionum, jure naturali vetitarum, Dei contemtum involvit, adeoque leges illæ negativæ exce-

exceptionem necessitatis non admittunt, præstatio tamen juramenti promissorii, sine intentione obligandi, in se inverecunda non est, adeoque, malo injuste illato, declinando, fieri posse videtur. Actiones autem, quas leges positivæ prohibent, in se sunt indifferentes, adeoque ex circumstantiis judicandum erit, utrum earum susceptio nonnunquam Dei contemtum involvat nec ne, nam juxta eas exceptio necessitatis neganda vel asserenda erit, exemplum est in esu carnis suillæ Judæis olim prohibito, *vid.* Op. Maj. *l.2.c.6.* §.2.

6. Quod attinet præcepta naturalia affirmativa, illa ad cultum externum non obligare *Observ.* 115. *n.2.* diximus, hinc quæstio, *an in casu necessitatis cultus externus omitti queat*, cessat, quia juxta hæc principia semper omitti potest. Leges vero positivæ cultum externum requirunt, sed cum ejus omissio regulariter contemtum aut abnegationem Dei non involvat, hinc regulariter necessitatis exceptionem admittunt, aliquando tamen omissio illa pro abnegatione est, adeoque tum memorata exceptio cessat, exemplum est Dan. *VI*, *10.*

7. Quoad præcepta homines concernentia, locum præcipue habet distinctio præceptorum affirmativorum & negativorum, illa admittunt exceptionem necessitatis, adeoque si vita nostra periclitetur, aut aliud incommodum immineat, actio alias præcepta licitè omittitur, Deus enim unicuique propriam curam ac

conſervationem injunxit, ac præterea præcepto affirmativo voluit, ut in alios bonum conferamus, hæc igitur Dei voluntas ex priori reſtringitur, ut tum demum impleri debeat, ſi ſalus propria non periclitetur, imo tralatitium eſt, quod præcepta affirmativa non aliter obligent, quam poſitâ commodâ occaſione, quæ vel maximè ob neceſſitatem deficit. *add. Obſerv.* 120. *n.* 2.

8. Circa negativa hæ regulæ notandæ (1) *Quoties ſuſceptio actionis alias prohibitæ eſt medium certum depellendi periculum, nec majus aut æquale malum, quam imminens neceſſitas, toties lex exceptionem neceſſitatis admittit.* E contrario (2) *Quoties eſt medium incertum, & majus aut æquale malum, toties memoratam exceptionem lex reſpuit.*

9. Dicitur autem *medium certum*, quod cum ceſſatione periculi, phyſicam & neceſſariam connexionem habet, *incertum* vero, quod arbitrariam, â libidine ejus, qui neceſſitatem attulit, dependentem. M*ali* autem quantitas hic phyſicè æſtimanda eſt, ad moralem enim reſpici nec poteſt nec debet, cum de eo quæratur, an lex, quæ moralitatem producit, in caſu neceſſitatis obliget nec ne, adeoque id, de quo controvertitur, ſupponere haut liceat. De cætero circumſtantiæ memoratæ ſatis probabiliter Dei voluntatem indicant, cum enim lex naturalis ad utilitatem generis humani pertineat, hinc ſi hominib9 minori malo defungi certò liceat, ejus electio meritò aſſeritur, aſt ſi immi-

nens

nens necessitas, malumque ei tollendæ suscipiendum, sint æqualia, nec hoc, medium certum amovendi periculum, tum nulla apparet ratio, cur id â prohibitione, cui alias subest, eximere debeamus.

§. 19 Quanquam alias homini non sit jus in sua membra, ut illa pro lubitu mutilet, perdatvè; licebit tamen *abscindere membrum insanabili* vitio correptum, ne totum corpus pereat, aut partes adhuc sinceræ trahantur, aut inutili appendice aliorum usus membrorum impediatur.

Observ. 142.

Quanquam alias homini) Applicatio non erit difficilis: Licebit pro conservanda vita membrum abscindere §. 19. *h.* abscissio enim membri est minus malum, quam amissio vitæ, præterea quoque medium certum, evadendi periculum. Idem erit, si pro conservando membro nobiliori, ignobilius & minus, tollendum sit. Duo autem notanda videntur (1) licentiam saltem, non præceptum asserendum videri (2) necessitatem in foro civili hic non rigidè æstimari, hinc licet â culpâ illa originem habeat, attamen actio alias prohibita, licite suscipi posse existimatur.

§. 20. Si *in naufragio plures in scapham* insiluerint, quam illa ferre possit, neque ad unum peculiari jure scapha pertineat: viden-

tur ſorte ducendi, qui projiciantur: & ſi quis ſortis periculum ſubire detrectaverit, tanquam qui omnium interitum quærat, extra ſortem præcipitari poterit.

Obſerv. 143.

Si in naufragio) Hic caſus magis dubius eſt, videtur tamen affirmativa ſententia ex regulis noſtris, defendi poſſe. Sortis autem judicium, ob æqualitatem, eſt neceſſarium. Illi porro, qui alterius interitu ſervati ſunt, peremti liberis aliisque, quos hic alere tenebatur, damnum reſarcire ſuo modo debent.

Obſerv. 144.

Neque ad unum peculiari jure ſcapha pertineat) Dominus ſcaphæ ſortis periculum ideo detrectare poſſe videtur, quod ex humanitate ſolum cæteros admiſerit, hinc eos iterum expellere poteſt, quo facto, ipſe in periculo non erit, ut morali æſtimatione ad ſolos receptos hoc pertineat, qui adeo ſorte inter ſe contendere debent.

2. Aliud exemplum huc quadrans de ſeptem Britannis, exhibetur *l. 2. c. 6. §. 3.* De cætero uti nemo miſerandum hoc medium præceptum dixerit, ita nec illud facile ab hominibus eadem calamitate oppresſis adhibitum iri putem, licet hoc licite fieri queat, nam utut amor inter homines regulariter frigeat, attamen commune periculum humanitatis & commiſerationis ſenſum ſatis tenerum excitare ſolet, ut

non

non dubitem, quin ii, quos tam dura fata premunt, simul perire, aut beneficio divino liberari, quam medio tam duro salutem non satis certam quærere malint.

§. 21. Si *duo in præsens vitæ periculum* incidant, in quo utrique sit pereundum, uni quid facere licet, ex quo alteri, alias perituro, fata admoveantur, ut ipse salvus sit. v.g. Si ego natandi peritus cum altero natandi imperito in profundas aquas incidissem, & ille me circumplexus teneret, neque mihi tantæ sint vires, ut ipsum mecum aquis efferre valeam: potero talem à me violenter amoliri, ne cum ipso simul suffocer, etsi is per exiguum tempus à me utcunque sustentari potuerit. Sic in naufragio, ubi ego tabulam occupavi duorum non capacem, si quis adnatans eidem quoque se velit injicere, me simul secum perditurus, potero eum quavis violentia â tabula repellere. Sic quando duobus fugientibus hostis necem intentans instat, unus vel porta post se clausa, vel ponte dejecto alterum in periculo vitæ destituere potest, si uterque simul servari nequeat.

Observ. 145.

Si duo in præsens vitæ periculum) Hi casus minus dubii habent, quæstio enim est de præceptis affirmativis, quæ, cum, deficiente occasione, vim amittant, multo magis in casu necessitatis cessabunt.

§. 22.

§. 22. Ex necessitate potest alteri *periculum mortis aut magnæ læsionis intentari indirecte*, ita ut nobis non sit propositum ipsi nocere, sed duntaxat pro nostra conservatione talem actum suscipere, ex quo probabiliter noxa ipsi possit inferri; ut tamen mallemus quavis potius alia ratione necessitate nostra defungi, & ipsam læsionem, quantum in nobis temperemus. Sic si robustior mortem intentans me persequatur, ac in angusta via, qva fugiendum, forte quis occurrat; ubi admonitus non cesserit, aut id temporis locive angustia non admiserit, licebit illum prosternere, & per eum jacentem fugam persequi, etsi probabiliter ex eo impulsu vehementer videatur affligendus. Nisi forte illi peculiari obligatione tenear, ut etiam ultro pro ipso periculum subire debeam. Quod si fugæ interpositus, admonitus licet, decedere via nequeat, puta si infans sit, aut claudus; saltem excusationem merebitur, qui super eundem saltum molitur potius, quam moras nectendo corpus hosti præbet. At vero si quis petulanter vel inhumane mihi obstiterit, & viam fugiendi concedere noluerit, etiam directe impelli ac prosterni potest. Cæterum quibus per istos casus læsio conciliatur, eam tanquam fatalem calamitatem ferre debent.

Observ.

Observ. 146.

Ex necessitate potest alteri) Necessitas etiam alium lædere permittit, nam regulæ antea datæ hic locum inveniunt, damnum tamen, cessante periculo, est restituendum, necessitas enim damni restitutionem non excludit. In his & similibus exemplis exceptio necessitatis rectè asseritur, ast si quis in sui conservationem, innocentem occidere jubeatur, exceptio cessabit, occisio enim alterius, est æquale malum & medium incertum, hinc non apparet, quare malum imminens, in alium devolvere, ac ob spem salutis incertissimam, actionem alias prohibitam, suscipere liceat. Idem est, si quis sub periculo vitæ, cum matre concumbere jubeatur, nam & hoc medium est perincertum.

§.23. Si quis præter propriam culpam *in extrema inopia victus aut vestium* adversus frigus necessariarum versetur, neque ab aliis locupletioribus atque abundantibus precibus, pretio, aut oblata sua opera, ut ultro sibi illas concederent, impetrare potuit; citra crimen furti aut rapinæ vi vel clanculũ illas subducere poterit, præsertim si intentionem habuerit earum æstimationem præstandi, quando occasio oblata fuerit. Nam locuples in ejusmodi necessitate constituto ex officio humanitatis debebat succurrere. Quanquam autem

regu-

regulariter, quæ ex humanitate debentur, hautquaquam vi posſint eripi: tamen extrema necesſitas efficit, ut talia non minus aſſeri queant, quam quæ ex obligatione perfecta debentur. Neceſſum tamen eſt, ut egenus omnes prius vias tentet, quo volente domino necesſitatibus ſuis ſuccurrere queat; nevè dominus pari necesſitate teneatur, aut mox in eandem ſit devolvendus. Et ut reſtitutio ſiat, præſertim ubi alterius fortunæ non ferant, gratis tale quid condonare.

Obſerv. 147.

Si quis præter propriam culpam) In caſu veræ necesſitatis, res alienas auferre licet, quod dato *caſu, deciſione, ratione decidendi, limitatione* & *exceptione*, hic aſſeritur *add. l. 2. c. 6. §. 5.* Nimirum non tantum rationes generales, antea allatæ obtinent, ſed & â majori ad minus argumentari licet, ſi enim præcepta, quæ alterius vitam & membra tuentur, in caſu necesſitatis ceſſant, multo magis ea, quæ res ſaltem reſpiciunt, vim ſuam amittent. Denique ablatio rei alienæ, præſupponit circumſtantiam, arbitrio humano mutabilem, nam non aliter illa illicita eſt, quam *diſſentiente domino*, hanc vero circumſtantiam, poſitâ necesſitate, non mutari, quis cum ratione dixerit?

2. Diſſentiunt tamen alii ideo præcipue, quod *ablatio rei alienæ ſit malum morale, amisſio vero vitæ, naturale, adeoque hoc, velut minus, eligendum ſit.*

sit, vid. Albert. *Comp. Jur. natur. p. 2. c. 2. §. 20. 24.* Verum licet amissio vitæ, pro malo physico, hactenus haberi queat, cum casu, non nostro facto, illud immineat, attamen ablationem rei alienæ, esse malum morale tam abrupte supponi non potst, cum de hoc sit omnis quæstio, hinc utrumque malum physice spectari, ac ex hoc habitu, voluntas Legislatoris colligi debet.

§. 24. Denique videtur & necessitas, circa res nostras versans, veniam indulgere *res alienas perdendi*; ita tamen, ut citra nostram culpam id periculum rei nostræ extiterit; ut idem commodiore via dispelli nequeat; ut ne pro viliori nostra re alterius pretiosiorem perdamus: ut æstimationem ejusdem præstemus, si quidem ista alias peritura non fuerat, aut in partem damni veniamus, si alterius res una cum nostra alias peritura erat, quæ nunc sua jactura nostram servat. Quam æquitatem fere *leges nauticæ* sequuntur. Sic & orto incendio, eoque ædibus meis imminente licebit vicini ædes diruere, ita tamen, ut quorum ædes hoc modo servatæ sunt, pro rata vicini damnum sarciant.

Observ. 148.

Denique videtur & necessitas] Necessitas, quæ involvit periculum rerum, jus etiam dat, alie-

nas

nas res perdendi, dummodo ſit (1) neceſſitas vera (2) corruptio rei alienæ, minus malum & medium certum ac (3) periculo depulſo, damnum reſarciatur, hæc tamen obligatio ceſſat, ſi res nihilominus periiſſet §. *24. h.* aut dominus, qui neceſſitatem præſcivit vel præſcire debuit, in ejus amiſſionem conſenſerit, vel ejus jacturâ periculum non ſit depulſum.

Obſerv. 149.

Quam æquitatem fere leges nauticæ ſequuntur) Ut lex Rhodia, de qua in jure Romano agitur. Cum vero hæc nihil aliud ſit, quam ſpecialis concluſio, ex generali juris naturalis æquitate, deducta, ac ſpeciali caſui, exortæ ſcilicet tempeſtatis & periculi in mari, applicata, hinc patet, quam incongruum ſit, quando interpretes juris Romani, Legis Rhodiæ extenſionem moliuntur, ac ſimilium caſuum deciſionem ex ejus æquitate, derivant, nam in aliis caſibus, non ad rivulum, ſed ad fontem recurrere par eſt, quod erratum etſi leve & vix annotatione dignum videri poterat, attamen nimia, ac in opprobrium velut juris naturalis facta legum Romanarum æſtimatio, quam perverſa hæc ratiocinatio innuit, cenſuram omnino meretur.

Obſerv. 150.

Sic & orto incendio) Hæc in theſi quidem recte dicuntur, ſed vix in ſocietate civili applicari poſſunt, nam utplurimum non conſtat, quomodo incendium ſit exortum, & ſine hoc tamen

præ-

præsupposito, de obligatione, quæ jura necessitatis comitatur, judicari nequit, aliquando etiam dolo vel culpa incendium excitatum esse liquet, quo casu memorata obligatio plane cessat, licet ille, qui damnum dedit, solvendo non sit; denique si incendium etiam casu sit exortum, tamen præcisè ostendi nequit, in quorum commodum ædes alienæ sint destructæ, & quinam inadeo ad damnum pensandum sint obligati, hinc experientia etiam testatur, quod illi, qui damnum senserunt, illud soli ferre cogantur, nisi vel conventione vel statuto in antecessum modus resarciendi damnum, sit definitus, aut aliorum humanitas illud utcunque pensaverit.

CAPUT VI.

DE OFFICIO QVORUMLIBET ERGA QUOSLIBET, & primo, de non lædendis aliis.

§. I.

SEquuntur *officia*, quæ homini *adversus alios homines* sunt exercenda. Eorum aliqua proveniunt *ex communi obligatio-*

 ne,

ne, qua Creator omnes homines ut tales inter se devinctos voluit: aliqua autem *ex certo instituto* per homines introducto aut recepto, vel *ex certo hominum statu adventitio* promanant. Illa cuilibet erga quemlibet exercenda, hæc autem non nisi erga certos, posita certa conditione aut statu. Inde & illa possis vocare *absoluta*, hæc *hypothetica*.

Observ. 151.

Sequuntur officia) Tertium præceptum generale est; *exercendam esse socialitatem.* Videtur autem exercitium socialitatis in trib9 consistere, si nemini malum positivum inferamus, imminens ab aliis avertamus, & bonum positivum in alios conferamus, hinc præceptum summum, in hæc tria specialia, in se tamen satis adhuc generalia, resolvi videtur (1) *neminem læde* (2) *malum ab aliis averte* & (3) *bonum in alios confer*, ex quibus infinita præcepta specialia, pro ratione variorum objectorum, vel ut conclusiones, eliciuntur.

Observ. 152.

Eorum aliqua proveniunt) Omnia autem socialitatis præcepta, vel ob *conditionem hominis naturalem* locum habent, vel *factum aliquod ac inde ortam conditionem adventitiam* præsupponunt, hinc in *absoluta* & *hypothetica* merito distinguuntur, id quod, uti Autor recte agnoscit, ita triplex officiorum præsuppositum, scilicet *communem obli-*

obligationem ſeu clarius, *ſtatum naturalem, certum aliquod inſtitutum*, ac *ſtatum adventitium*, non rectè conſtituere videtur, nam *inſtitutum*, nempe *ſermo, dominium* & *imperium vid. c.y.* §. 22. non eſt præceptorum naturalium *præſuppoſitum*, ſed *objectum*, circa quod præcepta naturalia, tam abſoluta quàm hypothetica, verſantur illudque dirigunt, ceu ex infra dicendis amplius conſtabit.

§. 2. Inter officia abſoluta ſeu quorumlibet erga quoslibet *primum* locum obtinet: *ne quis alterum lædat*; Eſt quippe hoc officium omnium latiſſimum, omnes homines ut tales complexum. Idemq; facillimum, utpote nuda actionis intermiſſione conſtans, niſi qua obluctantes rationi libidines quandoq; compeſcendæ ſunt. Quin & maxime neceſſarium idem eſt, quod citra illud ſocialis hominum vita nullo modo conſiſtere queat. Qui enim nihil boni in me confert, qui ne vulgaria quidem officia mecum miſcet, cum eo tamen tranquille vivere poſſum, modo nulla ratione me lædat. Imo à maxima parte mortalium nihil amplius quam iſthoc deſideramus; bona fere inter paucos invicem communicantur. Aſt cum eo, qui me lædit, nullo modo pacifice poſſum vivere; cum natura cuiq; tam tenerum amorem ſui, rerumq; ſuarum inſeverit,

ut non possit non omnibus modis repellere eum, qui istis noxam inferre aggreditur.

§. 3. Hoc ipso autem officio velut muniuntur non illa tantum, quæ per ipsam naturam alicui adsunt; uti est vita, corpus, membra, pudicitia, libertas; sed & quæcunque instituto aliquo atque conventione humana sunt quæsita, sic ut quocunque legitimo titulo aliquid nostrum sit, hoc præcepto idem auferri, corrumpi, lædi, usibus nostris ex toto aut parte subtrahi vetetur. Unde hoc ipso interdicta intelliguntur quævis crimina, quibus aliis noxa infertur; uti est cædes, vulneratio, verberatio, rapina, furtum, fraus, vis, directe aut indirecte, mediate aut immediate illata, & quæ sunt similia.

Observ. 153.

Inter officia absoluta) Primum præceptum est: *Neminem læde*, cujus latitudo ratione subjecti, facilitas & necessitas §. 2. nec non amplitudo quoad objectum §. 3. ostenditur, quæ omnia satis plana & certa sunt, *add. l.3. c.1. §.1.*

§. 4. Ex hoc porro consequitur: *Si cui sit ab altero læsio illata, damnumvè datum ullo modo, qui ipsi recte potest, imputari, id quantum fieri potest ab eodem esse sarciendum.* Alias enim vanum erit præceptum, ne quis lædatur, neve cui damnum detur, si ubi de

fa-

facto læsus fuerit, damnum ipsi gratis sit devorandum, & qui læsit fructu suæ injuriæ secure & citra refusionem gaudere queat. Neque etiam, citra necessitatem restitutionis, abs se invicem lædendis abstinebit unquam mortalium pravitas; nec ei, qui damnum passus est, facile fuerit, animum ad agendam cum altero pacem componere, quamdiu istius reparationem non obtinuerit.

Observ. 154.

Ex hoc porro consequitur) Ex illo fluit duplex conclusio hypothetica, latissime in vita civili patens, quarum altera, ob factum licitum existit, nempe *fidem datam serva*, de qua *c. 9.* agitur, altera ob illicitum, scilicet; *damnum tua voluntate, contra legis prohibitionem, invito datum, restitue*, quæ §. *4. h.* refertur, ejusque firma cum principio suo connexio ostenditur, hinc ad omnes casus, quos præceptum de non lædendo complectitur, eadem quoque pertinet.

§. 5. *Damnum* etsi proprie ad rerum læsionem pertinere videatur; ita tamen late à nobis heic accipitur, ut notet omnem læsionem, corruptionem, diminutionem, aut sublationem ejus, quod nostrum jam est, aut interceptionem ejus, quod ex jure perfecto debebamus habere; sive id datum sit à natura, sive accedente facto humano aut lege attributum; aut denique omissionem ac denegatio-

nem alicujus præstationis, quam alter nobis ex obligatione perfecta exhibere tenebatur. Ast si intercipiantur, quæ ex obligatione duntaxat imperfecta debebantur, non censetur damnum datum, quod pensari debeat. Inconveniens enim fuerit damni loco ducere, talia non accepisse, aut pensationem eorum postulare, quæ ab altero non nisi in locum ultronei beneficii expectare poteram, & quæ inter mea, antequam ea accepero, censere non possum.

Observ. 155.

Damnum etsi propriè) Damnum est *rei perfecto jure ad nos pertinentis ablatio vel corruptio*, quod tum positivè tum negativè §. 5. *h.* declaratur *add. l. 3. c. 1.* §. 3. Ziegler. *in not. ad Grot. l. 2. c. 17.* §. 9. In jure Romano damnum strictius supponitur, ut notet *diminutionem rerum in patrimonio existentium, corpore nocentis directe factam.* Sed illa suppositio inusitata est, pertinetque ad legem Aquiliam Romanorum, nullumque habet alium usum, quam ut nomina actionum forensium, mutatis nonnullis circumstantiis, variarentur, hinc eadem, velut extraordinaria, ac rabulariam fori Romani quodammodo redolens, in disciplina Juris naturalis merito negligitur.

§. 6. Sub damni porro nomine venit non modo res nostra, aut nobis debita, quæ læditur, perditur, aut intercipitur; sed & *fructus*, qui

qui ex ipsa re proveniunt, sive jam sint percepti, sive adhuc sperentur, si modo dominus eos percepturus fuerat: deductis tamen impensis, quæ ad fructuum perceptionem fuerunt necessarii. Æstimatio autem fructuum speratorum intenditur aut remittitur, prout propius aut longius à fine incerti proventus remoti fuerint. Denique & pro uno damno habetur, quicquid ex aliqua læsione velut naturali necessitate deinceps profluxit.

Observ. 156.

Sub damni porro nomine) Id facile patet, quoad obligationem nocentis, nihil interesse, sive damnum principaliter datum sit, sive postea accesserit, sive ex damno principali profluxerit, quod §. 6. h. admonetur *vid. l. 3. c. 1. § 3. in fin. add. l. 22. §. 1. l. 23. pr. §. 2. l. 27. §. 8. ff. ad L. aquil.* In Jurisprudentia vero particulari, & privata illud latius exponi solet, quando effectus dominii & Rei vindicationis expenditur.

Observ. 157.

Æstimatio autem fructuum spectatorum) Doctrina hæc particularis est, pertinetque ad casum, ubi res cum fructibus corrupta est, tum enim circa æstimationem fructuum, circumstantiarum hic memoratarum est habenda ratio.

§. 7. Potest autem quis alteri damnum dare non solum immediate & *per se*, sed & *per alios*. Potest & damnum immediate ab aliquo datum

datum *alteri* imputari, quia ad iſtud factum aliquid contulit vel faciendo, vel non faciendo, quod debebat facere. Quandoque inter plures, qui ad idem factum concurrerunt, unus *principalis* cauſa habetur, alter *acceſſorii* in loco eſt: quandoque omnes *pari* paſſu ambulant. Circa quos obſervandum, illos ita teneri ad reparationem damni, ſi revera cauſa damni fuerint, & momentum aliquod attulerint ad totum damnum, aut ejus partem. Ubi autem quis ad ipſum actum, quo damnum fuit datum, realis aliquid operæ non contulit, neque ut iſte ſuſciperetur, antecedenter effecit, neque in partem emolumenti venit; is licet occaſione iſtius actus aliquo peccato obſtringatur, ad reſtitutionem tamen damni non tenebitur; uti ſunt, qui alienis malis lætantur qui patratum damnum laudant, excuſant; qui, antequam fiat, optant, dum fit, favent aut aſſentantur.

Obſerv. 158.

Poteſt autem quis alteri] Poſſumus alii damnum dare (1) immediate, noſtra voluntate & facto (2) mediate per alium, ſeu potius cum alio, quem vel noſtra voluntate inſtruimus, vel ad cujus damnum, proprio motu datum, agendo aut patiendo concurrimus, denique (3) damni ab alio perfecte dati poſſumus fieri participes, ſi in partem lucri veniamus; & his omnibus,

bus, pro diverso voluntatis influxu, ex circumstantiis colligendo, damnum diversimode imputatur, in iisque est obligatio ad damnum resarciendum, vel (4) occasione damni, proprio peccato, resarciendi obligationem tamen non operante, obstringi *§. 7. h. add. l. 1. c. 5. §. 14. l. 3. c. 1. §. 4.*

§. 8. Ubi *plures* ad unum actum, ex quo damnum profluxerit, concurrerunt, primo loco tenebitur, qui imperio, aut alio modo necessitatis quid habente, ad factum alios impulit. Patrator facinoris, cui ministerium detrectare non licuit, instrumenti tantum rationem habebit. Qui citra necessitatem ad facinus accessit, ipse primo loco tenebitur, tum cæteri, qui ad facinus aliquid contulerunt. Ita tamen, ut, si à prioribus reparatio damni fuerit facta, posteriores ab eadem sint immunes. (quod in pœnis secus est.) Si plures per conspirationem aliquod facinus patraverint, omnes pro singulis, & singuli pro omnibꝰ tenentur; sic ut si omnes comprehendantur, singuli ratam partem ad damnum sarciendum conferre debeant. Ubi reliquis elapsis unus tantum deprehendatur, hic pro omnibus solvere tenebitur. Ubi autem ex deprehensis aliqui non sint solvendo, locupletes in solidum tenebuntur. Quod si plures citra con-

ſpirationem ad idem facinus concurrerint, ac diſcerni liquido poſſit, quantum quisque ad damnum contulerit; quisque tantum tenebitur ad id penſandum, quod ab ipſo proceſſit. Quod ſi unus ſolidum ſolverit, reliqui à reparatione damni liberantur.

Obſerv. 159.

Ubi plures ad unum actum) Pro diverſo voluntatis influxu, diverſa quoque ad damnum reſarciendum eſt obligatio, aliquando cauſa moralis, principaliter, phyſica, in ſubſidium tenetur, aliquando inverſus obligandi ordo occurrit, quia vero omnes, intuitu unius damni ſunt obſtricti, ideo quocunque etiam ordine teneantur, uno ſolvente omnium perimitur obligatio.

Obſerv. 160.

Quod in pœnis ſecus eſt) Diſparitatis ratio eſt manifeſta, in damno una omnium eſt obligatio, hinc uno æſtimationem præſtante, reliqui neceſſario quoque, ratione læſi, liberantur, ſed quoad pœnam, multiplex eſt obligatio, & unusquisque ratione pœnæ ſuæ, ſeorſim obligatur, licet igitur unus pœnam ſuſtinuerit, hoc ad cæteros non pertinet, nec eos ab obligatione propria liberat.

Obſerv. 161.

Si plures per conſpirationem) Hoc caſu nocentes, ſtilo juris Romani, ut *correi debendi*, obligantur, i. e. omnes quidem, ſaltem ratione unius damni,

damni, sunt obstricti, adeoque singuli ratam partem debent, si tamen læsus suum à singulis, vel omnino non, vel non satis commode, consequi queat, tum ab uno solidum exigere potest, qui adeo & pro se & pro sociis solvere cogitur, quæ durior obligandi ratio ex conspiratione non immerito deducitur. Non igitur *singuli solidum debent*, quod interpretes juris Romani vulgo asserere solent, sed *pro se & cæteris, certo casu, solvere coguntur*, quæ duo differunt.

Observ. 162.

Quod si plures citra conspirationem) Hoc casu distinguendum, ceu Autor quoque innuit, utrum damnum sit *dividuum*, & unusquisque pro rata saltem tenebitur, nec pro aliis solvere debebit, an *individuum*, tum ob qualitatem damni ut correi debendi erunt obstricti, juxta ea, quæ proximè diximus, *conf. l. 3. c. 1. §. 5.*

§. 9. Ad reparationem damni tenetur non solum, qui dolo malo alteri nocuit; sed & qui præter directam intentionem per *negligentiam seu culpam*, quam evitare facile erat. Hæc enim non minima pars est socialitatis, ita circumspecte agere, ut nostra conversatio aliis non fiat formidolosa aut intolerabilis. Quin & sæpe ex peculiari obligatione quis ad accuratam diligentiam adhibendam adstringitur. Imo & levissima culpa ad reparationis necessi-

tatem

tatem sufficere potest, si modo negotii natura exactissimam diligentiam non ultro velut adspernetur, aut ejus magis, qui damnum accipit, quam qui dat, culpa versetur: aut nisi magna perturbatio vel negotij circumstantia accuratam circumspectionem non admittat: puta, si quis in fervore pugnæ, dum arma quatit, proxime sibi adstantem lædat.

Observ. 163.

Ad reparationem damni) Ut quis ad damnum sarciendum teneatur, requiritur (1) ut, *lege prohibente, damnum dederit* (2) *sua voluntate*, & quidem (3) *invito nocuerit*, nam læsi consensus, legis prohibitionem cessare facit, adeoque obligationem ad damni restitutionem impedit. Primum requisitum Autor omisit, secundum proposuit, & tertium obiter tetigit.

Observ. 164.

Tenetur non solum qui dolo) Voluntas nocendi directa, *dolus* audit, & haut dubie restituendi necessitatem operatur, indirecta vero, dum scilicet aliquid facimus vel omittimus, ex quo damnum sequi potest, *culpa* dicitur, quæ tribus gradibus, *lata, levi* & *levissima negligentiâ*, constare, in jure Romano, perhibetur, quæ doctrina bene se habet, ac ex communibus ratiocinandi principiis resultat, nam in rebus, quas accuratè metiri non licet, tres gradus saltem asseri possunt, duo extremi, & tertius, qui utrumque in-

interjaceat, & nunc huic, nunc illi extremo proximior ſit, de cætero, cum quævis culpa, etiam leviſſima, voluntatem nocentis in ſe contineat, hinc ob quamvis culpam, damnum etiam reſarciendum eſt, niſi forte læſus in aliquem gradum conſenſerit, §. 9. *b.*

Obſerv. 165.

Si modo negotii natura) Tertium requiſitum in transcurſu velut Autor hic attingit, nimirum ſi læſus in damnum conſentiat, reſtitutio ceſſat. Conſentit autem vel *directè* & *expreſſe*, quo caſu res expedita, vel *indirecte* & *tacite*, dum vel ipſe ea agit, ex quibus damnum incurrit, vel dum ex modo contrahendi perſonà, cum qua contrahitur, vel negotii naturà, conſenſus probabiliter colligitur.

Obſerv. 166,

Aut niſi magna perturbatio) Si facto quidem ſuo, ſed ſine voluntate, aliquis alterum lædat, tum damnum eſt fortuitum, & ceſſat reſtitutio, modo non voluntas præceſſerit.

§. 10. Verum qui per *caſum fortuitum* & citra ſuam culpam læſit, ad reparationem non tenetur. Quia cum nihil ſit admiſſum, quod imputari ipſi queat, nulla ratio eſt, quare potius is, qui invitus fecit, fatale malum luere debeat, quam alter, qui paſſus eſt.

Obſerv. 167.

Verum qui per caſum fortuitum) Repetitur id, quod modo dictum eſt, vel etiam generalis doctrina,

na, cujus exemplum præcessit, adducitur *add. l. 3. c. 1. §. 6.* Alias in genere casus fortuitus vel à *facto nocentis* dependet, vel *extrinsecus* advenit, ad cujus posterioris reparationem, neminem teneri facile liquet, nisi dolus, culpa, mora vel pactum præcesserit, prout sæpius in Jure Romano inculcari solet, non tamen sunt illa Romana & positiva, sed naturalia.

§. 11. Illud quoque naturali æquitati congruum est, ut, si *homo noster* citra culpam nostram alteri damnum dedit, id vel ipsi pensemus, vel istum læso dedamus. Nam servus utique naturaliter reparationi damni à se dati, est obnoxius. Cum autem ipse non habeat bona, unde reparatio fieri queat, ejusque corpus domini sit; æquum sane est, ut dominus aut damnum sarciat, aut istum dedat. Alias enim servo daretur licentia omnes pro lididine lædendi, si neque ab ipso, qui nihil, ac ne seipsum quidem habet, neque à domino reparatio damni obtineri posset. Nam si vel maxime ob læsionem dominus ipsum verberibus aut carcere velit plectere, læso inde hautquidquam satisfieri potest.

Observ. 168.

Illud quoque naturali æquitati congruum est) Neque tamen hujus rei tractatio huc pertinet, hic enim agitur de obligatione, quæ ex facto nocentis oritur, qualis non est, quæ dominum, ob noxam servi vel animalis, afficit.

cit. Rem ipſam quod attinet, quatuor caſus ſunt diſtinguendi, vel enim ſervus damnum dat (1) *domino*, vel (2) *tertio inſtigante*, his caſibus utrumque inſtigantem in ſolidum teneri, manifeſtum eſt, vel [3) *læſo cauſam præbente*, hic nulla adeſt obligatio, ob læſi conſenſum, niſi ſervus modum defenſionis exceſſerit, nam exceſſus ille pro voluntaria læſione merito habetur, adeoque ea obtinent, quæ circa caſum quartum ſtatim dicemus, vel (4) *proprio motu*, hoc caſu æquitati eſſe conſentaneum, ut dominus quoque obligetur, Autor §. 11. *b.* oſtendere nititur, ſed tradita, neque obligationis *fundamentum*, neque *indolem* ſolide ſatis oſtendunt, quare ita potius habendum.

2. Si ſervus nullius eſſet, & alium læderet, tum læſus, in læſionis emendationem, eum occupare poteſt, & reliqui homines ex jure naturali, quod læſionem vetat, hoc pati debent; Hæc obligatio naturalis ipſum etiam dominum, ſi caſum contrarium ſupponas, afficit, nam dominia, in præjudicium ſocialitatis ſeu ad effectum læſionis impune committendæ, conſtitui nec poſſunt, nec debent. Debet igitur dominus pati, ut læſus ſervum ſibi aſſerat, aut ſi hoc nolit, damnum reſarcire, ex quo obligationis fundamentum, indoles & ordo, manifeſtiſſima ſunt.

§. 12. Quin & idem circa *animalia noſtra* æquum eſſe videtur, ut quando illa etiam citra noſtram culpam, & contra naturam gene-

ris

ris ſponte commota, alteri damnum dederint, dominus vel damnum ſarciat, vel animal dedat. Nam ſi ab animali, quod in libertate naturali degebat, læſus fuiſſem, poteram utique qualitercunque damnum meum reparare illud capiendo vel occidendo: quod jus ſane per alterius dominium tolli non potuiſſe videtur. Et cum dominus ex eo animali lucrum capiat, ego vero damnum ex eodem ſenſerim; reparatio autem damni longe ſit favorabilior, quam lucri adquiſitio: adparet recte à domino animalis poſtulari, ut damnum datum reparet, aut ſi tanti non ſit ipſi animal, illud noxæ dedat.

Obſerv. 169.

Quin & idem circa animalia noſtra) Circa animalia noſtra idem obtinet, niſi quod in caſu tertio, quem antea retulimus, obligatio ſimpliciter ceſſet, brutum enim ratione carens, excedere nequit, ut ſimpliciter læſus ſibi imputare debeat, ſi ab animali, â ſe inſtigato, damnum ſentiat. Autor fundamentum obligationis, propius hic tangit, ejus tamen indolem & ordinem nondum recte exprimit. De cætero fruſtra contendit Grotius *de J.B.P.l.2.c.*17.§.21. obligationem domini, hôc & præcedente caſu eſſe ex ſolo jure civili, eſto enim, quod dominus ex facto ſuo obligatus dici nequeat, attamen ipſum, ſine facto prævio, jus naturale obſtringere, ſatis antea oſtenſum eſt.

§. 13. Sic igitur qui *damnum* alteri *citra dolum malum* dedit, ultro reparationem debet offerre, teſtarique malitiam abs ſe abfuiſſe, ne læſus ipſum pro hoſte habeat, ac viciſſim hoſtilia intentet. Qui autem *per malitiam* alterum læſit, is non ſolum ultro reparationem damni debet offerre, ſed & pœnitentiam ſui facti oſtendere, veniamque petere. Viciſſim læſus reparatine obtenta pœnitenti ac petenti *veniam dare*, & cum ipſo in gratiam redire tenetur. Nam qui reparatione damni & pœnitentia adquieſcere non vult, ſed vindictam utique manu ſibi quæſitum it, nihil aliud agit, quam ut acerbitati animi ſui obſequatur, adeoque ex cauſa ſupervacua pacem inter homines abrumpat. Quo nomine damnatur etiam naturali lege *vindicta*, quæ nullum alium finem habet propoſitum, quam ægre facere illis, qui nos læſerunt, eorumque dolore noſtrum animum ſatiare. Eo proniores autem mortales ad condonandas mutuas offenſas eſſe decet, quo frequentius ipſi ſupremi Numinis leges violant, eoque & ipſi venia quotidie opus habent.

Obſerv. 170.

Sic igitur qui) Summatim repetitur officium lædentis, illudque exemplis homicidæ, vulnerantis, adulteri & ſtupratoris, in quibus damni

æstimatio non est adeò expedita, amplius declaratur *l.3.c.*1.§.*7. seqq.* Sed res illa in vitâ civili non adeo magnum usum habet, cum enim æstimatio accurata in illis exemplis iniri nequeat, hinc ut plurimum eo nomine transigitur. Quæ porro de excusatione, pœnitentia agenda & venia petenda, Autor hic admonet, illa præstare, generosum quidem, ast inter homines, ac in foro civili, usitatum non est.

Observ. 171.

Vicissim læsus) Humanæ indoli valde convenit, ignoscere, ac vindictam, quæ nihil aliud, quam alterius dolorem intendit, omittere §. 13. *h.* quatenus vero per vindictam intelligitur cura exigendæ cautionis, vel pœnæ promeritæ imponendæ, eatenus juri naturali illa non repugnat.



CA-

CAPUT VII.

DE AGNOSCENDA NATURALI Hominum Æqualitate.

§. I.

Est homo animal non modo ſui conſervandi ſtudioſiſſimum, ſed & cui inſita ſit delicata quædam ſui æſtimatio, cui ſi quid detrahatur, non minus ſæpe commoveri ſolet, quam illata corpori aut rebus noxa. Quin in ipſo hominis vocabulo judicatur ineſſe aliqua dignatio, ſic ut ultimum ſimul atque efficaciſſimum argumentum, quo aliorum inſolens inſultatio retunditur, iſthoc habeatur: utique non canis ſum, ſed æque homo atque tu. Cum igitur natura humana omnibus æque competat, & nemo libenter velit aut poſſit illi ſociari, abs quo non ſaltem tanqvam æque homo, & communis naturæ particeps æſtimatur: ideo *ſecundo* loco inter officia quorumlibet in quoslibet habetur: *Ut quisque alterum hominem æſtimet atque tractet, tanquam naturaliter ſibi æqualem, ſeu ut æque hominem.*

Observ. 172.

Est homo animal) Revertitur Autor ad præceptum de non lædendo, illudque intuitu specialis objecti considerat, nimirum prohibet lex naturalis, ne *aliis hominibus existimationem humanam negemus, sed illos potius ut naturaliter æquales, seu ut æque homines tractemus*, cujus veritatem licet quivis homo demonstrare forte nequeat, attamen omnes eam sentire, Autor admonet. Est de cætero ista juris natutalis conclusio, non tantum omnibus hominibus communis, sed & perpetua, præsupponit enim statum humanitatis immutabilem, quomodocunque igitur æqualitas hominum, statu adventitio mutetur, illa tamen perpetuo manet, adeoque inter omnes homines, cujuscunque demum illi sint conditionis eadem semper obtinet. Videntur autem domini ferociores & inhumani, qui homines imperio suo subjectos, immenso labore atterunt, vel ad instar brutorum, occidunt, aut vitæ periculo exponunt, hoc officium saltem violare, nam alias contemtus inter homines quidem frequens est, sed ideo aliis humanitatem non semper negamus, verum illos saltem pro hominibus vilibus, stupidis, & in genere pro talibus habemus, qui bonis illis, quibus nos excellere arbitramur, destituantur.

§. 2. consistit autem isthæc hominum æqualitas non in eo solum, quod hominum adulto-

dultorum *vires* fere sint æquales, hactenus, ut etiam imbecillior robustiori mortem adferre possit, per insidias, aut adjuvante dexteritate, armorumque habilitate ; sed & in eo, quod licet unus præ altero variis dotibus animi corporisque à natura sit dotatus, non eo minus tamen legis naturalis præcepta adversus alios ei sint exercenda, atque ipse ab aliis idem expectat; nec ideo plus licentiæ ipsi concedatur alios injuriis afficiendi. Sicuti & contra neminem parca in ipsum natura, aut tenuis fortuna per se ad id condemnat, ut deterioris conditionis circa fruitionem communis juris sit, quam alii. Sed quæ unus ab altero postulare aut expectare potest, eadem alii quoque, cæteris paribus, ab eodem debent; & quod juris quis in alios statuit, eo ipsum uti maxime convenit. *Obligatio* quippe *ad colendam cum aliis hominibus vitam socialem omnes homines æqualiter stringit*; nec uni magis licet leges naturales in alio violare, quam alteri. Etsi nec desint populares rationes eam æqualitatem illustrantes; puta, quod ex eadem stirpe omnes descendamus, eodem modo nascamur, nutriamur, moriamur; quodque Deus nemini de stabili & inconcussa fortuna caverit. Sicut & scita religionis Christianæ parando Numinis favori non nobilitatem, potentiam, divitias-

vitiasvé, sed pietatis sinceritatem commendant, quæ æque in humilem, quam illustri positum loco cadere potest.

Observ. 173.

Consistit autem isthac) Præsupponit memorata conclusio *æqualitatem humanitatis*, quam triplici ratione, si mentem Ejus recte assequor, Autor probare nititur, sed philosophia hæc, ex scitis fere Hobbesii *de civ. c. 1.* §. 3. hic & *l. 3. c. 2.* §. 2. adornata, parum solida est. Dicit (1) *hominum vires sunt æquales*, sed â virium æqualitate licet admissa, ad æqualitatem humanitatis, inferre non licet, nam etiam inter homines & bruta nonnulla, ea est virium æqualitas, ut se mutuo conficere queant, quibus tamen humanitatē æquo gradu ideo tribuere non licet.

Observ. 174.

Sed & in eo) Ratio (2) desumitur ab *inæqualitate bonorum naturæ & fortunæ*, verum licet hæc æqualitatem humanitatis non destruat, attamen eam etiam non probat, nulla enim est consequentia, *homines quoad varia bona sunt inæquales*, ergo *quoad humanitatem æquales*.

Observ. 175.

Sed quæ unius ab altero) Denique (3) urgetur *obligationis naturalis æqualitas*, sed ita ὕστερον πρότερον committi videtur, nam non ex æqualitate obligationis ad æqualitatem humanitatis est inferendum, sed ex hac potius, illa adstrui debet.

Obſerv. 176.

Etſi nec deſint rationes populares) Hæ præſtant philoſophiâ illâ eruditiori,quam Autor ſe dediſſe exiſtimat, nam ſatis vel probant vel illuſtrant humenitatis æqualitatem. Eſt etiam hæc adeo evidens,ut fere ſatius ſit evidentiam illam ſimpliciter urgere,quam demonſtrationem aliquam moliri.

§. 3. Ex hacce porro æqualitate conſequitur: eum, qui aliorum opera ad commodum ſuum uti vult, viciſſim quoque in eorundem uſus ſeſe diſpenſare debere. Nam qui poſtulat, ut alii quidem ſibi inſerviant, ipſe contra ſemper immunis eſſe cupit, is alios utique ſibi inæquales ducit. Inde uti ad ſocietatem quam maxime ſunt idonei, qui facile eadem omnibus permittunt, quæ ſibi: ita plane inſociabiles ſunt, qui dum aliis ſuperiores ſeſe exiſtimant, omnia licere ſibi ſolis volunt, & ante cæteros honorem ſibi arrogant, partemque præcipuam ex rebus in medio poſitis, ubi nullo præ reliquis eximio jure pollent. Unde & id inter communia legis naturalis officia eſt: *ut ne quis,cui peculiare jus non eſt quæſitum plus ſibi,quam reliquis arroget, ſed alios æquo ſecum jure frui permittat.*

Obſerv. 177.

Ex hacce porro æqualitate) Hæc doctrina â ſcopo abludere videtur,nam præceptum allatum gene-

neralissimum est, ac inculcat etiam officia humanitatis, præterea ostendit, socialitatis officia esse reciproca & æqualia, quod ultimum tamen non simpliciter procedere, manifestum est, & hic innuitur, hinc de habitu officiorum ex diversa hominum conditione & statu, amplius judicandum est *add.* Hobbes. *de civ. c. 3.* §. 9. Op. Maj. *l. 3. c. 2.* §. 4.

§. 4. Eadem æqualitas quoque ostendit, quomodo quis sese debeat gerere, ubi *jus inter alios* ipsi sit *distribuendum*; nempe ut tanquam æquales eos tractet, & neutri præter merita causæ quid præ altero indulgeat. Secus enim si fit, is qui posthabetur contumelia simul & injuria afficitur, & dignatio à natura data eidem detrahitur. Unde consequitur, ut res communis æqualibus portionibus inter æquales jure sit dividenda. Ubi divisionem res non admittit, eadem communiter uti debent, qui æquale jus habent; idque si quantitas rei permittat, quantum quisque velit. Sin res istud non ferat, ut tunc utantur ea re præfinito modo, & proportionate ad numerum utentium. Alius enim modus excogitari non potest æqualitatem observandi. Quod si autem neque dividi res, neque communiter haberi possit, usus ejus sit vel alternus, vel sine hoc quidem succedat, aut reliquis, æquipollens præ-

præstari nequeat, per *sortem* uni res erit adjudicanda. Nam in ejusmodi casibus commodius quam sors remedium inveniri nequit; quippe quæ opinionem contemtus removet, & cui non favet, de dignatione nihil detrahit.

Observ. 178.

Eadem æqualitas quoque ostendit) Hæc etiam doctrina fugitiva est, nam officium Arbitri pacto dirigitur, ut non opus sit, ultima socialitatis principia, eo nomine sollicitare, præterea in facienda distributione, ad æqualitatem humanitatis non erit respiciendum, sed alia & propiora fundamenta considerari debent *conf. l. 3. c. 2. § 5.* Hobbes. *de civ. c. 3. §. 15. seq.* Incidit Autor in confusum Hobbesium, hinc non potuit non paululum confuse philosophari!

§. 5. Contra hoc officium peccatur per *superbiam*, qua quis nulla de causa aut non sufficiente aliis se præfert, & velut inæquales eosdem præ se despicit. *Nulla de causa* dicimus. Nam ubi quis sibi rite jus quæsivit, quod ipsi præ aliis prælationem dat, recte illud exercere & tueri potest, citra tamen inanem fastum, aut aliorum contemtum. Sicuti & contra quilibet alteri prælationem, honoremque, qui ipsi debetur, merito præstat. De cætero veræ generositati semper comes est

honesta quædam *humilitas*, quæ consistit in reflexione, quam facimus super infirmitate naturæ nostræ, & erroribus, quos olim potuimus commisisse, aut deinceps possimus committere, qui non minores sunt iis, qui ab aliis committi possunt. Per quam efficitur, ut nos nemini præferamus, reputantes cæteros æque bene suo libero arbitrio, ac nos, uti posse, quo æque pollent; cujus legitimus usus unicum illud est, quod homo pro suo reputare possit, & quo sese æstimare aut despicere queat. Nulla autem de causa sese efferre revera ridiculum est vitium, quia & per se stultum, propter nihil se magni facere; & quia alios omnes pro stultis habet, quasi ipsum citra rationem essent æstimaturi.

Observ. 179.

Contra hoc officium peccatur per superbiam) Sed hanc isto officio latius patere, jam innui *Observ. 172.* nam non tantum superbia se exserit, dum alii existimationem humanam negamus, sed & alio contemtu, imo etiam sine hoc. Philosophia igitur hæc, de superbia, generositate & humilitate, generalis est, nec præcise ad officium præcedens restringi, sed generalem potius de varia hominum existimatione, doctrinam referri debet.

Observ. 180.

Qua quis nulla de causa) Superbia commune quidem

dem vitium est, quod homines frequenter committunt, ac sibi mutuo imputant, id tamen recte explicare, non adeo est expeditum, nec ego ausim certi quid promittere, forte tamen ita dicendum: Est *nimia sui ipsius æstimatio.* Superbus igitur est, qui (1) nulla de causa se aliis præfert (2) qui ob nonnulla bona corporis, animi vel fortunæ, per se honorem non producentia, prærogativam sibi tribuit (3) qui nulla de causa honorem ambit & obtinet [4) artibus illicitis ad honorem grassatur (5) prærogativâ obtentâ immoderate utitur, eamque majorem censet, quam illa revera est. De cætero quævis superbia cum aliorum contemtu est conjuncta, qui tamen gradibus distinguitur, nam nonnunquam in sola honoris & benevolentiæ negatione consistit, aliquando signis ad contumeliam spectantibus, positivè alios lædit. Ex quibus liquet, superbiam quoque gradibus discerni, nam si spectes *fundamentum*, est superbia vel *stulta*, de qua *n.* 1. vel *superbia simpliciter*, quæ in sui excusationem aliquid allegare potest, quo pertinent species relatæ *n. 2. 3. 4. 5.* ac inprimis tres posteriores; Porro si consideres *adjunctum*, exserit se illa vel cum *primi*, vel *secundi generis contemtu*, prior tolerabilis, posterior intolerabilis est, ac eo quidem intolerabilior, quo gravior est contemtus, & magis diluta vel nulla superbiendi causa.

Observ.

Observ. 181.

Nulla de causa dicimus) A Superbia discernenda est *Generositas*, quæ est *recta sui ipsius æstimatio.* Generosus itaque est, qui (1) prærogativas suas agnoscit quidem, sed se non extollit (2) sua sorte contentus est (3) actiones inhonestas & indecoras, velut sibi non convenientes, omittit, hinc (4) improborum & superborum gratiæ non adrepit (5) in ambiendis rebus caducis vanisque servili aliqua submissione non utitur (6) aliorum insolentem superbiam, prout circumstantiæ exigere videntur, vel generoso contemtu ulciscitur, vel mediis habilibus retundit. Vitia opposita sunt, *Timiditas*, *Adulatio* ac *servilis subjectio*, quæ hoc rerum statu, ubi scilicet superbia dominatur, evitari penitus non possunt, ut nemo hominum facilè reperiatur, qui non aliquando adulatus sit, imo superbia, sola illa vitia, veram humilitatem pronunciat.

Observ. 182.

De cætero vera generositati semperComes est honesta quædam humilitas) Hæc videtur vel ad *Deum*, vel ad *homines* referri posse, illo respectu est *seria vanitatis humanæ agnitio*, & *hinc orta summa sui ipsius extenuatio*, hoc vero est, *superbiæ velelationis omissio*, licet enim seipsum quidem recte æstimare, sed ne generositas limites excedat, ac in sui elationem ac proximi contem-

temtum degeneret, humilitas efficit. Ei ut operam demus, id leges divinæ exigunt, seria autem humanæ sortis consideratio, ad studium humilitatis impellit. Si enim perpendas, quod ea, quibus aliis præstas, tua non sint, vel si ab arbitrio tuo dependent, quod & aliis eadem efficere liceat, ac insuper in genere rerum humanarum inconstantiam, fragilitatem & vanitatem serio ad animum revoces, tum cristas superbiæ non facilè eriges, quo tendit philosophia Autoris *b*.

Observ. 183.


Nulla autem de causa sese efferre) Stulta est hæc superbia, ceu eam vocavimus *Observ. 179.* nam talis superbus prærogativam aliquam sibi persuadet ac novo simplicitatis specimine aliis stultitiam vel stuporem imputat, adeoque bis stultus est, ut hic docetur. De cætero si hæc superbia sine positivo aliorum contemtu se exserat, magis commiserationem, quam indignationem meretur, si vero cum contemtu illo conjuncta sit, tum est maximè intolerabilis.

§. 6. Magis adhuc peccatur, si quis *contemtum* adversus alios ostendat signis exterioribus, factis, verbis, vultu, risu, ac quacunque contumelia. Quod peccatum eo deterius est censendum, quo asperius aliorum ani-

animi in iras ac ulciſcendi libidinem concitantur. Adeo ut multi deprehendantur, qui vitam malint præſenti periculo exponere, multo magis pacem adverſus alios abrumpere, quam contumeliam inultam pati. Quippe cum per hanc violetur gloria & exiſtimatio, cujus integritate & vigore omnis animi voluptas conſtat.

Obſerv. 184.

Magis adhuc peccatur) Summus hic eſt ſuperbiæ gradus, ſi, ut jam diximus, nullus ſuperbiendi prætextus ſimul ſubſit *add. l. 3. c. 2.* §. 7. 8. Thomaſ. *J. J. D. l. 2. c. 3.* De cætero aliorum contemtus non ſemper ex ſuperbia procedere videtur, cum etiam ex laſciviâ & iracundia originem habere poſſit.



CAP.

CAPUT VIII.

DE PROMISCUIS OFFICIIS HUMANITATIS.

§. I.

INter officia quorumlibet erga quoslibet, & quæ propter communem ſocialitatem ſunt exercenda, *tertio* loco id ponitur: *ut quilibet alterius utilitatem, quantum commode* poteſt, *promoveat*. Cũ enim cognitionẽ quandam inter homines natura conſtituerit, parum fuerit alios non læſiſſe aut contemſiſſe, ſed talia quoque in alios conferenda, aut invicem communicanda, ex quibus mutua inter homines benevolentia alatur. Proſumus autem aliis vel *indefinite*, vel *definite*; idque ut vel *nihil* nobis vel *aliquid decedat*.

Obſerv. 185.

Inter officia quorumlibet) Sequitur gradus ſocialitatis ſublimior, quem reliqua præcepta: *Bonum in alios confer*, & *malum ab iis averte vid. Obſerv. 151.* dirigunt. Autor illa conjunctim proponit,

nit, eorum veritatem innuit, ac conclusiones inde eliciendas partitur *§.1.h. add.l.3.c.3.§.1.*

§. 2. *Indefinite* aliorum commoda promotum it, qui animam ac corpus suum probe excolit, ut utiles abs se actiones in alios proficisci queant; ut si ingenii per solertiam talia inveniat, quibus vita humana reddatur instructior. Unde contra hoc officium peccare sunt censendi, qui nullam honestam artem addiscunt, vitaque per silentium transita animam pro sale habent, ne putrescant, numerus tantum & fruges consumere nati. Et qui opibus per majores relictis contenti, ideo impune abs sese ignaviæ litari credunt, quod aliorum industria jam sit partum, unde victitent. Et qui divitiis soli incubuere repertis, nec partem posuere suis. Item qui ad porcorum instar neminem nisi morte sua exhilarant. Et id farinæ alia otiosa terræ pondera.

Observ. 186.

Indefinite aliorum commoda) Poterunt huc referri ea, quæ de cura sui ipsius *Observ. 109. seqq.* diximus, nam illa, & ex regulis Philautias, & socialitatis repeti potest, quo enim aliis inservire queas, & animus & corpus recte præparari debent.

§. 3. Vicissim illis, qui de mortalium gere bene mereri instituunt, cæteri hoc debent, ut

ut ipsis ne invideant, nec præclaris eorundem conatibus remoram injiciant. Tum si alia non sit via paria cum istis faciendi, saltem celebritatem memoriæ famæque eorum, qui præcipuus laborum fructus est, promotum eant.

Observ. 187.

Vicissim illis) Ad indefinita humanitatis officia etiam pertinet, ut eorum, qui de genere humano bene mereri instituunt, conatus adjuvemus, aut saltem non impediamus, ut iis, data occasione, gratum animum testemur, aliosque ad paria facienda, hac ratione invitemus §. 3. *h. add. l.* 3. *c.* 3. §. 2. Cæterum illa officia nimis laxa sunt, exiguumque in vita civili habent effectum, sæpe etiam eorum exhibitio multum vanitatis, simulationis ac irrisionis habet adjunctum ac rarò illa sincere & ex animo verè amico præstantur,

§. 4. Imprimis autem illa bona, quæ citra nostrum detrimentum, molestiamque aut laborem præstari possunt, non libenter in alios dispensare, detestanda malignitas & inhumanitas habetur. Quæ vocari solent *res innoxiæ utilitatis*, seu quæ accipienti prosunt, præstantem non gravant. Uti sunt, non prohibere aquam profluentem; pati ab igne ignem capere, consilium fidele deliberanti dare, erranti comiter monstrare viam. Sic si

quis rem aliquam amplius possidere nolit propter nimiam copiam, aut quia asservatio ejus ipsi molesta est; cur non malit eam potius integram relinquere, ut aliis non hostibus usum præbere possit, quam eandem corrumpere? Sic non fas nutrimentum perdere, ubi nos saturati sumus, neque fontem obturare, aut occultare, ubi nos affatim bibimus, neque signa navigationis itinerisque abolere, postquam iis usi sumus. Huc pertinent modicæ stipes locupletum in egenos collatæ; item illa humanitas, quæ justa de causa peregrinantibus exhibetur, præsertim ubi aliqua ipsos calamitas oppresserit: & ejus generis alia.

Observ. 188.

Imprimis autem illa bona) Definite aliis prosumus, dum certis personis vel vulgarem humanitatem exhibemus, vel beneficia præstamus. Prius varia ratione fieri potest, hinc diversas conclusiones formare licet §. *4. b.* quibus ex Op. Maj. *l. 3. c. 3.* §. *5. seqq.* aliæ addi possunt, ut nimirum innoxium transitum per terras nostras aliis concedamus, commercia institui patiamur, ac ad littus nostrum accessum indulgeamus.

2. Qui ista officia & similia negligit, dicitur *Inhumanus*, cavendum tamen est, ne indistincte, ob omissas istas actiones, inhumanitatis quem insimulemus, nam illa præcepta non aliter obligant,

gant, quam posita *commoda occasione*, qua deficiente, recte omittuntur actiones alioqui præceptæ. Ex quo liquet, officia hæc satis laxa esse & exigui effectus. Imo inter diversas civitates sæpe magna hic opus est circumspectione & prudentia, ne inconsulta humanitas noceat, est enim inter diversas gentes, si non perpetua hostilitas, attamen amicitia parum fida, ac sempiterernum alios subruendi studium.

3. Sunt de cætero officia humanitatis reciproca, & qui nostram humanitatem expertus est, ad similem data occasione obstringitur, ad quam obligationem implendam sæpe Gentes sese mutuo adigunt. Ex quo principio vectigalium & stapulæ æquitas deducitur *vid. d. c. 3. § 6. 7.*

§. 5. Sublimior gradus humanitatis est, ex singulari benevolentia gratis quid in alterum conferre, impensa aut opera laboriosa constans, quo ipsius necessitatibus subveniatur, aut eidem insignis quæpiam utilitas concilietur. Quæ κατ' ἐξοχὴν vocantur *beneficia*, aptissima materia insignem laudem parandi, si magnitudo animi, & prudentia eadem rite temperavit. Eorum dispensationem ac modum fere conditio dantis atque accipientis moderatur. In quibus id cumprimis observandum, ne obsit benignitas & iis ipsis, quibus benigne videtur fieri, & cæteris: deinde ne

 major

major benignitas ſit, quam facultas; tum ut pro dignitate cuique tribuatur, & quidem ante omnia bene meritis, tum ut quisque noſtræ opis indiget, obſervatis quoque conjunctionis gradibus inter homines. Videndum quoque, quid cuique maxime neceſſe ſit, & quid quisque nobiſcum, aut ſine nobis poſſit conſequi aut non poſſit. Modus quoque dandi multum gratiæ beneficiis addit, ſi hilari fronte, promte, & cum conteſtatione benevolentiæ demus.

Obſerv. 189.

Sublimior gradus humanitatis eſt) Præterea ad ſublimiorem humanitatis gradum, ſeu beneficium conferendum quoque homines obligantur, ſed itidem non aliter, quam *præſente occaſione*, quæ ex perſona dantis & accipientis ferè æſtimatur *§. 5. h.*

Obſerv. 190.

Modus quoque dandi) Poſita occaſione, beneficium prompte conferri jubet lex naturalis, ſi occaſio deſit, aliquis beneficium conferendo, etiam male agere poteſt, niſi per ignorantiam excuſetur, in quam partem proclives eſſe debemus, cum ſatius ſit, decem indignis beneficium dare, quam uni, qui illud merebatur, negare, ſi quis cum animi averſatione, liberalitatem exerceat, is laudem viri benefici non meretur *add. l. 3. c. 3. §. 15.*

§. 6.

§. 6. Viciſſim in eo, qui beneficium accepit, exiſtere debet *gratus animus*, quo is oſtendit, iſtud ſibi acceptum fuiſſe, dantique eam ob cauſam favet, & occaſionem quærit paria reponendi, aut amplius, quantum ejus fieri poteſt. Nam id non neceſſarium eſt, ut præciſe tantum reddamus, quanti id fuit, quod datum eſt; ſed ſæpe ſtudium & conatus obligationem explent. Modo tamen nihil ſit, quod ei, qui beneficium ſe dediſſe prætendit, recte opponi poſſit. Nam qui me ex aquis extraxit, ei nihil debeo, ſi me in eas prius conjecerat.

Obſerv. 191.

Viciſſim in eo) Ex collatione beneficii *veri*, in accipiente oritur obligatio ad gratitudinem, quæ indefinita eſt, tam ratione *temporis*, quam *rei præſtandæ*.

§. 7. Cæterum quo magis ad devinciendos hominum animos apta ſunt beneficia, eo acrius ad gratiam referendam incumbere decet, qui iſta accepit. Saltem ne eum, qui fiducia noſtri prior nobis benefecit, ob eam rem deteriore eſſe conditione patiamur; nevè beneficium accipiamus, niſi animo nitendi, ne dantem merito dati pœniteat. Nam ſi certam ob cauſam peculiariter alicui nolimus obligari, licebat oblatum beneficium dextre

recusare. Et sane si absque necessitate gratiæ referendæ foret, contra rationem fecerit, si quis sua temere jactaverit, & quod periturum prospicit beneficium prior contulerit. Quo modo omnis tolleretur inter homines beneficentia & fiducia, unaque omnis benevolentia, neque esset inter eos quidquam gratuitæ opis, nec ullum gratiæ conciliandæ initium.

Observ. 192.

Cæterum quo magis) Veritas memoratæ obligationis duplici argumento, ab *intentione conferentis* & *absurdo*, quod negatam obligationem sequeretur, desumto, probatur, quæ satis certa sunt *add. l. 3. c. 3. §. 16.* nec obstat, quod *intentio obligandi, cum beneficio non consistere posse, sed illud in creditum mutare videatur*, nam obligatio indefinita saltem intenditur, porro nec id obest, quod *obligatio illa videatur supervacanea, cum accipiens ex communi humanitatis præcepto benefactori suo jam sit obligatus*, commune enim hoc vinculum nova obligatione magis intenditur.


§. 8. Quanquam autem *in animo ingrato per se nulla sit injuria*: fœdius tamen & magis odiosum ac detestabile habetur nomen ingrati quam injusti. Censetur enim animi valde abjecti & degeneris, seipsum indignum declarare eo judicio, quod alter de ipsius probitate

bitate tulit; ac ne beneficiis quidem, quæ etiam bruta demulcent, moveri posse ad concipiendum humanitatis sensum. In foro tamen civili ob simplicem ingratitudinem seu ubi quis nude beneficii obliviscitur, & occasione id data referre negligit, *actio* non solet dari. Pars enim optima beneficii perit, si actio, uti certæ pecuniæ, detur; jam enim creditum esse incipiet. Et cum res honestissima sit referre gratiam, desinet esse ita splendide honesta, si sit necessaria. Denique huic uni legi vix omnia fora essent suffectura, ob difficillimam æstimationem circumstantiarum, quæ beneficium vel intendunt, vel elevant. Et eam ipsam ob causam beneficium dedi, i. e. ejus quod dedi refusionem mihi stipulatus non sum, ut & alteri foret occasio ostendendi, se honesti amore, non ex metu pœnæ humanæ aut coactionis gratiam retulisse; utque ipse non spe lucri, sed ob humanitatem exercendam videar erogasse, de quo recipiendo mihi caveri noluerim. Enimvero qui non solum beneficium non rependit, sed, & benefactori insuper malum reponit, ille ob hocce factum eo graviore pœna est afficiendus, quo fœdiorum animi malignitatem sibi inesse ostendit.

animi in iras ac ulciſcendi libidinem concitantur. Adeo ut multi deprehendantur, qui vitam malint præſenti periculo exponere, multo magis pacem adverſus alios abrumpere, quam contumeliam inultam pati. Quippe cum per hanc violetur gloria & exiſtimatio, cujus integritate & vigore omnis animi voluptas conſtat.

Obſerv. 184.

Magis adhuc peccatur) Summus hic eſt ſuperbiæ gradus, ſi, ut jam diximus, nullus ſuperbiendi prætextus ſimul ſubſit *add. l. 3. c. 2.* §. 7. 8. Thomaſ. *J. J. D. l. 2. c. 3.* De cætero aliorum contemtus non ſemper ex ſuperbia procedere videtur, cum etiam ex laſciviâ & iracundia originem habere poſſit.



CAP.

Observ. 195.

Enim vero qui non solum) Propter ingratitudinem atrocem actio in foro civili conceditur, aut prout alii loqui malunt, ingratitudo illa actionem, ex delicto aliquo ortam, aggravat, quamvis hæc conciliari posse videantur, nam delictum, quod â propria suâ forma, injuria v. gr. vel furtum audit, in ordine ad benefactorem, recte etiam ingratitudo dicitur.

CAPUT IX.

DE OFFICIO PACISCENTIUM IN GENERE.

§. I.

AB officiis absolutis ad hypothetica fit velut transitus per pacta inter media, quippe cum omnia officia, præter jam enumerata, pactum expressum aut tacitum videantur præsupponere. Igitur hoc loco agendum erit *de natura pactorum*, & quid illa ineuntibus observandum sit.

Observ. 196.

Ab Officiis absolutis) Connexio hæc non satis solida est, nam officia hypothetica non tantum ex

pacto, sed & delicto oriuntur, deinde officia hactenus enumerata sæpe etiam pactum præsupponunt, quis enim dubitet, quin alios, ratione eorum, quæ ex pacto tenent, lædere prohibeamur, aut illorum respectu, humanitatem erga illos exercere jubeamur? ipse Autor *c. 6. §. 3.* prius submonuit; denique officia, deinceps explicanda sæpe quidem, sed non semper, pactum præsupponunt, sermo sane absolutis socialitatis præceptis non raro dirigitur, ceu ex infra dicendis constabit, eum verò pacto esse introductum, Autor quidem putat, sed sine ratione, ceu suo loco ostendemus.

Observ. 157.

Igitur hoc loco agendum) Potius igitur dicendum, expendi nunc alteram conclusionem generalem, quæ ex præcepto de non lædendis aliis resultet *vid. Observ. 154.* ac, absoluta ita præceptorum Socialitatis consideratione generali, eadem deinceps, ratione Objectorum specialium, distinctius considerari, de cætero nec generalis nec specialis tractatio, aptè satis mihi cohærere videtur quæ tamen mutare non licet. Hoc loco (1) de *pactis* (2) *officiis circa ea*, agendum erit,

§. 2. Fuisse autem *necessarium pacta inter homines iniri*, satis manifestum est. Quanquam enim officia humanitatis late sese per vitam humanam diffundant: hautquidquam tamen ex eo solo fonte deduci omnia possunt, quæ

quæ hominibus ab se invicem utiliter percipere licebat. Nam neque quibusvis ea est ingenii bonitas, ut omnia, quibus aliis prodesse possunt, ex sola humanitate velint præstare citra exploratam spem paria recipiendi. Et frequenter illa, quæ ab aliis in nos proficisci queunt, ejusmodi sunt, ut gratis eadem nobis exhiberi salva fronte postulare nequeamus. Sæpe quoque nostram fortunam aut personam non decet, alteri tale beneficium debere. Adeoque ut plurimum alter dare non potest, sæpe nos accipere nolumus, nisi iste paria à nobis recipiat. Non raro denique alios latet, qua ratione commodis nostris inservire queant. Igitur ut mutua inter homines officia, qui fructus est socialitatis, eo crebrius & ad certas velut regulas exerceantur, necessum fuit homines ipsos inter se convenire super ejusmodi rebus invicem præstandis, quæ ex sola humanitatis lege certo sibi polliceri ab aliis non poterant. Adeoque in antecessum determinandum fuit, quid alteri quis præstare, quidque ab eodem iterum expectare, suoque jure exigere deberet. Id ipsum autem fit per *promissa* & *pacta*.

Observ. 198.

Fuisse autem necessarium) Pactum est *duorum vel plurium consensus, obligationis licitè constituen-*

de

dæ vel tollendæ causa datus. Quodsi homines absoluta socialitatis decreta exactè observarent tum dominia rerum, ut & imperia, cum multis capitibus, eadem sequentibus, probabiliter cessarent, hinc, isto rerum statu, vel nullus vel exgiuus etiam pactorum foret usus, Ast si indolem generis humani supponas, prout revera est, tum sine pactis vitam exigere, plane est impossibile. In summa, opus pactis est (1) ut obligationes novæ constituantur, quod quatuor rationibus Autor §. *2. h.* confirmat *conf. l. 3. c. 4.* §. *1.* (2) bello abruptæ restituantur (3) constitutæ tollantur, ac (4) imperfectæ & laxiores nonnunquam magis adstringantur.

§. 3. Circa isthæc generale officium ex lege naturali debitum est: *ut quilibet fidem datam servet*, seu promissa & pacta expleat, Citra hoc enim si esset, plurima pars utilitatis periret, quæ humano generi communicatis invicem operis ac rebus enasci apta est. Et ni promissa servandi necessitas foret, haut quidquam liceret rationes suas firmiter aliorum hominum subsidiis superstruere. Quin & ex decepta fide justissimæ querelarum bellique causæ pullulare sunt idoneæ. Nam ubi ego ex pacto aliquid præstiterim, altero fidem fallente, mea mihi res aut opera frustra periit. Sin vero nihil adhuc præstiti, rationes tamen, & de-

& destinata mea turbari molestum est; cum alio modo rebus meis potuissem consulere, nisi iste se mihi obtulisset. Et indignum est ludibrio haberi, quia alterum cordatum ac bonum virum credidi.

Observ. 199.

Circa isthæc generale officium) De hoc demum agendum erat post conceptum pacti adæquatè expositum. Quoad rem ipsam, potest vel quæri *de officio aliorum*, qui paciscentes non lædere, ipsisque, in conciliando pacto humanitatem exhibere tenentur, vel *ipsorum paciscentium*, hos etiam tam ante pactum, quam in pacto, memorata præcepta obstringunt, post pactum verò, præceptum de non lædendo, fidem datam servare jubet, cujus conclusionis, cum suo principio connexionem, Autor §. *3. b.* ostendit, *add. l. 3. c. 4. §. 2.*

§. 4. Observandum autem, ea quæ ex solo humanitatis officio debentur, in eo potissimum differre ab iis, quæ ex pacto aut promisso perfecto debentur; quod ista quidem rectè petantur, & honestè præstentur; sed ubi alter ea ultro præstare neglexerit, de inhumanitate duntaxat, feritate, aut duritia ejusdem queri possum, non tamen per violentiam propriam aut superioris eundem ad præstandum cogere. Id quod tamen licet, ubi ultro non præstantur, quæ ex promisso perfecto aut pacto

pacto debentur. Inde etiam ad illa *jus imperfectum*, ad hæc *jus perfectum* habere: ſicut & ad illa *imperfecte*, ad hæc *perfecte obligari* dicimur.

Obſerv. 200.

Obſervandum autem) Uti autem præceptum de fide ſervanda, ob infinita pactorum exempla, infinitas quoque concluſiones magis ſpeciales ſub ſe continet, ita idem regulariter *jus* & *obligationem perfectam* producit, quo nomine à præceptis humanitatis *jus* & *obligationem imperfectam* ſaltem producentibus, illud differre, Autor §. 4. *h.* docet, dicendum tamen eſt, quod hæc non *naturâ ſuâ*, aut *in ſe*, imperfecta ſint, ſed ſaltem ob *defectum idonei executoris*, nam præcepta humanitatis, & in ſe laxiora ac quodammodo incerta ſunt, eorumque obſervantiam vita civilis præciſe non requirit, hinc eorum executio cujꝰvis conſcientiæ relinquitur.

§. 5. Fidem damus vel *per actum ſolitarium* ſeu μονόπλευρον, vel *per actum reciprocum* ſeu δίπλευρον. Quandoque enim unus ſe duntaxat ad quid præſtandum obſtringit; quandoque autem duo pluresvè mutuo ſe ad quid præſtandum obligant. Prior actus vocatur *promiſſum gratuitum*, poſterior *pactum*.

Obſerv. 201.

Fidem damus vel per actum) Diſtinguitur pactum à *fine* in *Obligatorium*, quod obligationis conſtituendæ *Liberatorium*, quod ejus tollendæ causâ

ini-

initur, & *Mixtum*, quo obligatio partim constituitur, partim tollitur exemplum est in Transactione. De illo hic saltem agitur, istud vero *cap. 16.* expenditur, ex qua utraque tractatione, hoc quoque intelligitur.

2. Poterit pactum Obligatorium â variis circumstantiis, variè iterum distingui, quæ divisiones eatenus in Jurisprudentia naturali commemorari possunt, quatenus præsupponunt circumstantias omnibus Gentibus communes, hæ enim Juris Gentium meritò existimantur. Sic pacta recte discernuntur (1) in *unilateralia* & *bilateralia* §. 5. *b.* denominutiones Autoris sunt arbitrariæ (2) *expressa* & *tacita* §. 9. *b.* (3) *realia* & *personalia* (4) *benefica* & *onerosa*, & si quæ ejus generis alia occurunt. In jure Romano aliæ pactorum divisiones occurrunt, sed Romanis propriæ, ac ex fori Romani corruptione ferè oriundæ, quæ adeo extra juris naturalis Disciplinam sunt hactenus, ut eas ita simpliciter memorare non liceat.

§. 6. *Promissio* potest dividi in *imperfectam* & *perfectam*. Illa est, quando ipsi quidem, qui promittimus, utique obligari volumus; ut tamen alteri jus ad exigendum non demus, seu ut nolimus ad promissum nostrum implendum violenter compelli. v. g. Si ita concipiam promissum; ego serio destinavi hoc vel illud tibi præstare, & peto, ut mihi credas. Sic enim videor obligatus magis ex lege veracitatis,

citatis, quam justitiæ, maloque videri propriæ constantiæ & gravitatis impulsu ferri ad faciendum officium, quam propter jus alterius. Huc spectant pollicitationes virorum potentum aut gratiosorum, quibus alicui non per verba honoris, sed serio suam commendationem, intercessionem, promotionem, aut suffragium spondent: quæ tamen hautquaquam velut jure aliquo abs se volunt exigi, sed in solidum suæ humanitati ac veracitati cupiunt imputari: ut officii sui gratia eo major sit, quo longius ab eodem coactio abfuerit.

Observ. 202.

Promissio potest dividi) Promissio imperfecta in statu naturali non aliter occurrit, quam quatenꝰ hoc actum est. In statu autem civili non tantum illud promissionis imperfectæ exemplum datur, quo pertinet doctrina Autoris §. *6. h. add. l. 3. c. 5.* §. *5. 6.* sed & promissio imperfecta est, quæ juxta juris civilis præscriptum non est inita, aut quam Princeps, Imperantem non habens, subditis suis facit, nam deest legitimus & idoneus executor.

§. 7. Perfecta autem promissio est, quando non solum ipse utique obligari volo, sed & simul jus in alterum confero, ut rem promissam velut debitam plene me poscere queat.

Observ. 203.

Perfecta autem) Promissio perfecta est, ad quam im-

implendam quis jure cogi potest & solet, sæpe tamen ex accidenti promissiones illæ, in effectu imperfectæ sunt, dum, in statu civili, Magistratus negligenter & languidè auxilia impertitur, vel in statu naturali, pars læsa viribus alterum cogendi destituitur, adeoque, per regulas prudentiæ, bellum omittere, obligationisque impletionem, alterius arbitrio relinquere tenetur.

§. 8. Porro ut promissa & pacta nos obligent ad aliquid dandum aut faciendum, quod antea non debebamus, aut omittendum, quod antea jure poteramus facere, maxime requiritur *ultroneus noster consensus*. Nam cum cujusvis promissi & pacti impletio cum aliquo onere sit conjuncta, nulla propior ratio est, quare super eo conqueri recte nequeamus, quam quia ultro in id consensimus, quod evitare penes nos erat.

Observ. 204.

Porro ut promissa & pacta) Pactorum essentia consistit in *Consensu*, nam uti sine hoc, præstationem quandam maximè operosiorem & molestam, aliquem postulare, læsio est, ita eo posito, omnis querendi causa cessat, & jus naturale præstationem illam exigit *§. 8. h.* Debet autem consensus esse (1) *declaratus* (2) *verus* & (3) *mutuus*.

§. 9. Consensus etsi regulariter per *signa*, puta voces, literas, nutusque exprimi soleat;

aliquando tamen contingit, ut ille citra isthæc signa ex ipsa negotii natura, aliisque circumstantiis liquido colligatur. Sicuti interdum *silentium*, cum certis circumstantiis considératum, loco signi consensum exprimentis valet. Unde & dantur *pacta tacita*, quando nempe consensus noster non per ejusmodi signa, quæ regulariter in commercio hominum recepta sunt, exprimitur, sed quando idem ex negotii natura, aliisque circumstantiis liquido colligitur. Sic & principali pacto sæpe adhæret pactum tacitum, quod ex ipsa negotii natura profluit. Sicut & usitatissimum, ut in pactis tacitæ quædam exceptiones & conditiones necessariæ sint subintelligendæ.

Observ. 205.

Consensus etsi regulariter) Juxta ordinem Autoris, consensus (1) debet esse *declaratus*. Declaratur autem vel *expresse*, per signa exprimendo consensui inter homines recepta, vel *tacitè*, per facta & non facta, à sciente suscepta, declarandæ tamen voluntati directò non adhibita, quam declarandi rationem alterâ esse obscuriorem magisque incertam, facilè liquet. Consistit ergo natura consensus taciti in eo, si ratio humana ex scientiâ ac affectu hominis agentis, vel non agentis, consensum colligat, hanc collectionem si quis dicere velit *Præsumtio-*

nem

nem, tum consensus *tacitus* & *præsumtus*, hactenus coincident. Sed sæpe ille consensus, *præsumtus*, seu stilo juris Romani, *fictus* dicitur, quando ejus, qui rem ignorat, adeoque in eam neque directè neque indirecte consentire potest, consensus ideò asseritur, quod, si sciret & intelligeret, in eam facile esset consensurus, aut etiam ob æquitatem consentire deberet, hoc sensu consensum tacitum & præsumtum differre, manifestum est. De cætero hujus consensus præsumti, in vita civili, nulla est vel necessitas vel utilitas, sed Romani JCti & interpretes eum saltem finxerunt, quo obligationem aliquam inde repeterent, cum tamen, sine ullo consensu prævio, ex absolutis Socialitatis decretis, illa asseri queat.

Observ. 206.

Unde & dantur pacta tacita) Eaque vel *principalia*, quorum quatuor exempla recensentur *l. 3. c. 6. §. 2.* vel *accessoria*, quorum itidem exempla quædam *d. §. 2.* afferuntur. Sed exemplum *negotiorum gestionis* & *tutelæ administrationis*, quod inter priora occurrit, ostendit, quod Autor consensum tacitum & præsumtum seu fictum confuderit.

Observ. 207.

Sicut & usitatissimum) Hæc rectè quidem dicuntur, sed præter scopum, hic enim est quæstio de consensu tacitè declarando, sed doctrina allata ostendit, quod consensus generaliter & expresse datus, per circumstantias nonun-

quam tacitè reſtringatur, quæ res ad materiam interpretationes pertinet.

§. 10. Ut autem aliquis liquido conſentire poſſit, requiritur *uſus rationis* hactenus, ut præſens negotium intelligat, an ſibi conveniat, & abs ſe præſtari queat, eoque perpenſo conſenſum ſuum ſufficientibus ſignis exprimere poſſit. Unde ſequitur, promiſſa & pacta *infantum*, ut & *amentium ac furioſorum* (niſi ubi dilucidis intervallis furor diſtinguitur,) nulla eſſe. Id quod & de promiſſis *ebriorum* eſt pronunciandum, ſi ebrietas jam eousque proceſſerit, ut ratio ſit plane obruta & ſopita. Nam pro vero & deliberato conſenſu haberi nequit, ſi quis vel maxime momentaneo & inconſulto impetu in aliquid inclinet, aut ſigna quædam edat conſenſum alias exprimentia, eo tempore, quando mens velut medicamine quodam loco mota fuerat. Sed & impudens foret, tale promiſſum, præſertim cum magno onere conjunctum, exigere velle. Quin ſi quis ebrietatem eam captavit, & obſervata alterius facilitate promiſſum aſtute elicuit, ne abs doli quidem fraudisque crimine immunis erit. Aſt qui, diſcuſſa crapula per ebrietatem acta rata habuerit, utique obligabitur non tam ex eo, quod ebrius, quam quod ſobrius egit.

Obſerv.

Observ. 208.

Ut autem aliquis liquido) Porro consensus (II) debet esse *Verus*. Veritas autem summatim æstimatur (1) ex *facultate consentiendi physica* (2) *morali* ac (3) *serio & libero facultatis illius exercitio*. Ob defectum primi requisiti, infantes, amentes & ebrii vere consentire & pacisci nequeunt §. *10. h. add. l. 3. c. 6. §. 3.*

§. 11. Cæterum quousque in *pueris* duret imbecillitas rationis, contrahendam obligationem impediens, in universum adeo accurate definiri nequit; cum in aliis citiꝰ, in aliis tardiꝰ judicium maturescat. Sed illud est ex cujusvis quotidianis actionibus judicandum. Etsi in plerisque civitatibus leges civiles certum heic temporis terminum constituerint. Sicuti & alicubi salutariter est receptum, ut aliorum prudentiorum autoritatem adhibere necessum haberent in contrahendis obligationibus, quousque inconsultus ille juventæ impetus deferbuisse censeretur. Quippe cum ea ætas, etiam quando negotium, quod geritur, intelligit, vehementi fere ac parum provido impetu feratur, ac in promissa sit facilis, spei plena, liberalitatis famam captans, in amicitias ambitiose colendas prona, ac diffidere nescia. Unde & dolo vix caret, qui istius ætatis facilitati imminet; & aliorum dispendiis locuple-

 tari

tari vult, quæ isti per judicii imbecillitatem prævidere aut æstimare non norunt.

Observ. 209.

Cæterum quousque in pueris) Mero jure naturali, i. e. sepositâ lege civili, ætatem, ineundis pactis idoneam, non esse definitam, facilè liquet, hinc pactorum validitas, hoc rerum statu, particulariter, quoad singula individua, æstimari debet, in quâ quidem æstimatione faciendâ, tum alterius capacitas & judicium, tum paciscentis alterius intentio, sincera illa fuerit, an callida & dolosa consideranda erunt. Est de cætero illa æstimatio tædiosa & lubrica, nec facilè eâdem indigemus, cum leges civiles certius illam rem definiant.

Observ. 210.

Etsi in plerisque civitatibus) Ita est: leges civiles ætatem, pactis aliisque negotiis expediendis necessariam, certius determinant, quam dispositionem, perinde ac pacta; in disciplina juris naturalis præsupponere licet, quamvis enim ad hanc decreta legis civilis, pertinere non videantur, attamen hoc est intelligendum de decretis singularibus, uni vel alteri Genti propriis, & v. gr. merè Romanis, ast si aliqua lex civilis, ex communibus æquitatis & utilitatis principiis, oriatur, ac omnibus Gentibus & Rebuspublicis communis sit, indolique generis humani conveniat, hæc eodem jure in doctrina juris naturalis adduci & præsup-

ſupponi poteſt, quo pactum, nam & hoc in ſe aliquid poſitivi eſt.

Obſerv. 211.

Sicuti & alicubi ſalutariter) Regulariter hæc cohærent, quando ætas definitur, tum ſimul diſponitur, ut teneræ ætati tutores vel Curatores aſſiſtant. Stante autem hac diſpoſitione civili, hæc, ex hypotheſi, naturalia ſunt (1) ut pupillus vel minor ſuo ſaltem conſenſu ſe obligare nequeat, ſed negotium ſuſceptum potius nullum ſit, nam exiſtentia obligationis naturalis, non tantum ex voluntate agentis, ſed & Imperantis æſtimanda eſt (2) ut pupillus & tutor ſibi mutuo ad indemnitatem obligentur (3) negotium vel cum tutore, vel ab hoc ſolo, bona fide geſtum, validum ſit ac pupillo imputetur, quod ſi tamen hic nihilominus læſus ſit, æqum eſt, uti ei ſuccurratur. Romani dicunt, quod negotium aliquando *ipſo jure nullum ſit*, aliquando per *reſtitutionem in integrum reſcindatur*, utriuſque etiam remedii durationem diverſo tempore circumſcribunt, quæ doctrina partim Romana, partim naturalis, nam remediorum diſtinctio, diverſa appellatio & duratio Romanis tribuenda eſt, quod vero aliquando negotium penitus nullum ſit, aliquando ſaltem læſionis emendatio peti queat, id â voluntate agentis & imperantis dependet, adeoque naturale eſt, idem dicendum de probatione, quæ pro caſuum diverſitate, diverſa eſt

2. Secundum veri consensus requisitum *vid. Observ.208.* deficit in iis, quibus leges vel divinæ vel humanæ facultatem paciscendi adimunt. Quo loco notandum, quod leges humanæ triplici modo hic aliquid constituere soleant, vel enim pacta simpliciter prohibent, vel iis vim civilem non largiuntur, vel paciscentibus facultatem pœnitendi concedunt, illo casu, obligatio oriri non potest, isto naturalis adest, hoc, incerta existit, quæ tamen arbitrio promittentis in validam converti queat.

§. 12. Consensum quoque impedit *error.* Circa quem hæ regulæ sunt observandæ. 1. Ubi in promissione aliquid tanquam conditionem supposuerim, citra cujus intuitum promissurus non fueram, naturaliter promissionis nulla erit vis. Nam promissor consensit non absolute, sed sub conditione: qua non adparente, promissio quoque nulla est. 2. Si ex errore ad paciscendum aut contrahendum fuerim impulsus, eumque re integra & quando nihil adhuc fuit præstitum deprehendero, æquum sane fuerit, ut facultas pœnitendi mihi concedatur: præsertim ubi præ me tulero, dum ad paciscendum accedo, quæ me causa impellat, nec alter ex mea pœnitentia detrimentum patiatur, aut id pensare ego paratus sim. Verum ubi res non amplius est integra, & ubi error tunc demum patuerit, quan-

quando jam pactum est impletum, ex toto aut ex parte; qui erravit à pacto resilire non poterit, nisi quantum alter ex humanitate velit indulgere. 3. Ubi error contigerit circa ipsam rem, de qua convenitur, pactum vitiatur non tam errorem, quam quia legibus pacti non fuit satisfactum. Nam in pactis ipsa res, de qua convenitur, ejusque qualitates debent esse cognitæ; citra quam cognitionem liquidus consensus intelligi nequit. Unde defectu deprehenso, qui lædendus fuerat, vel à contractu resilire potest, vel alterum ad defectum supplendum adigere, vel etiam ad præstandum id, quod interest, ubi ipsius dolus aut culpa intervenit.

Observ. 212.

Consensum quoque impedit error) Tertium requisitum, de quo *Observ. 208.* deficit (1) in iis, *qui per jocum vel verba honoris aliquid promittunt vid.* Op. Maj. *l. 3. c. 5.* §. *10.* (2) *errantibus*, errorem scilicet efficacem, non concomitantem, nam juxta hanc distinctionem, omnis hæc res expedienda, ac de regulis Autoris quoque judicandum est *vid. Observ. 25. 45.*

Obsurv. 213.

Ubi in promissione) Hæc regula rectè se habet, cum aperte res aliqua ad negotium destinata, adecque error, circa eam commissus, efficax sit, ac necessarium consensum excludat. Nihil porro interest, sive in re principali, sive rei quali-

litate erratum ſit, nam ſufficit, quod certæ rei contemplatione unice pactum ſit initum, adeoque ea ceſſante, conſenſus deficiat *add. l. 3. c. 6. §. 6.*

Obſerv. 214.

Si ex errore ad paciſcendum) Si quis in cauſa impellente erret, dum v. gr. putat, ſe res neceſſarias furto amiſiſſe, adeoque alias comparare debere, Autor cenſet, pacto perfecto, errantem poſſe recedere, ſed conſummato & impleto, non idem ipſi licere. Verum hæc doctrina non ſatis cohæret, nam ſi idonea aliqua ratio errantis cauſam, in primo caſu tuetur, eadem omninò in ſecundo etiam, valida erit, aut ſi hoc, ratio deficit, nec in illo aliqua aderit, imo ſi, ut Autor amplius docet, primo caſu damnum ab errante penſandum eſt, non habet Idem jus pœnitendi ac â pacto recedendi! Simpliciter itaque dicendum, quod errans pactum ſervare debeat, nam licet error fuerit invincibilis, tamen concomitans ſaltem eſt ac neceſſarium conſenſum non tollit, cauſa enim impellens, de qua contrahens vel plane tacet, vel eam narrativè ſaltem exponit, extra negotium eſt, adeoque error in ea commiſſus, nihil operatur. Idem erit dicendum, ſi quis in perſona, cum qua contractum oneroſum celebrat, erret, hic enim error etiam concomitans ſaltem eſt, certum enim individuum, niſi tempeſtiva deſtinatio acceſſerit, ad contractum talem non requiritur *conf. Obſerv. 45.*

Obſerv.

Observ. 215.

Ubi error contigerit) Hæc etiam regula bene se habet, ac cum prima fere coincidit, ratio autem Autoris, *quod pactum vitietur non tam ob errorem, quam quod legibus pacti non fuerit satisfactum*, parum accurata est, quia subordinata opponit, nam error ostendit, quod errans in rem, quæ revera adest, non consenserit, quodque adeo alter ejus intentioni non satisfecerit.

Observ. 216.

Unde defectu deprehenso) Hæc doctrina generalis est, pertinetque ad erroris efficacis effectum, de eo verò sic in genere pronunciandum: si errans id, in quo erratur, præcipue vel unice respexerit, tum ei integrum est, â pacto plane recedere, si vero non fuerit potissima causa, tum salvo pacto, habet saltem jus petendi id, quod ejus interest. Romani JCti ad hoc fundamentum in effectu quidem respexerunt, sed illud ambiguâ doctrinâ involverunt, ceu ostendi in *Observ.* ad Compend. Jur. Lauterbach: *Observ. 511. seqq.*

§. 13. Quod si quis *dolo* & malitiosa fraudulentia alterius inductus fuit ad promittendum aut paciscendum, ita est habendum. 1. Si tertius dolum adhibuerit, non colludente eo, quicum paciscimur, negotium erit firmum: ab eo tamen, qui dolum adhibuit, poterimus repetere id, quod intererat, nos non fuisse deceptos. 2. Qui dolo suo malo causam

ſam dedit, ut ipſi quid promitterem cum eovè paciſcerer, ei ex iſthoc actu hautquidquam obligor. 3. Si quis ultro quidem & liquida cum deſtinatione animi ad paciſcendum acceſſerit, in ipſo tamen negotio, puta, circa objectum, ejusvè qualitates & æſtimationem dolus interceſſerit; hactenus pactum erit vitioſum, ut in arbitrio decepti ſit illud penitus diſſolvere, aut læſionis penſationem exigere. 4. Quæ ad eſſentiam negotii non faciunt, nec expreſſe fuerunt deſignata, actum de cætero rite conceptum non vitiant; licet forte alter de iis, dum paciſcitur, tacite cogitavit; aut ejus opinio aſtu fuit confirmata, quousque contractus concluſus foret.

Obſerv. 217.

Quodſi quis dolo) Tertium veri conſenſus requiſitum *vid. Obſerv. 212.* deficit (3) in *deceptis.* Hi etiam errant, ſed quia alterius dolo in errorem conjiciuntur, ideo non tam ex errore, quam alterius delicto, pacti invaliditas repetitur. Nihil quidem vetat, ad utrumque reſpicere, ſed quia ſolus dolus improbando pacto ſufficit, ideo ad hunc ſolum fere reſpicitur.

Obſerv. 218.

Si tertius dolum adhibuerit) Regula hæc bene ſe habet, ſive enim ex errore, ſive dolo invaliditatē pacti repetere velis, neutra ratio ſufficiet, error enim concomitans eſt *conf. Obſerv. 214.* dolus

lus verò ab ipso paciscente non est commissus, hinc nihil superest, quam ut, salvo pacto, dolosus ad satisfactionem præstandam adigatur.

Observ. 219.

Qui dolo suo malo causam dedit) Dolus qui dat causam contractui, ac ab ipso paciscente adhibitus fuit, facit negotium, ratione læsi, nullum, nam absurdum esset, si quis delicto alium sibi validè obstringere posset. Romani hoc casu aliquando pactum ipso jure nullum, aliquando, per restitutionem in integrum, rescindendum pronunciant, sed istas tricas, rabulariam fori Romani redolentes, merum jus naturæ ignorat, imo improbat *vid. Observat.* ad Lauterbach. *Observ. 116. seqq.*

Observ. 220.

Si quis ultro quidem) Si dolus in pactum saltem inciderit, Autor adhuc læso electionem asserit, utrum à pacto recedere, an, eo salvo, interesse petere velit, quæ sententia, ob alterius delictum, admittenda videtur, maxime, si id, in quo dolus commissus, læsus præcipuè respexerit. Romani quidem, ob dolum incidentem, saltem jus ad interesse concedunt, sed illam sententiam indoli negotii, & æquitati non satis convenire, in *Observ.* ad Lauterbach. *Observ. 119.* ostendi.

Observ. 221.

Quæ ad essentiam negotii) Hoc casu pactum pro va-

valido merito habetur, quia verus dolus non intervenit, sed læsus seipsum velut decepit.

§. 14. *Metus*, qui circa promissa & pacta intervenit, *dupliciter* sumitur, vel pro *suspicione* probabili fore, ut ab altero decipiamur, idque vel quia ejusmodi vitium in animo ipsius hæret, aut quia malignam suam voluntatem sat perspicue significavit: vel pro *vehementi animi terrore*, orto ex intentato gravi malo, ni promissum aut pactum inire velimus. Circa *priorem* speciem metus ita habendum. 1. Qui confidit illius promissis & pactis, cui fidei religio in universum nihili fit, imprudenter quidem facit; sed eam solam ob causam pactum non redditur irritum. 2. Ubi pactum jam sit initum, ac nulla nova emergant indicia intenatæ deceptionis, non licebit à pacto resilire ex obtentu vitiorum, quæ ante pactum erant cognita. Nam quæ causa aliquem non prohibuit, quo minus pacisceretur, eadem quoque prohibere non debet, ne pactum impleat. 3. Ubi post pactum initum certissima emergant indicia, alterum id agere, ut mihi, quando meum priore loco præstitero, illudat, non prius ad præstandum adigi potero, quam contra eam deceptionem mihi cautum sit.

Observ.

Obſerv. 222.

Metus qui circa promiſſa) Denique verus conſenſus non eſt (4) in *metuentibus*, ſed non indiſtinctè. Metus, qui pro ſuſpicione doli accipitur, adeoque hujus, ſi interveniat, relatum eſt, peculiaribus regulis non nititur, ſed circa eum recurrunt, quæ proxime de dolo diximus. Neque etiam Autor novi quid hic affert, ſed vel occurrit prætextibus, quorſum pertinet regula *prima* & *ſecunda*, vel ea inculcat, quæ prudentia requirit, quo ſpectat *tertia add. l. 3. c. 6. §. 9.*

§. 15. Circa *alteram* ſpeciem metus hæ regulæ obſervandæ. 1. Pacta, quæ ineuntur propter metum à tertio incuſſum, valida ſunt. Nam in hoc utique nullum reſidet vitium, quo minus jus ex pacto ſibi adverſus me adquirere queat; & mentum ab altero intentatum diſcuſſiſſe, penſatione utique dignum eſt. 2. Quæ pacta ex metu aut reverentia imperii legitimi ineuntur, aut ob auctoritatem eorum, quibus magnopere devincti ſumus, valida ſunt. 3. Pacta, ad quæ ab illo ipſo, cui promittit aut quicum paciſcitur, injuſta ejusdem vi quis compellitur, invalida ſunt. Nam injuria, quam alter incuſſo metu injuſto mihi infert, incapacem eum reddit, ut jus ſibi adverſus me ex illo actu quærere poſſit. Et cum quis alias teneatur penſare damnum abs ſeſe da-

datum, per compensationem velut tolli obligatio intelligitur, si non solvitur id, quod statim restitui debeat.

Observ. 223.

Circa alteram speciem metus) Metus, qui ex repræsentato malo oritur, proprie hoc nomen gerit, ac opponitur Vi, cui tamen dolus, verum non clandestinus, sed apertus, & qui verorum delictorum omnium est anima, inest, propriisque regulis nititur, quarum summa est, eatenus metum impedire pacta, quatenus consensum obligatorium tollit.

Observ. 224.

Pacta quæ ineuntur) Vera est hæc regula, nam metus à tertio incussus, vel nondum est præsens, vel si hoc etiam sit, pactum cum alio celebratum non attingit, sed saltem jus contra eum, qui metum intulit, largitur juxta doctrinam *Observ. 218. add. l. 3. c. 6. §. 10. seqq. l. 9. §. 1. ff. quod met. caus.*

Observ. 225.

Quæ pacta ex metu) Hæc quoque doctrina bene se habet, nam uti vis omnem consensum non tollit, ita coactus debebat consentire, ac adeo in cogente nullum est delictum, hinc nihil est, quod valorem pacti impediat.

Observ. 226.

Pacta ad quæ ab illo ipso) Vis injusta & vera pactum reddit invalidum, ceu datis rationibus Autor ostendit, quarum prior κατ' ἀλήθειαν, po-

posterior κατ' ἄνθρωπον, rem demonstrat. Non obstat, quod vis consensum non penitus tollat, nam utut qualis consensus adsit, attamen, ob cogentis delictum, producendo ac imputando juri & obligationi non sufficit. Romani pactum, metu initum, validum, sed restitutione in integrum rescindendum dicunt, quarum tricarum nulla vel necessitas vel utilitas est, de quo dixi in *Obs.* ad Laut. *Observ.* 113. *seqq.*

§. 16. Præterea oportet *consensum* non in pactis solum, sed & promissis esse *mutuum*; sic ut consentire debeat non solum qui promittit, sed & cui promittitur. Quando enim hujus consensus abest, seu quando is oblatum promissum acceptare detrectaverit, res promissa penes promissorem manet. Qui enim alteri rem suam offert, neque invito eam vult impingere, neque pro derelicta habere. Ergo si alter non acceptet, juri promittentis in rem oblatam nihil decedit. Quod si rogatio antecessit, censebitur ea durare, nisi expresse fuerit revocata; eoque casu in antecessum acceptatio facta intelligitur. Ita tamen ut rogationi respondeat oblatio. Nam si hæc discrepet, expressa requiritur acceptatio; quia sæpe mihi non consulitur, nisi tantundem quantum rogavi accepero.

Observ. 227.

Praterea oportet consensum) Denique consensus (III) debet esse *Mutuus*, vid. *Observ. 204.* nam nisi utriusque paciscentis voluntas in idem placitum conspiraverit, obligatio valida nasci non potest, utrius vero consensus præcedat, aut sequatur, nihil refert §. 16. In pollicitationibus & Votis, solo promittentis consensu, citra acceptationem, obligationem validam produci, existimant JCti Romani, eorumque interpretes plerique, quæ sententia communem rationem offendit *vid. l. 3. c. 6. §. 15.*

§. 17. Circa *materiam* promissorum & pactorum requiritur, ut, quod promittimus aut paciscimur, *non sit supra nostras vires*, nevé id patrare lege aliqua prohibeamur: alias enim aut stolide aut improbe promittimus. Exinde consequitur; neminem sese obligare posse ad id, quod ipsi est impossibile. Quod si autem res, quæ tempore pacti initi possibilis habebatur, post impossibilis aliquo casu citra paciscentis culpam facta sit, re integra pactum erit nullum. Ubi quid præstitum ab altero jam fuit, id restituendum, aut æquipollens reponendum. Si ne hoc quidem fieri possit, summus erit conatus adhibendus, ne alter detrimenti quid capiat. Nam in pactis primario respicimus ad id, de quo expresse fuit conventum; ubi hoc obtinere non possumus,

mus, sufficit æquipollens exhiberi: saltem ne damnum sentiamus omni modo cavendum est. Qui vero dolo aut gravi culpa sibi ipse vires præstandi detraxit, non solum ad summum conatum tenetur, sed & velut in supplementi vicem malo insuper poterit mactari.

Observ. 228.

Circa materiam promissorum) Ex iis, quæ hactenus de consensu diximus, ultro intelligitur, tum *quinam pacisci queant, ac revera paciscantur*, nimirum qui gaudent facultate consentiendi physica & morali, ac serio & libere consentiunt, quæ omnia regulariter præsumuntur, tum quæ sit *materia pactorum*, nempe actiones & res licitæ & possibiles §. *17. h add. l. 3. c. 7. §. 1.*

Observ. 229.

Exinde consequitur) Ad impossibile quidem nemo se pacto obstringere potest, aliquando tamen occasione ejusmodi promissionis, ob intervenientem læsionem, ad damnum resarciendum, promittens obligatur, cui intelligendo distinguendum, utrum *impossibilitas tempore pacti adfuerit* hoc casu si promissor solus eam sciverit, ad interesse tenetur, quia invitum læsit, si vero vel neuter, vel uterque, vel solus Creditor, illam intellexerit, obligatio cessat, damnum enim vel fortuitum est, vel invito non accidit *vid. l. 3. c. 7. §. 2.* an *illa post pactum supervenerit.*

Observ. 230.

Quodsi autem res) Altero hoc casu Autor amplius distinguit, utrum *impossibilitas supervenerit casu*, & tum vel æquipollens præstandum esse, vel à pacto recedi existimat, *add. l. 3. c. 7. §. 3.* sed hoc verum tantum est in negotiis, quæ dominium non transferunt, ut locatione conductione, non autem in pactis dominii translativis, ut emtione, venditione, nam si hac perfectâ, res vendita casu perierit, emtoris est periculum, quia potius jus habet, imo, mero jure naturali, jam dominus est, hinc venditor pretium acceptum retinet, aut promissum exigit, an *culpa promissoris*, hoc casu eum ad interesse teneri, facile liquet.

§. 18. Patet quoque ad *rem illicitam* præstandam obligari nos non posse. Nam nemo valide se potest obstingere ulterius, quam ipsi est potestas. Ast qui lege actionem prohibet, adimit utique potestatem eam suscipiendi, & de eadem præstanda obligationem admittendi. Contradictorium quippe est, ex obligatione per leges confirmata aliquid necessario debere facere, quod per easdem leges est omittendum. Unde peccat quidem, qui illicita promittit; sed bis peccat, qui eadem præstat. Unde & hoc colligitur; non servari debere promissa, quæ illi, cui fiunt, noxæ sunt futura; cum naturali lege prohibitum

sit,

ſit, ne quis alteri, etiam ſtolide volenti, malum inferat. Si igitur pactum circa rem turpem fuerit initum, neuter ad id explendum tenebitur. Quin & ubi turpe facinus, ab uno fuit præſtitum, alter ad ſolvendam conventam mercedem non obligabitur. Quod tamen illo intuitu jam eſt datum, repeti nequit, niſi forte dolus aut enormis læſio acceſſerit.

Obſerv. 231.

Patet quoque ad rem illicitam) Turpia quoque valide promitti non poſſunt, quod probe oſtenditur *h. add. l.3.c.7.§.6.7.* nihil autem refert, utrum lex divina an humana aliquid prohibeat, modo hæc actum, contra prohibitionem ſuſceptum, nullum eſſe velit, nam ſæpe aliam pœnam exigit, ac ea præſtita, de invaliditate velut diſpenſat.

Obſerv. 232.

Si igitur pactum) Quo de invaliditate pacti turpis eo rectius judicari queat, triplex ejus ſtatus eſt diſtinguendus, vel enim (1) *ſaltem eſt initum*, & neuter ad id explendum tenetur, vel (2) *turpe factum eſt præſtitum*, tum merces non eſt ſolvenda, quod contra Grotium amplius oſtenditur *l.3.c.7.§.8.* vel (3) *merces eſt ſoluta*, tum accipiens ad eam reddendam non eſt obligatus, niſi forte inſignis ejus improbitas & dolus ſubſit, *§.18. h. add. d.c.7. §.9.* quia in pari turpitudine melior eſt conditio poſſidentis. Ita vulgo, ſed illam doctrinam non eſſe natu-

ralem, ſed civilem & quodammodo abſurdam, jam oſtendi in Obſerv. ad Lauterbach. *Obſerv. 354.* hinc juxta merum jus naturale, reſtitutionis neceſſitas omnino aſſerenda eſt, nam in accipiente nullum jus eſt retinendi, uterque tamen tam hoc, quam præcedentibus caſibus, puniri poteſt, quodſi ſolius accipientis turpitudo ſubſit, & ad reſtitutionem, quod vulgo etiam recte concedunt, & ad pœnam, ſolus tenebitur.

§. 19. Denique & hoc manifeſtum eſt, fruſtra promittere nos aut paciſci circa *res alienas*, in quantum illæ non noſtræ, ſed alterius directioni & arbitrio ſunt ſubjectæ. Quod ſi autem ita promiſero; me operam daturum, ut alter, (cui pro imperio me quid imperare non poſſe præſupponitur,) præſtet: tunc teneor omni modo moraliter poſſibili, (i. e. quantum alter honeſte à me poſtulare poteſt & quantum vitæ civilis ratio fert,) laborare, ut ad eandem præſtandam alter permoveatur. Sed & ſuper rebus aut actionibus noſtris, in quas jam alteri jus fuit quæſitum, tertio valide promittere non poſſum, niſi forte in eum caſum, quo alterius jus expiraverit. Nam qui prioribus promiſſis aut pactis jus ſuum in alterum jam tranſtulit, ipſe utique nullum tale jus reliquum amplius habet, quod in tertium poſſit conferre. Ac nullo negotio omnia

pro-

promiſſa & pacta poſſent fieri irrita, ſi liceret aliud inire, in quo contraria priori diſponerentur, ac quicum prius ſimul expleri nequit. In quo fundatur tritum illud: qui prior tempore, potior jure.

Obſerv. 233.

Denique & hoc manifeſtum eſt) Circa actiones & res, vel ſimpliciter, vel certo reſpectu alienas, etiam validè paciſci non licet, quamvis occaſione rerum alienarum quis ad factum proprium, vel intereſſe obſtringi queat §. *19. h. add. d. c. 7.* §. *10. 11.* hæc enim in ipſius poteſtate ſunt.

Obſerv. 234.

Sed & ſuper rebus aut actionibus noſtris) Mero jure naturali, ſuper rebus & actionibus noſtris, in quas aliis jam eſt jus quæſitum, ſimpliciter paciſci non poſſumus, ſed pactum, quatenus in præjudicium juris quæſiti tendit, eſt invalidum, quam doctrinam Autor hic ſequitur. Sed juxta leges civiles, introducto juris realis & perſonalis diſcrimine, pactum ſaltem invalidum eſt, ſi alii jus reale in res noſtras ſit quæſitum, jus vero perſonale pactum poſterius non impedit, ſed ejus, quod intereſt, perſecutionem ſaltem operatur.

§. 20. Eſt præterea circa promiſſa potiſſimum obſervandum, illa concipi ſolere vel *pure & abſolute*, vel ſub *conditione*, ut ſcilicet validitas promiſſionis conferatur in aliquem eventum, à caſu aut arbitrio humano pendentem.

tem. Sunt autem *conditiones* vel *possibiles*, vel *impossibiles*. Illæ subdividuntur in *casuales* seu *fortuitas*, quæ ut existant vel non existant, penes nos non est: *potestativas* seu *arbitrarias*, quæ, ut existant vel non existant, penes eum est, cui promittitur: & *mixtas*, quarum impletio partim ab arbitrio ejus, in quem confertur, partim à casu dependet. *Impossibiles* autem sunt vel *physice* tales, vel *moraliter*; i. e. quædam per rerum naturam fieri à nobis non possunt, quædam per leges & honestatem fieri non debent. Et impossibiles quidem conditiones, si naturalem interpretandi simplicitatem sequamur, orationem promittentem faciunt negativam. Etsi per leges fieri possit, ut, si adjectæ sint negotio alicui serio, habeantur pro non adjectis; ne per actus nullum eventum sortituros hominibus illudatur.

Observ. 235.

Est præterea circa promissa) Ex libertate naturali paciscimur vel *pure*, vel cum *aliqua adjectione*. Adjicitur autem *tempus*, *conditio* vel *modus*. Tempus, ratione cognitionis humanæ, distinguitur in *certum* & *incertum*, ac adjicitur pactis, vel ut terminus *à quo* vel *ad quem*, ex qua adjectione, diversitas, quoad durationem vel existentiam obligationis, resultat, *vid. l. 3. c. 5. §. 8.* Romanorum subtilitates, quod obligatio non

non desinat ipso jure, aut quod dies nonnunquam cesserit, sed non venerit, & similes extra jus naturale, ac nullius usus sunt.

Observ. 236.

Ut scilicet validitas) Plenius conditio sic definitur: Est *adjectio incerti eventus eo animo facta, ut ejus existentia negotium perfectum resolvat, vel imperfectum perficiat.* Autor saltem ad conditionem suspensivam respexit.

Observ. 237.

Sunt autem conditiones) Est hæc divisio æquivoci in sua æquivocata, nam conditio impossibilis, revera non est conditio, neque enim suspendit aut resolvit, sed vel actum purum relinquit, vel eum destruit, aut oriri non patitur, hinc etiam definitio conditionis ei non convenit, ex quo patet, divisionem definitioni fuisse præmittendam.

Observ. 238.

Illæ subdividuntur) Conditio possibilis, proprie conditio est, ac dividitur (1) ab *eventu adjecto*, in *Casualem*, *Potestativam* & *Mixtam*, de quo Autor §. *20. h. add. l. 3. c. 8. §. 4.* (2) à *fine* in *suspensivam*, quæ negotii perfectionem suspendit ac id sua existentia perficit, & *Resolutivam*, quæ perfectum resolvit.

2. Quo igitur effectus conditionum recte dijudicetur, triplex earum status est distinguendus, vel enim (1) conditio *pendet*, tum negotii perfectio aut resolutio est quoque in pendenti, vel (2) *existit*, juxta voluntatem scilicet paci-

 scen-

ſcentium, de quo ex circumſtantiis judicandum, tum negotium perficit vel reſolvit, & ab eo quidem tempore, quo id fiere voluerunt paciscentes, vel (3) *deficit*, tum perfectio aut reſolutio amplius ſperanda vel metuenda non eſt.

Obſerv. 239.

Impoſſibiles autem ſunt) Conditionum impoſſibilium *diviſio* & *Effectus* adducitur, ſed huic intelligendo diſtinguendum, utrum adjectio fiat *negative*, ne impoſſibile vel turpe fiat, hoc caſu pactum purum & validum eſt, cujus enim affirmatio eſt impoſſibilis, ejus negatio eſt neceſſaria; an *affirmative*, quo impoſſibile aut turpe fiat, hoc caſu, pactum impedit, juxta naturalem interpretationem, ceu recte docet Autor, id quod de turpi etiam dicendum, nam licet hæc caſu, vel etiam ex proæreſi impleri queat, attamen cum promiſſor, ſub tali conditione valide quid promittere nequeat, præterea ejusmodi conditio, juxta communem mortalium affectum, pro impoſſibili & nunquam exſtitura habeatur, hinc promiſſor et, iam talem eventum, ut nunquam ſecuturum, conſideraſſe, ac adeo nihil ſerio promiſiſſe, merito cenſetur.

§. 21. Denique promittimus & paciſcimur non ſolum per noſmetipſos, ſed etiam aliorum hominum interventu, quos ipſi voluntatis noſtræ *internuncios* atque interpretes conſtitui-

stituimus. Per quos, ubi bona fide egerint, quod á nobis in mandatis habebant, valide obligamur apud eos, qui cum istis velut nostras vices gerentibus egerunt.

Observ. 240.

Denique promittimus) Possumus per alios obligari ac jus acquirere, qui vel nostra voluntate sunt instructi, ac juxta eam, indiciis habilibus explicatam, agunt, vel quorum gesta ex postfacto ratihabemus, *vid. l. 3. c. 4.* hinc in specie stipulationem, ab alio sine nostra voluntate factam, acceptare, ac promissorem ad implendum promissum adigere possumus. Illud autem in genere observandum, quod personæ intermediæ aliquando solius instrumenti rationem habeant, aliquando vero suo etiam consensu paciscantur, illo casu pactum illos plane non attinet, hoc autem, quamdiu qualitas intermediæ personæ in iis durat, ipsæ etiam ex pacto agere & conveniri possunt, qvorsum pertinent procuratores & institores similesve personæ, circa quas tamen jus Romanum varias tricas introduxit, quæ sunt extra jus naturale.

§. 22. Atque hæc sunt officia hominis absoluta, ut & per quæ velut transitus ad alia fit. Reliqua præsupponunt aliquod *institutum* humanum, generali pacto subnixum, & in genus humanum introductum; vel etiam *statum* aliquem peculiarem. Institutorum istorum depre-

prehenduntur potiſſimum *tria*; *ſermo*, *dominium rerum*, earundemque *pretium*, & *imperium humanum*. De ſingulis, ut & quæ inde reſultant, officiis, deinceps exponendum.

Obſerv. 241.

Atque hæc ſunt officia hominis) Hanc connexionem minus probam nobis videri, ex *Obſerv.* 152. 196. jam liquet. Nimirum hæc diſplicent (1) Quod triplicis generis officia aſſerantur, cum tamen omnia vel ſtatum naturalem, vel advenitium præſupponant, ceu d. *Obſerv.* 152. admonitum. Imo quam nullo partitio illa trimembris nitatur fundamento, vel inde colligas, quod de imperio humano, inter officia, quæ ex ſtatu adventitio reſultent, agatur, cum tamen, juxta factam partitionem, ad ſecundi generis officia, ejus conſideratio pertineat (2) quod hypothetica officia ex pacto ſaltem repetantur, id quod d. *Obſerv.* 196. rejectum (3) quod officia deinceps exponenda, ab hactenus expoſitis, diverſa credantur, cum tamen ſint eadem, ceu res ipſa loquitur, niſi quod, in materia matrimoniali, nonnulla occurrant, quorum hactenus non eſt facta mentio, tetigimus tamen eorum fundamentum *Obſerv. 79. n. 5.* (4) quod inſtituta hic laudata, pro fundamento præceptorum quorundam, habeantur, cum tamen præceptorum ſtatum naturalem vel adventitium præſupponentium, ſeu abſolutorum & hypotheticorum, ſint ſaltem objectum (5) quod

quod ſermo, cum dominio & imperio, eâdem claſſe cenſeatur, id quod non recte fieri, inde liquet, quod ille ſit actio humana, hæc vero, jura ſeu res morales, adeoque toto genere differant (6) quod ſermo uni loco includatur, cum per totam Jurisprudentiam naturalem ſe diffundat. Non melior connexio redditur in Op. Maj. *l. 3 c. 9. §. 8.* Quid mihi videatur, jam indicavi *Obſerv. 197.* nempe poſt explicationem præceptorum naturalium generalem ſpecialior eorum tractatio, juxta varia objecta, in vita civili occurrentia, inſtitui debet, quam uti Autor in ſequentibus molitur, ita eadem, ordine accurato, non eſt inſtituta, in quæ tamen mutandi arbitrium hactenus nobis non competit, hinc rem ipſam ſpectabimus.

CAPUT X.

DE

OFFICIO SERMOCINANTIUM.

§. I.

Quam utile ac plane neceſſarium ſit inſtrumentum ſocietatis humanæ ſermo, nemo eſt, qui ignorat: cum multi vel ea ſola facultate collegerint

rint, hominem ad agendam vitam ſocialem à natura deſtinatum. Circa hujus ergo legitimum & ſocietati humanæ proficuum uſum id officii lex naturalis hominibus dictitat: *ut ne quis ſermone, aut aliis ſignis ad exprimenda animi ſenſa inſtitutis alterum decipiat.*

Obſerv. 242.

Quam utile ac plane) Circa ſermonem duo ſummatim ſpectanda (1) ipſe *ſermo* (2) *officium ſermocinantium*, ſeu ſermonis *natura* & *moralitas*. Utrumque caput prolixius expoſitum eſt in *Diſſert.* de Offic. ſermocin: *ſub meo moderamine Lipſ. 1695. habita.* Hoc loco ſumma rei breviter exhiberi debet.

2. Sermo eſt *vox articulata, ex impoſitione hominum, ad communicanda animi ſenſa, aliquid ſignificans.* Eſt idem ex genere ſignorum *arbitrariorum*, quæ ex impoſitione ſignificant, quibus opponuntur ſigna *naturalia*, quæ ob connexionem phyſicam, rem aliquam indicant *vid.* Op. Maj. *l. 4. c. 1. §. 2.* Thomaſ. *J. J. D. l. 2. c. 7. §. 5.* Summam autem ſermonis eſſe utilitatem *§. 1. h. d. l. 4 c. 1. §. 1.* facilè liquet, interim attendi illa non ſolet, quia ſermo nunquam plane deficit, quæ negligentior æſtimandi ratio, omnibus hujus generis rebus accidere ſolet.

Obſerv. 243.

Circa hujus ergo legitimum) Doctrina de officio ſermocinantium, & alieno loco poſita, & inſufficiens eſt, cujus inſufficientiæ non alia eſt cau-

causa, quam quod sermonis explicatio in loco proprio non sit instituta. Nos de hac re mox paulo plenius agemus.

§. 2. Sed ut indoles sermonis penitius intelligatur, sciendum est, circa sermonem, voce viva aut literis expressum, duplicem obligationem occurrere. *Una* est, qua isti, qui eadem lingua utuntur, certæ rei certum vocabulum, prout usus cujusque linguæ fert, adplicare tenentur. Cum enim neque voces, neque certi literarum ductus certam rem natura notent: [alias enim omnes lingvæ aut scripturæ genera coincidere deberent,) inde ne usus linguæ foret inanis, si quisque quo vellet vocabulo quamlibet rem nuncuparet: necessum est inter eos, qui eadem lingva utuntur, tacitam intercessisse conventionem, ut certam rem certo, & non alio vocabulo denotent. Ni enim in uniformem vocum adplicationem fuerit conspiratum, impossibile est, ex sermone alterius sensa animi colligere. Unde vi istius pacti quilibet tenetur, ita adhibere in sermone communi vocabula, prout receptus ejus linguæ usus fert. Ex quo etiam hoc consequitur, ut quanquam sensa animi à sermone discrepare queant, id tamen in vita humana quisque voluisse censeatur, quod verba ejus præ se ferunt, etsi fortasse intrinseca

ſeca mentis deſtinatio ab iſtis diſcedat. De hoc enim cum niſi per ſigna conſtare nequeat, omnis uſus ſermonis redderetur irritus, ſi interna animi cogitatio, quam ſibi quisque pro lubitu fingere poſſet, id quod ſigna præ ſe ferunt in communi vita elidere poſſet.

Obſerv. 244.

Sed ut indoles ſermonis) Circa ſermonem, duplicem obligationem occurrere cenſet Autor, quarum prior ad ejus *vim ſignifiativam*, poſterior, ad *uſum* pertineat, ſed illam gratis aſſeri, mox oſtendam.

Obſurv. 245.

Una eſt qua iſti) Sermonem naturâ ſuâ nihil ſignificare, ſed *vim* ejus *ſignificativam* eſſe ab impoſitione hominum, ſatis quidem certum eſt, *vid. d. c. 1. §. 4.* ſed *an illa impoſitio ſimplici conſenſu an obligatorio facta ſit*, quæritur? Autor poſterius aſſerit, *add. d. c. 1. §. 5.* ſed prius magis verum eſt, nam (1) homines, impoſitionis faciendæ cauſa, nunquam convenerunt, ſed potiꝰ ſucceſſive impoſitio facta eſt, adeo ut ſæpe ab uno hodiè illa fiat, reliqui vero eam ultro, ſine ulla ſe obligandi intentione, admittant, non ſecus ac, uno hiſtoriam vel fabulam narrante, multi eius redduntur participes, atque ita communis notitia, ſed nulla obligatio, exiſtit [2] ſi conventione eſſet facta impoſitio, tum inno-

innoxia etiam mutatio in vitio esset, quod tamen nemo dixerit,& experientia refellit.

Observ. 246.

Cum enim neque voces) Hæc ratio non probat *conventionis*, sed *simplicis impositionis* necessitatem, & qui posset conventio iniri, ubi nulla est hominum consociatio, ac nulla in iis,se, vel alios sibi,obligandi intentio?

Observ. 247.

Unde vi istius pacti) Circa sermonem occurrere obligationem, quæ ejus usum dirigat, ac in specie sensum inusitatum, ac reservationes mentales, nonnunquam prohibeat, aut adhibitas improbet, certum omnino est,sed quod illa obligatio ex conventione, quâ sermoni vis significativa tributa sit, oriatur, illud utique gratis,ex præconcepta illa conventione, asseritur,fluit potius illa obligatio ex communibus socialitatis præceptis, vel pactis specialibus,uno verbo: est illa obligatio, de qua §.3. *h.* agitur.

2. Id circa vim significativam etiam observandum est,quod sæpe vocabula qvoad significatum principalem conveniant, non vero quoad accessorium, hinc unum altero nonnunquam est gratius vel magis odiosum *vid. d. l. 4. c. 1. §. 6.* aut etiam majoris minorisive ponderis.

3. *Origo* sermonis â primordio generis humani repetenda est, *incrementa* vero & *varietas* tam â causa in S. literis adducta,quam Gentium ul-

teriori cultura variisque migrationib9 deduci debent *vid. d.c.1. §. 3.* In singulis vero hominibus sermo ex auditu provenit, adeo, ut surdi nati loqui non possint, quamvis nostro præsertim tempore nonnulla laudentur specimina quibus facultas loquendi & scribendi surdis natis conciliata sit. *vid.* Ammam. *Mnt. loqu.*

4. Sermonis *Affectiones* sunt *Veritas* i. e. voluntaria sermonis, consueto sensu intellecti & rei convenientia, & *Falsiloquium* i. e. voluntaria loquelæ, usitato significatu acceptæ, & rei disconvenientia. Differunt igitur â Veritate & Falsitate logica, quæ in conformitate vel difformitate intellectus & rei conceptæ simpliciter, nulla verborum habita ratione, consistunt. *Oppositum* Sermonis, est *Silentium* i.e. sermonis omisſio.

5. Cognata affectionum sermonis & silentii, sunt *Sinceritas*, quæ facta menti attemperat, *Simulatio*, quæ actiones â mente alienas format, & *Dissimulatio*, quæ facta mentem indicatura omittit: Illa veritati, Ista falsiloquio, Hæc silentio similis est. Omnes hi actus, veritas inquam, falsiloquium, silentium, sinceritas, simulatio & disſimulatio, seposita lege, sunt indifferentes, possunt autem omnes boni & mali fieri, prout leges illos vel jubent, vel prohibent.

§. 3.

§. 3. *Altera* obligatio, quæ in ſermone intervenit, in eo conſiſtit, ut quis alicui per ſermonem animi ſui ſenſa ita debeat pandere, ut hæc ex illo liquido cognoſcere queat. Cum enim non loqui tantum, ſed & tacere homo queat, & cum non ſemper, quod quis in animo volvit, id coram quibusvis aperire teneatur: igitur neceſſum eſt, ut peculiaris exiſtat obligatio, quæ alicui neceſſitatem adferat, tum ad loquendum, tum ad ita loquendum, ut alter ſenſa animi noſtri intelligat. Oritur autem illa obligatio vel *ex peculiari pacto*, vel *ex communi præcepto legis naturalis*, vel *ex præſentis negotij indole*, cui contrahendo ſermo adhibetur. Sæpe enim expreſſe cum aliquo convenitur, ut quis animi ſui ſenſa ſuper aliquo negotio mihi aperiat; ut, ſi quem informatorem mihi in aliqua diſciplina adſciſcam. Sæpe quoque præceptum aliquod legis naturalis meam ſcientiam alteri communicare jubet, ut hoc modo ipſi proſim, vel noxam ab eodem avertam, aut ad noxam accipiendam cauſam vel occaſionem non præbeam. Aliquando denique præſens negotium, quod cum alio ſuſceptum eſt, aliter expediri nequit, ni judicium meum ſuper eo pandam; uti circa celebrandos contractus contingit.

Observ. 248.

Altera obligatio) Poſtea etiam ſermonis moralitas ſeu ſermocinantium officium expendi debet. Duæ ſunt quæſtiones (1) an *detur obligatio circa ſermonem?* quæ dubio procul aſſerenda, cum enim omnes hominum actiones legi naturali ſubſint, mirum foret, ſi ſermo exemtus ſit, atque eo pertinet philoſophia Autoris *h.* (2) *quæ præcepta obligationem introducant?* Autor §. *1. h.* laudat præceptum de non lædendo alio, ſed hujus doctrinæ inſufficientiam mox §. *3. h.* agnoſcit, quando præceptis humanitatis aliquem etiam locum relinquit, quamvis ne ſic quidem rei hujus latitudinem exhauriat.

2. Dicendum igitur potius, quod tota lex naturalis, ut alias actiones, ita etiam ſermonem dirigat. Pertinet igitur huc (1) *præceptum de Deo colendo*, quod exigit, ne ſermone, ad contemtum Dei abutamur, id quod Autor ſupra *c. 4.* §. 7. admonuit, poſitive vero, ad Deum ſermone colendum, nullam obligationem naturalem ſubeſſe putamus, quia in genere obligationem ad cultum externum negavimus *Obſerv. 105.* (2) *Præceptum de exercenda Philautia*, quod ſermonem, ad conſervationem propriam ac utilitatem innoxiam, dirigi præcipit. Denique (3) *præcepta ſocialitatis huc ſpectant*, hinc ſermone aliis benefacere, malum avertere, (quod officium Autor ſupra *c. 8.* §. *4.* dum conſilium fidele deliberanti dandum ac erranti comiter monſtrandam eſſe viam docuit, agnovit

gnovit) ac eos nulla ratione lædere debemus. In ſpecie hoc ultimum, intuitu pactorum etiam occurrit, dum ante pactum, & in pacto læſionem prohibet, ac poſt pactum fidem, de ſermone datam, ſervari præcipit. Tandem (4) *clauſula pœnalis* quam præceptis naturalibus cohærere, diximus *Obſerv. 79. n. 10.* eatenus ſermonem dirigit, ut per eum veritas delictorum eruatur, ac de iis, in quantum utilitas publica hoc exigit, pœnæ ſumantur.

Obſerv. 249.

Oritur autem illa obligatio) Ex præſuppoſitis cætera facilè explicantur. Doctrina Autoris, in ſe quidem bona, ſed inſufficiens, ac modus docendi ambiguus eſt, quando ex *præſentis negotii indole* obligatio repetitur, nam principium ſublimius, ipſum ſcilicet præceptum de alio non lædendo, allegari debebat.

§. 4. Quia autem non ſemper uſu venit, ut ex aliquo horum capitum quævis cogitata mea alteri ſint ſignificanda; patet, me non alia teneri alteri ſermone meo indicare, quam ad quæ ex me intelligenda *jus perfectum aut imperfectum* habet. Adeoque recte tacendo diſſimulare me poſſe, utut maxime interroger, quæ ut ex me ſciat alter jus non habet, neque ad id aliqua obligatione ego teneor.

§. 5. Imo quia ſermo *non ſolum* eſt inventus *propter alios, ſed & propter nos ipſos*: ideo

ubi aliqua mea in eo verſatur utilitas, neque cujusquam alterius jus læditur, licebit mihi ſermonem ita formare, ut diverſum ab eo, quod in animo volvo, exprimat.

§. 6, Denique quia ſæpe iſti, ad quos loquimur, ita ſunt diſpoſiti, ut ſi ſermone ſimplici & aperto rem ipſam perciperent, detrimento hoc ipſis futurum eſſet, nec nobis bonum quem intendimus finem ad ſequi liceret: igitur hiſce in caſibus licebit uti ficto coloratoque ſermone, & qui noſtram ſententiam & intentionem audientibus directe non repræſentet. Nam qui alicui prodeſſe vult & debet, non utique id tenetur facere eo modo, quo finem ſuum non erat obtenturus.

Obſerv. 250.

Quia autem ſemper uſu venit) Uti certum eſt, quod ſermo legi naturali ſubſit, ita alia quæſtio eſt, an hæc ſemper veritatem exigat? quod mihi non videtur, hinc potius ita dicendum (1) ſi *cum Deo agamus*, veritas ſemper dicenda, Deum enim omniſcium aliquid celare velle, veſana foret impietas, aſt (2) quod *præceptum Philautias* attinet, pro certo ſupponendum, quod veritas, falſiloquium & ſilentium eodem loco haberi debeant, hinc prout illa cum utilitate innoxia conveniunt aut pugnant, vel in neutram partem tendunt, ita præcepta, prohibita aut licita exiſtimanda ſunt, cum enim juxta hoc

hoc fundamentum, obligatio naturalis, quoad alias actiones, judicanda sit, nulla apparet ratio, quare non idem de veritate, fasiloquio & silentio dici debeat (3) Quoad *praeceptum socialitatis*, diversi casus sunt distinguendi, nam si per hostilitatem socialitas abrupta sit, ac adeo erga hostem officia socialia cessent, manifestum est, quod usus sermonis nostro arbitrio relictus sit, hinc stultum fuerit, si eo ita utaris, ut hostis malo te multare queat. Si vero status socialitatis duret, observandum tamen est, quod non omnia ad socialitatem sint referenda, sed sui ipsius etiam rationem habere liceat, hinc si intra æquilibrium amoris proprii & alieni consistatur, regulæ socialitatis non obligant, adeoque usum sermonis propriæ utilitati attemperare fas est. Quodsi autem sermo regulis illis subsit, tum veritatem, falsiloquium & silentium eædem jubent, prohibent & permittunt, prout illa cum natura sociali conveniunt, pugnant, aut in neutram partem vergunt, quæ sententia aperte, intrepide & constanter tenenda est, contra vulgare nulloque fundamento subnixum præjudicium, quo veritas semper præcepta, falsiloquium vero prohibitum ac illicitum existimatur, quod, ut alia multa, inde enatum est, quod de moralitate, sine certa & constanti normâ, philosophentur. Juxta hæc igitur falsiloquium & silentium non tantum licita, juxta doctrinam Autoris §. 4. 5. 6. sed & nonnunquam præcepta sunt

add. l. 4. c. 1. §. 8. Denique (4) *Clausula pœnalis* judicem sermone ita uti jubet, ut veritas delictorum eruatur, quo fine nonnunquam veritate, falsiloquio aut silentio opus est. An vero delinquens veritatem semper dicere debeat, aliqua quæstio est, quæ ex affirmativa priori, necessario non est affirmanda, *vid. l. 4. c. 1. §. 20. 21.*

§. 7. Ex hisce colligitur, in quonam consistat *veritas*, cujus studio boni viri tantopere commendantur: nempe ut verba animi nostri sensa commode repræsentent alteri, cui eadem intelligendi jus, quæque ut ipsi aperiamus, nobis obligatio perfecta aut imperfecta incumbit, idque eo fine, ut vel idem ex intellectis animi nostri sensis debitum aliquod commodum nanciscatur, vel ne, ubi diversum fuerit significatum, damno præter meritum multetur. Ex quo & hoc obiter patet, non semper mendacium admitti, quando etiam data opera non dicitur, quod vel cum ipsa re, vel cum cogitatis nostris examiussim congruit: adeoque veritatem quasi logicam, quæ in congruentia verborum cum rebus consistit, cum veritate morali non per omnia coincidere.

Observ. 251.

Ex hisce colligitur) Veritas est *voluntaria sermonis, consueto consensu intellecti, & rei convenientia, ex obligatione profecta.* Est species Justitiæ, hinc etiam *Veritas Justitiaria* à nonnullis dicitur.

Veri-

Veritati igitur, juxta habitum physicum definitæ *Observ. 247. n. 4.* hic adjicitur moralitas.

Observ. 252.

Adeoque veritatem quasi logicam] Veritatem a lege abstractam, differre à veritate, ad legem relata manifestum est. Interim Autor termino *veritatis logicæ*, hic aliter paulo utitur, quam vulgo fit, & nos secuti sumus *Observ. 247. n. 4.* nisi forte in termino *quasi logicæ*, conciliatio quærenda est. Sed de his non valde contendendum, majoris tamen perspicuitatis caussa dici poterit, veritatem triplici modo spectari, vel quatenus in mente, vel in verbis, vel sub obligatione legis est, illa *mentalis*, vulgo Logica, ista *verbalis*, hæc *Ethica* sive *moralis* recte appellabitur.

§. 8. *Mendacium* contra est, ubi de industria sermo aliam præ se fert sententiam animi nostri, quam quæ revera est, cum tamen hanc ipsam is, ad quem sermo dirigitur, intelligendi jus haberet, nobisque obligatio incumberet efficiendi, ut ille nostram sententiam utique intelligeret.

Observ. 253.

Mendacium contra est) Mendacium est *voluntaria loquelæ, usitato significatu acceptæ, & rei disconvenientia, contra obligationem instituta.* Est species Injustitiæ, & falsiloquio, quod notat sermonis & rei disconvenientiam à lege abstractam juxta *Observ. 247. n. 4.* heic accedit turpitudo, ex

prohibitione legis resultans, vulgo tamen frustra talis prohibitio semper occurrrere, ac adeo falsiloquium & mendacium coincidere existimatur.

§. 9. Ex dictis igitur constat, mendacii notam hautquidquam contrahere, qui fictis sermonibus, fabulisque utuntur adversus pueros aut similes, ad eorum meliorem informationem, quatenus nudæ veritatis non sunt capaces. Et qui alii fictum sermonem bono fine adhibent, quem plano adsequi non licebat; puta, si innocens protegendus, iratus placandus, mœstus demulcendus, meticuloso animus addendus, fastidiosus ad medicamenta capienda movendus, pertinacia alicujus frangenda, aut malum propositum alterius intervertendum, aut si arcana reipublicæ & consilia, quæ interest aliorum notitiæ subtrahi, fictis rumoribus velut obvelanda, & aliorum importuna curiositas sit amolienda, aut si hosti, quem aperta ratione lædere poteramus, fabulis in strategematis vicem illudamus.

Observ. 254.

Ex dictis igitur constat) Quoties prohibitio circa falsiloquium cessat, toties à vitii labe illud alienum est, tum verò aliquando licitum, aliquando etiam præceptum existimari debet, id quod exempla, Autori hic memorata, recte expendentibus facile, apparebit.

§. 10.

§ 10. Contra si aliquis utique tenebatur alteri sensa animi sui liquido significare, culpam non effugit, si vel partem duntaxat veri dicat, aut ambiguo sermone alteri illudat, aut tacitam quandam restrictionem, à communi usu abhorrentem, in mente reservet.

Observ. 255.

Contra si aliquis) Quoties verò prohibitio circa falsiloquium adest, toties id vitii notam incurrit & mendacii demum nomine venit. De cætero vel *aperte* falsiloquio obligationem violamus, vel *quæsito colore*, dum sermo consueto sensu acceptus, falsus, sed alio respectu, aliaque ex suppositione, de qua tamen ex habilibus indiciis non constat, verus est, ad quem colorem pertinet fallacia divisionis, ambiguitas & reservatio mentalis §. *10. b.* quæ & ejus, generis alia, inventa stulta non minus quam injusta sunt, dum iis effectus externus ac contra alios valiturus tribuitur, cum tamen nullo indicio declarentur, eademque ad decipiendos alios adhibentur *add. d. l. 4. c. 1. §. 8. seqq.*

2. Quo igitur moralitas sermonis, contra vulgaria præjudicia, breviter intelligatur, tres casus sunt distinguendi. Vel adest (1) *obligatio ad dicendam veritatem*, hoc casu veritas est virtus, falsiloquium vero & silentium, ad vitia pertinent, vel (2) *obligatio ad falsiloquium & silentium*, tum res inverti, & utrumque pro virtute,

te, veritas vero pro vitio haberi debet, quod nomine *Garrulitatis*, non male forsitan exprimeres, vel (3) *obligatio in nullam partem occurrit*, tum veritas, falsiloquium & silentium sunt species *Prudentiæ* & *Imprudentiæ*, hinc prout iis prudenter, vel secus quis usus fuerit, ita nomen Prudentis aut Imprudentis meretur, quorsum virtutes Peripateticorum Homileticæ, quas vocant, si non semper, certe plerumque, pertinent. Ex dictis etiam liquet. illud dicterium, *quod ne joco quidem mendacium dicendum sit*, vel contrarium habere sensum, vel recte explicatum, ineptum & nimis superstitiosum esse.

CAPUT. XI.

DE

OFFICIO JURANTIUM.

§. I.

PEr *jusjurandum* sermoni nostro, omnibusque actibus, circa quos sermo intervenit, insigne accedere firmamentum judicatur. Est quippe illud *assertio religiosa, qua divinæ misericordiæ renunciamus,*

mus, aut divinam pœnam in nos deposcimus, nisi verum dicamus. Dum autem omniſcius & omnipotens teſtis ſimul & vindex invocatur, præſumtio veritatis ideo excitatur, quod nemo temere tam impius credatur, ut ita petulanter graviſſimam Numinis indignationem in ſe depoſcere ſit auſurus. Inde officium jurantium hoc eſſe intelligitur, *ut & ad jurandum cum reverentia accedant, & quod juratum eſt religioſe obſervent.*

Obſerv. 256.

Per jusjurandum ſermoni) Sermonis conſideratio uni loco, in Diſciplina juris naturalis, non recte includitur, hinc ordo, quo jusjurandum ſermoni ſubjicitur, parum naturalis eſt. Debebat potius illud pactis ſubjici, quamvis uſus juramenti aſſertorii in materia Probationis, quæ â laudatâ modo diſciplinâ exulare non debebat, expendendus ſit. Sed quicquid hujus ſit, ſummatim [1] *jusjurandum* [2] *officium jurantium* ſpectari poſſunt.

Obſerv. 257.

Eſt quippe illud aſſertio) Sed hæc definitio etiam Perjurio poteſt applicari! Rectius ita: Jusjurandum eſt *provocatio vindictæ divinæ, ſub conditione mendacii aut perfidiæ facta, ubi tamen mendacium aut perfidia non adeſt.* Utrum vero conditio, ſub qua vindicta divina provocatur ad-

adſit nec ne, illud homines ut plurimum latet, hinc etiam illi plerumque ignorant, utrum revera juramentum præſtitum, an ſub ejus ſpecie perjurium commiſſum ſit. In vita tamen civili illud tamdiu præſumitur, donec hoc probatum fuerit.

Obſerv. 258.

Inde officium jurantium) Hoc nimis maturè inculcatur, antequam enim de officio recte judicare poſſis, ipſum juramentum debet eſſe adæquatè cognitum, præterea inſufficiens eſt hæc doctrina, quare ſuo loco plenius explicatiuſque officium jurantium expendemus.

§. 2. *Finis* porro & *uſus juramenti* in hoc maximè vertitur, ut homines ad enunciandum verum, aut ſervandum promiſſum pactumve eo firmius adſtringantur metu divini Numinis omniſcii & omnipotentis; cujus vindictam ſi ſcientes fallant, per jusjurandum in ſe invocant, ubi alias metus ab hominibus imminens non ſatis efficax videbatur, quippe quorum vires contemnere aut declinare, vel ſcientiam fallere ſe poſſe ſperabant.

Obſerv. 259.

Finis porro & uſus) Juramentorum finis eſt, ut veritas probabiliter eruatur, ac promiſſa ſerventur, ceu hic & §. 1. Autor docet *add. l. 4. c. 2. §. 2.* Nemo ſcilicet tam impius præſumitur, ut mentiri & fidem fallere, ac ſimul in illos eventus, pœnam divinam in ſe provocare velit,

lit, hinc, facta provocatione hac, veritatem dixisse & pacta servaturus esse, potius creditur. Ex quo liquet, juramenta ob malitiam humanam invaluisse, adeoque illa, in statu Integritatis, quem Christiani credimus, locum haut fuisse habitura.

§. 3. Quia vero præter Numen nihil est omniscium, aut omnipotens, inde absurde juramentum concipitur *per rem* aliquam, *quæ opinione divinitatis destituitur*, hoc sensu, ut ea res testis atque ultrix perjurii invocetur. Etsi hoc frequens sit, ut in juramentis *certa res nominetur, per quam juretur*, hoc sensu, ut Deus, si jurans fefellerit, vindictam suam in istam potissimam rem exserat tanquam juranti carissimam & maximi æstimatam.

Observ. 260.

Quia vero præter Numen) Forma juramenti essentialis consistit in provocatione vindictæ divinæ, sub conditione mendacii aut perfidiæ, quæ non adest, facta, hinc de *Deo* illud concipiendum esse facile liquet *§. 3. h. add. l. 4. c. 2. §. 3.*

§. 4. In juramentis *formula* illa, qua Deus, dum testis & vindex invocatur, describitur, *accommodanda est ad persuasionem* seu religionem, quam circa Deum fovet, *qui jurat*. Frustra quippe jurando quis adigitur per Deum, quem non credit, adeoque nec metuit. At nemo per Deum jurare se putat alia sub formula,

aut

aut alio ſub nomine, quam quod ſuæ, i. e. ex opinione jurantis, veræ religionis præceptis continetur. Inde quoque eſt, quod qui *per falſos Deos* jurat, quos ipſe tamen pro veris habet, utique obligetur, & ſi fefellerit. revera perjurium admittat. Quia ſub quocunque ſpeciali conceptu generalem Numinis notionem ante oculos habuit; adeoque dum ſciens pejeravit, divinæ majeſtatis reverentiam, quantum in ſe, violavit.

Obſerv. 261.

In juramentis formula illa) Non tamen ſufficit illud, ſed formula illa provocatoria religioni juraturi, licet falſæ, attemperari debet §. *4. h. add. d. c. 2. §. 4.* quo ipſo tamen exigens falſam religionem haut approbat, nam juramentum inter exigentem & jurantem, ſpectatur ut medium civile, quo controverſia vel negotium aliquod, quod aliter expediri non poterat, determinatur, hinc hactenus illud exigitur, veritas aut falſitas religionis, ejusque vel approbatio, vel reprobatio extra ſphæram hujus actus ſunt conſtituta, hinc nimis ſuperſtitioſum foret, ſi quis ab eo, qui falſam ſectatur religionem juramentum ſe ſalva conſcientia exigere non poſſe, arbitrari velit.

Obſerv. 262.

Inde quoque eſt) Provocatio vindictæ divinæ, juxta falſæ religionis formulam facta, proprie quidem nec juramentum, nec perjurium eſt, utriuſ-

utriusque tamen effectum habere potest, nam si quis metu Numinis sui fictitii, in ultionem provocati, verum dicat, aut promissa servet, effectus juramenti veri obtentus est, si vero, spreto Numine falso, mentiatur aut fallat, ille contemtus ad verum Deum etiam porrigitur, adeoque pœna perjurii perjuro metuenda est §. 4. *b*. De cætero provocatio vindictæ divinæ, diversis formulis & ceremoniis, arbitrio privato vel lege civili determinandis, porro immediate aut mediate, fieri potest *vid. d. l. 4. c. 2.* §.*16.* quod ad formam accidentalem recte retuleris.

§. 5. Ad juramenti obligationem requiritur, ut *animo deliberato* id susceptum sit. Unde juramento hautquidquam obstrictus erit, qui simpliciter juramentum *recitando* protulerit, aut ejusdem verba concepta in prima persona alteri præiverit. Ast qui speciem serio juraturi præ se tulit, is utique obligabitur, quicquid demum in animo suo, dum jurat, agitaverit. Nam alias omnis usus juramentorum, imo omnis ratio intervenientibus signis sese obligandi ex humana vita tolleretur, si quis tacita sua intentione posset impedire, ne effectus ille actum aliquem sequatur, cui producendo idem est institutus.

Observ. 263.

Ad juramenti obligationem) Ut alii actus, ita etiam

juramentum fit voluntate *vera*, facultatem scilicet physicam & moralem præsupponente, ac *seria*, quæ ex proæresi jurandi fluit, id quod ex indiciis habilibus, non interna animi destinatione, judicandum §. *5. h. add. d. c.* §. *5.* Ex his facile constat, tum *qui jurare possint ac revera jurent*, nimirum qui utramque illam facultatem, ac serium liberumque jurandi propositum habent, tum *super qua re recte juretur*, nempe possibili, honesta, liciti & utili, seu explicatius, super *veritate, quam scire refert, quæque aliter commode investigari nequit, eruenda*, nec non *promisso possibili & licito, cujusque autoritas aliter commode defendi nequit, ac in quo tuendo jusjurandum alicujus efficacia esse solet.*

§. 6. Juramenta in se non producunt novam & peculiarem obligationem; sed obligationi in se validæ velut *accessorium quoddam vinculum* superveniunt. Semper enim, dum juramus, supponimus aliquid, quo non præstito divinam pœnam in nos provocamus. Quod ineptum esset, nisi illicitum foret non præstare id, quod supponitur; adeoque nisi jam antea obligaremur. Ex quo sequitur, quod actus, quibus in se vitium adhæret, obligationem impediens, per juramentum accedens obligatorii non fiant. Sicuti nec per subsequens juramentum antegressa obligatio valida eliditur, aut jus per eandem quæsitum alteri

teri tollitur. Inde frustra quis juraverit, sese alteri debitum non soluturum. Nec obligabit juramentum, ubi constat, eum qui juravit factum aliquod supposuisse, quod revera ita se non habeat, ac nisi id credidisset, non fuisse juraturum; inprimis ubi per dolum ejus, cui juratur, in errorem fuerit adductus. Nec qui injusto metu me ad jurandum adigit, ex eo juramento jus sibi adquirit, ad aliquid á me recte postulandum. Nullas quoque habebit vires jusjurandum super præstanda re quapiam illicita; imo & super omittendo aliquo bono, quod legibus divinis aut humanis præcipitur. Denique juramentum non immutat naturam & substantiam promissi pactivè, cui accedit. Inde frustra jurantur impossibilia. Et promissio conditionata per juramentum non mutatur in absolutam, seu puram. Et æque in jurato promisso requiritur acceptatio.

Observ. 264.

Juramenta in se non producunt) Effectus jusjurandi *assertorii*, est præsumtio veritatis, quæ tamen probatione contraria elidi potest; *promissorii* vero effectum, tum negative, tum positive Autor expendit. Nimirum jusjurandum hoc non producit novam & peculiarem obligationem, quia, ut philosophatur Autor, aliam semper præsuppponit, quæ tamen ratio parum

valida eſt, rectius igitur urgetur natura actus, jusjurandum non eſt actus obligatorius, ſed provocatorius, quo in eventum obligationis, mendacio vel perfidia violatæ, pœna divina provocatur, quare, cum hoc non agatur, peculiarem obligationem non producit.

Obſerv. 265.

Ex quo ſequitur; Generale conſectarium inde fluit, quod actus invalidi, per jusjurandum validi & obligatorii non fiant. Quo loco obſervandum, triplicis generis actus invalidos occurrere poſſe, nam aliquando actus eſt invalidus (1) ob *promiſſi impoſſibilitatem* (2) *legis, vel divinæ vel humanæ prohibitionem* (3) *conſenſum vel ſimpliciter, vel certo modo deficientem.* Primo & ſecundo caſu, actus neque valet, neque ex poſtfacto confirmari poteſt, niſi forte lex humana, ſi illa ſola actum prohibuerit, aliquid indulgeat, tertio vero jusjurandum anſam præbere poteſt, ut conſenſus deficiens ſuppleatur, atque ita actus ratihabitione confirmetur.

Obſerv. 266.

Sicuti nec per ſubſequens juramentum) Hoc promiſſum eſt nullum, ob legis naturalis prohibitionem, adeoque nec ex poſtfacto â jurante confirmari poteſt *add. l. 4. c. 2. §. 6.* interim exigentem & jurantem, graviter juramenti abuſu peccare, manifeſtum eſt.

Obſerv. 267.

Nec obligabit juramentum) Promiſſum erroneum, ob defectum conſenſus, invalidum eſt, nec ju-

ob

ramento confirmatur, modo error efficax & involuntarius fuerit, nam qui promittit & jurat, neutrum simpliciter facit, sed sub conditione, si ita se res habeat, prout is eam, per errorem, sibi repræsentavit, re igitur aliter se habente, nihil actum est, ex quo liquet, nec jurantem alicujus peccati esse reum, interim ex postfacto tale promissum confirmari potest *add. d. l. 4. c. 2. §. 7.*

Observ. 268.

Nec qui injusto metu) Promissum coactum itidem ob defectum consensus, nullum est, nec juramento firmatur, hoc enim per se nullam producit obligationem sed saltem provocat pœnā divinam, si promittens obligationem violet, cum tamen nulla subsit, hinc liquet, nullo respectu, negotio coacto valorem conciliare juramentum, sed esse irritum & inefficax, quæ sententia eo magis admittenda est, quo magis contraria, sub pietatis specie, malitiæ humanæ patrocinatur, si enim coacto Juramento, vinculum conscientiis injici potest, habent sane homines maleferiati habile medium, quo nequitiæ suæ fructum obtinere queant. Non obstat nobis, *quod minimum evitando peccato, ne scilicet quis frustra jurasse videatur, promissum servandum sit*, nam temeritas quidem aliqua subest, sed coacto illa non potest imputari *vid. Observ. 141. n. 5. add. l. 4. c. 2. §. 8.*

Observ. 269.

Nullas quoque habebit vires) Jusjurandum actus

prohibitos confirmare nequit, cujus exemplum jam habuimus *Observ. 266.* nam absurda â Deo postulantur, ut scilicet jurantem puniat, si ea non faciat, quæ per leges facere non debet, subesse autem in hoc abusu grave peccatum, facile constat. De cætero nihil refert, sive lex divina, sive humana actum prohibeat, nisi forte hæc in eventum adjecti juramenti, prohibitionem suspendat, tum enim actus valebit, quam limitationem Jus Canonicum sequi solet *add. l. 4. c. 2. §. 9. 10.*

Observ. 270.

Denique juramentum non immutat) De hoc facile constat, interim ex tribus exemplis, quæ hic adducuntur, primum non adeo huc pertinet, nam nullitas actus, potius ex objecto dependet, & nequidem ex postfacto, novo consensu toli potest, jurantemque gravis peccati arguit *conf. d. c. 2 §. 11.*

§. 7. Hoc autem efficiunt juramenta propter interpositam Dei invocationem, quem neque astu quis deceperit, & cui nemo impune illuserit, ut non solum *atrocior pœna* censeatur manere eum, qui juratam, quam qui injuratam fidem fefellit; sed & ut à negotiis, quibus adjiciuntur, omnis dolus & *cavillatio* sit excludenda.

Observ. 271.

Hoc autem efficiunt) Postea effectus juramenti promissorii, positivè expenditur. Nimirum (1) *jura-*

juramentum actum in se validum, reddit firmiorem, dum ob metum majoris pœnæ, jurans illum non temere violaturus præsumitur *vid. d. c. 2. §. 6.* iste tamen effectus solum jurantem, non etiam heredem afficit, meritò enim provocatio vindictæ divinæ pro actu personalissimo habetur, ne alterius factum, alii grave malum conciliet. Heres igitur pactum violando, perfidus, non perjurus est, nec aliam, quam perfidiæ pœnam, meture debet *vid. d. c. 2. §. 17.* (2) *actum ob concessam lege humana pœnitendi facultatem, invalidum, confirmat*, animus enim pœnitendi, tam seria provocatione merito exclusus censetur, modo in altero contrahente dolus absit.

Observ. 272.

Sed & ut à negotiis) Ex mente Autoris, juramentum (3) *genuinam postulat interpretationem*. Sed hæc doctrina non satis accurata est, licet enim verum sit, quod *à pactis juratis dolus & cavillatio abesse debeant §. 7. h.* quod *illa quandoque late, quandoque stricte explicanda sint*, quod *tacitas conditiones non respuant §. 8. h.* quod *ab iis inusitati sensus* & *reservationes mentales exulent §. 9. h. add. d. c. 2. §. 12. 14. 15.* attamen illa interpretatio non est effectus jurisjurandi, sed eam potius lex naturalis exposcit, hinc etiam in pactis injuratis eadem obtinet.

§. 8. Non tamen semper late, *sed & stricte quandoque* juramenta sunt interpretanda,

 siqui-

ſiquidem ſubjecta materia id requirere videatur; puta, ſi juratum ſit in odium alterius, & non tam promiſſioni, quam minis juramentum ſit adjectum. Quin nec juramentum excludit tacitas conditiones & limitationes, quæ ex ipſa rei natura rite fluunt. Puta, ſi alicui quisquid velit petendi optionem jurato conceſſi, ubi iſte iniqua aut abſurda petierit, hautquidquam tenebor. Qui enim aliquid indefinite alteri roganti promittit, antequam noverit, quid iſte ſit petiturus, præſupponit alterum petiturum honeſta, moraliter poſſibilia, non abſurda, non ſibi aut aliis pernicioſa.

Obſerv. 273.

Puta ſi juratum ſit in odium alterius) Interpretationem ſtrictam in pactis juratis admittimus quidem, doctrina tamen, quæ hic proponitur, ac exemplis *d c. 2.* §. *13.* amplius illuſtratur, incommodè eo refertur, cum ſtricta illa explicatio, à cavillatione vix poſſit abſolvi. Separanda igitur potius ſunt exempla, qnædam enim juramenta ſimpliciter *invalida* ſunt, hæc aperte negligi poſſunt, nec opus eſt, ut neglectui, ſtrictam quandam interpretationem prætexamus, ſi verò quædam *valida* ſint, tum ſtricta illa interpretatio merito omittenda, cum cavillationem redoleat *add.* Thomaſ. *J. J. D. l. 2. c. 8.* §. *50. ſeqq.*

§. 9.

§. 9. Id quoque notandum, in juramentis *ſenſum totius orationis valere, prout capere ſe illum profitetur is, qui juramentum defert*, ſeu cui juratur. Hujus enim præcipue, non jurantis cauſa juramentum præſtatur. Unde ejusdem quoque eſt concipere verba juramenti, & qvidem qvantum fieri poteſt planiſſime; ſic ut ipſe ſignificet, qvomodo illa intelligat, & jurans annuat, ſe iſtius ſenſum probe percipere; eaque mox ab hoc liquido ſunt exprimenda, ſic ut nulla ratione eadem cavillari & eludere queat.

Obſerv. 274.

Id quoque notandum) Videntur hæc contradicere iis, quæ Autor §.4. docuit, ubi ſcilicet juramentum perſuaſioni jurantis accommodandum cenſuit. Sed ſalva res eſt; juramentum ſtricte dictum perſuaſioni jurantis attemperari debet, aſt promisſio, ex ſententiâ deferentis, communem ſignificatum ſecutâ, intelligi debet.

§. 10. *Diviſio* juramentorum commode deſumitur *ab uſu*, cui illa in vita communi adhibentur. Qvædam enim promisſis pactisqve adduntur, ut eo majore cum religione obſerventur. Quædam autem adhibentur ad confirmandam alicujus aſſertionem, circa factum illiqvidum, & ubi veritas aliis rationibus commodius inveſtigari nequit. Quale

exigitur á teſtibus, ſive qvi alieni facti conſcii habentur. Qvandoqve etiam ipſi, qvi inter ſe diſceptant, deferente judice, aut altera parte, ſuo juramento litem ſolvunt.

Obſerv. 275.

Diviſio juramentorum) Juramenta dividuntur â *fine*, in *Promiſſoria*, quibus futura facimus certiora, *Aſſertoria*, quibus præteritorum veritatum eruimus, & *Mixta*, quibus utrumque agimus. Singulorum multiplex in vita civili eſt uſus, hinc variæ ſpecies exſurgunt, quas Jurisprudentia particularis diſtinctius perſequitur *add. d. c. 2. §. 18. 19. 20. 21. 22.*

2. Jurijurando opponitur (1) *Temeraria vindictæ divinæ provocatio*, quæ ſcilicet circa res impoſſibiles, illicitas aut nullius pretii, vel ſine judicio & deliberatione fit (2) *Perjurium* quod eſt *provocatio vindictæ divinæ, ſub conditione mendacii aut perfidiæ facta, ubi mendacium aut perfidia adeſt.* Vel ſi mavis, eſt *mendacium aut promiſſorum violatio, audaci provocatione, iræ ac pœnis divinis expoſita.* Sed prior definitio accuratior eſt, mendacium enim & pactorum violatio perjurii conceptum, exquiſitè philoſophando, non ingrediuntur (3) *Relaxatio*, quæ ſoli promiſſorio opponitur, eſt autem vel *impropria*, dum juramentum actui invalido appoſitum, nullum declaratur, vel *propria* i. e. obligationis juratæ â Creditore, vel ob juſtam cauſam, ab Imperante facta remisſio *add. l. 4. c. 2. §. 23. 24.*

3. Offici-

3. Officium Jurantium, de quo adhuc dicendum, ut recte intelligatur, observandum est, quod juramentum duplici modo spectari queat, vel ut *actus hominis erga Deum*, qui respectus perpetuus & uniformis est, eoque pertinet *officium generale*, quod præcepta divina, de Deo colendo ac speciatim propria cujusvis religio, dirigunt; vel ut *instrumentum negotiorum in vita civili expediendorum*, quo respectu in varias formas speciales se componere solet, eoque spectat *officium speciale*, quo quis nonnunquam juramentum præstare cogitur, quodque ex præceptis socialitatis ac Philautiæ, nec non legibus humanis dependet.

4. Officium speciale, pro ratione variorum juramentorum in vita civili occurrentium, distinctius persequitur Jurisprudentia particularis, sed Generale, quod circa quodvis juramentum speciale, fundamenti loco supponitur, hic delineandum est; poterit illud in *Antecedens*, *Concomitans* & *consequens* distingui.

5. Circa *Antecedens*, tres occurrunt quæstiones (1) *an juramentum jure naturali sit prohibitum?* quod negandum, in casum enim delicti, hominibus incogniti, pœnam divinam provocare irreverens non est, modo delictum absit (2) *an sit præceptum?* & hoc negandum, nam uti jusjurandum est actus externus, ad quem jus naturæ non obligare, *Observat. 105.* diximus, ita admissa licet, quoad cultum Dei externum, obligatione, ad juramentum tamen eadem

dem non pertineret, cum in eo honorans Dei cultus non contineatur (3) *an sit licitum?* hoc unicum superest, adeoque affirmari debet. Sed juramenta sunt licita, non temeraria & inconsulta vindictæ divinæ provocatio, multo minus perjurium; *Non temere igitur, juramenti prætextu, pœna divinæ provocatio vel poscenda, vel facienda vid. l. 4. c. 2. §. 2.* verb: *& hoc nomine*, contra quod in vita civili, sub pietatis specie, graviter sæpe peccatur, dum ad impedienda delicta maximè insolita, jusjurandum promissorium exigitur, atque ita ipsis revera perjurium additur. Alia ratio est jusjurandi assertorii, hoc enim, ob probabile perjurii periculum, non est omittendum, sed tum demum non recte exigitur, si morali æstimatione perjurium certum subsit, aut probatio alio medio æque commodo haberi queat, vel de re vilissima arguat.

6. Officium *Concomitans*, est, ut [1] *cum reverentia & pietate ad juramentum accedamus*, quod Autor §. 1. h. admonuit [2] *per Deum juremus*, qui autem per falsos Deos jurant, illi non tam jurando, quam falsam religionem sectando, peccant (3) *ne sub specie juramenti pejeremus.* Denique *consequens* est, ne (1) *præstito juramento, miraculum expectemus vid. d. l. 4. c. 2. §. 2.* & ut (2) *quod jurato promissum est, servemus* §. 2. *l. h. conf.* Observat. ad Lauterbach. Comp. Jur. *Observat.* 321. 322.

CAPUT

CAPUT. XII.

DE

OFFICIO CIRCA ADQVIRENDUM RERUM DOMINIUM.

§. I.

Cum ea ſit conditio corporis humani, ut adſumtis extrinſecus rebus indigeat, queis nutriatur, & contra ea, quæ ipſius conpagem deſtructum eunt, muniatur; per complures quoque res iſthæc vita commodior & mollior reddi poſſit: inde tuto colligitur, volente utique ſummo univerſi Moderatore fieri, quod homo alias creaturas ad uſus ſuos adhibeat; quin ut etiam multas earundem deſtruat. Neque id ſolum obtinet circa vegetabilia, & qvæ citra ſenſum corrumpuntur: ſed & circa innoxia animalia, quæ utut cum dolore moriantur, citra peccatum tamen ab homine cibi cauſa occiduntur & conſúmuntur.

Obſerv. 276.

Cum ea ſit conditio) Uſus præceptorum naturalium ac præcipuè ſocialitatis, poſtea circa dómini-

minium expenditur, explicata in antecessum hujus indole. Id igitur Ratio ex consideratione humanæ naturæ, recte colligit, *aliquam rebus creatis utendi facultatem hominibus à Deo esse concessam*, & quidem non solum quoad res inanimatas, sed & animatas §. *1. b.* nam nulla inter homines & bestias est juris communio, quæ hoc impediat, præterea etiam nullam aliam prohibitionem ratio reperit *vid.* Op. Maj. *l. 4 c. 3.* quæ omnia in S. Codice confirmata inveniuntur *Gen. I. 28. IX. add.* Albert. *Comp. Jur. nat. l. 2. c. 7. §. 14.* Ista autem facultas recte habetur pro *jure*, oritur enim ex permissione Imperantis, imò pro *vero dominio universali*, nam nisi hoc præsupponas, dominia singularia, facto hominum, introduci non potuissent. Nec obstat, *quod illa facultas toti humano generi competat, nemoque per eam excludatur, adeoque dominium dici nequeat, cum hoc in exclusione aliorum consistat*, nam dominii essentia consistit in *plenâ rei alicujus ad aliquem pertinentiâ*, non vero in *exclusione aliorum*, sed hæc saltem regulariter dominium sequitur, salva tamen ejus essentiâ abesse potest, licet Autori aliud, at sine ratione, persuasum sit *l. 4. c. 4. §. 3. 5.* 10. 11. 12.

§. 2. Cæterum ab initio omnes istæ res intelliguntur abs Deo *velut in medio hominibus exposita*, ita ut non magis ad hunc, quam ad alterum pertinerent. Ita tamen ut sic cir-

ca

ca eas disponerent homines, prout conditio humani generis, & ratio pacis ac tranquillitatis, bonique ordinis in eodem conservandi videretur exigere. Inde cum adhuc intra paucos genus mortalium subsisteret, placuit, *ut illa quidem cujusque fierent, nec ab altero ipsi eripi deberent, quæ quis adprehendisset* hac intentione, ut eadem ad usus suos adplicaret; ipsa tamen corpora, ex quibus illæ res provenirent, in medio ad neminem peculiariter spectantia manerent. Sed postea multiplicatis hominibus, & cum cultura cœpisset adhiberi rebus, ex quibus homini alimenta & tegumenta proveniunt, ad evitandas rixas, & introducendo bono ordini *ipsa* qvoqve *corpora rerum inter homines divisa*, & cuilibet sua portio propia assignata, hac addita conventione, ut *quæ in prima rerum divisione in medio forent relicta, deinceps ejus possent fieri, qui primus eadem sibi asseruisset.* Sic igitur volente Numine, prævio consensu hominum, pactoq; saltem tacito, *proprietas rerum sive dominium* fuit introductum.

Observ. 277.

Cæterum ab initio) Quomodo verò dominium illud universale, à Deo humano generi oblatum, acceptaverint homines, quæque adeo dominiorum & communionum singularium, quæ

quæ hodie occurrunt, prima sit origo, deinde quæritur? Quæ disquisitio miris tricis, quas scriptores pro captu, hypothesiumque suarum habitu commenti sunt, referta est, videturque in universum plus difficultatis & curiositatis, quam utilitatis habere, nisi quod ei aliquid dandum videatur, quo conclusiones, quæ quoad controversiás hodienum occurrentes, nonnunquam inde elici solent, eo rectius intelligere possis.

2. Mihi paucis ita videtur: Ab initio omnes res fuerunt *nullius*, id est earum dominium hominibus à Deo quidem *donatum*, sed ab his nondum *acceptatum* fuit, in quem sensum verba Autoris *h.* accipi etiam possunt. Si quis primævum istum statum, velit dicere *communionem negativam*, non qvidem repugno, modo propositum teneat, nec ambiguitate doctrinæ, sibi ac aliis imponat. Id pro certo supponimus, res nullius ex eo æstimandas esse, si adsit quidem *destinatio*, sed desit, *acceptatio*, nam si vel omnes, vel multi, vel singuli sibi res asserant, tum manifestum est, quod res hactenus *nullius*, fiant *alicujus*, & quidem vel *communes*, vel *singulorum*, id quod exemplo rerum, quæ per derelictionem iterum nullius fiunt, satis intelligi potest.

Observ. 278.

Ita tamen ut sic circa eas) Uti acceptatio oblati dominii ab hominibus fieri debuit, ita modus

ac-

acceptandi adeoque dominium habendi, ab eorum quoque arbitrio, legibus tamen socialitatis attemperato, dependit, ceu recte hic dicitur, nam Deum modum partiendi dominium præcepisse, aut communionem aliquam vel dominium singulare introduxisse, aut vel omnibus, vel nonnullis humani generis individuis, de proprietate singulari, immediatè prospexisse, nec ratione nec revelatione probari potest, præterea ex ista assertione varia incommoda resultant.

2. Origo ergò dominii singularis, à facto hominum repetenda est, & hoc quidem non aliud fuit, quam *Occupatio*, hæc sane pro primo & antiquissimo meritò habetur, nam quando universitati, quæ non simul & semel, sed successivè existit, nec res communiter habere potest aut solet, (qualem universitatem genus humanum repræsentat) aliquid indefinite donatur, tum ex voluntate donantis, primi homines eâ utiq; prærogativa gaudent, ut occupando dominium, contra alios valiturum, sibi acquirere queant, imo in universum ea vis occupationi, voluntate donantis tribuitur, ut quivis per eam rem nullius sibi comparare possit, modo plus justo sibi non asserat, sed intra leges socialitatis subsistat, nec opus est cæterorum, qui excluduntur consensu, nam ex ordinatione donantis, vim excludendi occupatio sortitur. Atque hæc non elidunt ea, quæ vulgo, pro necessitate pacti cujusdam expressi vel taciti e-

vertendæ Occupationis efficaciæ, adducunt, *vid.* Op. Maj. *l. 4. c. 4.* §. *5.*

3. Jam si præsupponas originem generis humani, prout eam S. literæ tradunt (non sine ejusmodi præsupposito, ratio hic philosophari nequit) tum probabile est, primos homines statim occupando, sibi aliquas res asseruisse, hinc Adamo, Evæ, eorumque liberis, sub imperio paterno licet adhuc existentibus, proprias res tribuere, nil vetat *vid. Gen. IV.* Reliqua, quæ primi homines non attigerunt, remansêre in statu concessionis divinæ, seu res *nullius*, donec multiplicatis hominibus, successivè occupata, dominium vel communionem singularem subirent. Quodsi adhuc hodie res incognitæ, vel saltem nondum acceptatæ occurrant, illæ erunt *nullius*, quemadmodum in illum statum recidunt, quæ à dominis derelinquntur. Si verò quædam omnium usibus sufficiant, ut vastus Oceanus, illæ accurate loquendo non sunt amplius *nullius*, quia homines sibi eas asseruerunt, sed potius sunt *communes universaliter* & *negative.*

Observ. 279.

Inde cum adhuc intra paucos) Ex iis, qui Autoritatem S. literarum admittunt, Grotius *de J. B. P. l. 2. c. 2.* §. *2.* sub initium generis humani communionem asserit. Autore eandem quoque admittit, sed *negativam* fuisse contendit §. *2. h. l. 4. c. 4.* §. *5.* cujus à positivâ, ex mente

te Nostri, discrimen in eo positum est, quod positiva, ad exemplum dominii singularis, nonnullos excludat, sed negativa neminem, de cætero utraque communem quandam proprietatem involvit *d. l. 4. c. 4. §. 3. 9. 10. 12.* adeoque negativa, statum rerum nullius, prout illum *Observ. 277. n. 2.* repræsentavi, neutiquam notat.

2. Enimverò, quod pace Summi viri dixerim, illud discrimen nimis dilutum est, ut id comminisci, operæ non fuerit pretium, nam positivam communionem necessario alios excludere debere, id quidem idonea ratione probari nequit, ceu *Observ. 276.* jam admonui, dein admissum etiam discrimen, nihil ad rem facit, quando enim de primævâ communione controvertitur, non de eo disputatur, an aliqui ab ea sint exclusi, sed an primi mortales, res communiter sibi asseruerint possederintque? hinc res eodem recidit, sive positivam, sive negativam communionem asseras, adeoque utraque etiam iisdem argumentis defenditur *vid. d. l. 4. c. 4. §. 7. seqq.* & impugnatur,

3. Jam quod attinet illam, de primæva communione, sententiam, non rectè quidem eadem inde improbatur, quod talis communio naturæ humanæ haut conveniat, vel impossibilis sit *vid. d. l. 4. c. 4. §. 13. add.* Boecler. *ad Grot. l. 2. p. 42.* nihilominus tamen illa parum probabilis est, nam (1) nulla apparet ratio, quare primi mortales, ex rebus in medio expositis, ali-

quas sibi haut assuerint! Equidem in magna rerum copia, hominumque paucitate, de dominio non adeo anxiè laborari solet, ut tamen illud præcise negemus, ac communionem statuamus, nulla cogit ratio. Imo (2) si primi mortales, ceu Noster contendit, de usu rerum necessariarum, singulis secure relinquendo, inierunt conventionem, cur non eâdem opera de ipso dominio eos transegisse putemus? Dubio procul etiam (3) communio illa primæva, ex hypothesibus Gentilium, homines subit è terra enatos fabulantium, *vid. d. l. 4. c. 4. §. 8.* quas Grotius *d. l. 2. c. 2. §. 2.* satis indicat, originem habet, quibus explosis, hæc merito quoque rejicitur, Denique (4) S. literæ memorant res liberorum Adami proprias *Gen. IV.* quas etiam ipse Autor *d. c. 4. §. 11.* 12. post emancipationem admittit, quæ sane communionem ad aliquod tempus durantem, ac pacto, quoad usum rerum necessariarum, limitatam, satis evidenter destruunt.

Observ. 280.

Sed postea multiplicatis) Negata communione, hæc quoque corruunt. Negamus igitur *divisionem* & *pactum*, *futuræ occupationi efficaciam tributurum*, *add. l. 4. c. 4. §. 6.* quo ultimo etiam opus non fuisset, licet communionem & divisionem admittas, cum occupatio propriâ vi, dominium alios exclusurum, operari queat, ceu *Observ. 278. n. 2.* ostendimus, præterea nimis scholasticum videtur, rudioribus hominibus

bus (quales post lapsum primos mortales fuisse, probabile est) tam profundam curam tribuere, ut æterno pacto, posteritati, post multa secula venturæ, quoad acquirenda rerum dominia, prospexerint, hujus sane tabulas sancte asservari, posterorum intererat!

Observ. 281.

Sic igitur volente Numine) Hæc etiam conclusio ex præmissis emendanda est. Deum contulisse dominium universale, eoque volente, dominia singularia & definita, ab hominibus esse constituta, recté dicitur, sed illam constitutionem, præsupposita communione, factam esse divisione ac pacto quoad futuram occupationem, id vero haut admittimus, sed occupatione potius solitaria, quam tam primi quam secuti mortales, in rebus nullius fecerunt, originarie dominia definita, esse constituta, arbitramur.

2. Alii, quibus communio displicuit, in alterum extremum prolapsi asserunt, dominium singulare & definitum, immediate â Deo esse constitutum, dum ille *Adamo dominium, toti humano generi competens, adeoque commune,* præterea vero *dominium etiam privatum, pro me, te &c.* contulerit *vid.* Albert. *C. J. N. p.* 2. *c.* 7. §. 14. 29. *add.* Boecler. ad Grot. *d. l. p.* 38. Sed hæc alterâ longe est deterior, nam hominum, quibus nec ratione, nec revelatione, portio data innotuit, conscientiis perpetuum injicit laqueum, præterea sibi ipsi contradicit, jam

enim *dominium divinitus tributum*, *causam occupationis*, *non occupationem*, *causam dominii esse*, seu ex *dominio privato occupationem suum sortiri effectum* contendit *vid. d.c. 7. §. 23. 29.* jam *res vacuas*, *& per occupationem originarie dominio subjiciendas* asserit, *d.c. 7. §. 27. 31. seqq.* quæ non satis cohærent.

§. 3. Est autem *dominium* jus, quo alicujus rei velut substantia ita ad aliqvem pertinet, ut eodem modo in solidum non pertineat ad alium. Ex qvo conseqvitur, ut de rebus, qvæ tanqvam propriæ ad nos pertinent, pro arbitrio nostro disponere, & ab eorundem usu qvosvis alios arcere possimus; nisi quatenus per pacta singulare jus à nobis sibi qvæsiverint. Etsi in civitatibus contingere soleat, ut dominium non semper penes qvosvis sit illibatum, sed certis limitibus circumscriptum per imperium civile, aut ex dispositione & conventione hominum inter se. Qvando autem res una ad plures indivisim eodem modo pertinet, illa istis pluribus vocatur *communis*.

Observ. 282.

Est autem dominium) Hoc in suâ perfectione spectatum, clarius dixeris *jus, ob quod res aliqua corporalis, ad plenissimum utendi effectum, nostra est.* Consistit adeò ejus essentia in *pertinentiâ ad nos*, non *exclusione aliorum*, ceu præcipit Autor

tor *l. 4. c. 4. §. 3.* hæc enim ſaltem conſequitur, pluribus hominibus exiſtentibus, interim certum eſt, quod de dominio non adeo ſimus ſoliciti, ſi ſoli exiſtamus, quod tamen ei negando non ſufficit.

Obſerv. 283.

Niſi quatenus per pacta) Dominium â diverſis circumſtantiis variè diſtingui poteſt (1) ab *effectu* eſt vel *plenum*, de quo definitio, vel *minus plenum* ſeu *reſtrictum*, cujus effectus imminutus eſt. Eſt illa reſtrictio vel *indeterminata*, dum per imperium civile, pro utilitate Reipublicæ, varie dominium circumſcribitur, vel *determinata*, quando privatis per conventiones ſimilesve actus, intuitu rei noſtræ, aliquod jus acquiritur, quod quidem diverſû eſſe ſolet, vel enim *partem dominii*, conſequntur, quo caſu oritur dominium directum & utile, vel *aliud jus, rem ipſam afficiens*, aut ſervitutem pignus, accipiunt, vel *jus perſonale*, vi cujus dominum, præſtationem perſonalem poſtulare queant, ſibi acquirunt (2) â *duratione* in *revocabile* & *irrevocabile*.

Obſerv. 284.

Quando autem res) Amplius (3) â *ſubjecto* in *ſingulare*, quod uni, & *Commune*, quod multis competit. Hoc uno nomine dicitur *Communio*, quæ uti ſuos habet gradus, ut alia alterâ ſit generalior, ita certo reſpectu eſt *poſitiva*, quatenus dominium commune ponit, & *negativa*,

quatenus alios excludit (quod tamen ad essentiam communionis non pertinere, aliquoties admonitum) vel sociis jus, cæteros socios excludendi, aut singulis dominium pro diviso, negat. Quod si res aliqua ita sit communis, ut eadem in dominium singulare redigi nec possit, nec debeat, tum communio etiam peculiari sensu, *negativa* evadit. *vid. Observ.* 278. *n.3. in fin.*

2. Competit dominium hominibus, etiam rationis usu destitutis, hi enim vicaria operâ illud acquirunt & sustinent *vid. l. 4. c. 4.* §. *15* Porrò dominii sunt capaces personæ morales compositæ, quo nomine certus hominum coetus, peculiari ratione consociatus, ac â certis individuis abstractus, adeoque ut immortalis spectatus, venit, tales personæ sunt, Civitates, municipia, Collegia, Ecclesiæ, Nosocomia similesve, quæ itidem in rebus acquirendis & administrandis, aliorum operâ uti solent. A dominorum autem diversitate, res sortiuntur diversas denominationes, ut communes publicæ, universitatis, privatæ &c. dicantur, quas denominationes adeò mutabiles esse, liquet. In juro Romano, â negatione dominii, pleraque illa rerum nomina repetuntur, quod generaliter intellectum â veritate abludit.

§. 4 Sicuti autem res non simul & semel in proprietatem iverunt, sed successive, & prout

ut usus humani generis postulare visus est: ita non necessum fuit, ut omnes & singulæ res propriæ fierent, sed salva pace generis humani *aliquæ potuerunt*, *aliquæ debuerunt intra primævam velut communionem permanere*. Nam quæ utilia licet hominibus, *inexhausta* tamen sunt, sicut omnium usibus possint patere, nec tamen singulis usus iste reddatur malignior; ea dividere velle super vacuum simul ac ineptum foret. Uti est lumen calorque solis, aër, aqua profluens,& si quæ sunt similia. Qvo refertur etiam vastus Oceanus, magnis continentibus interjectus, qvoad partes à litoribus remotissimas. Qvippe cum ille non solum omnium usibꝰ promiscuis sufficientissimus, sed & uni alicui populo ejus *custodia moraliter sit impossibilis*. Ubi enim aliqva res ita sit comparata, ne nullo modo alii ab ejus usu arceri qveant, illam dividi, aut propriam cujuspiam fieri non supervacuum solum est, sed & inanibus litigiis materiam præbere aptum.

Observ. 285.

Sicut autem res) Doctrina hæc, si recte intelligatur, admitti potest, nimirũ res successivè in proprietatem iverunt, dum primi; eosque successivè secuti homines, mediante occupatione, res nullius maximam partem sibi subjicerunt, at-

que ita dominium originariò conſtituerunt. Quodſi autem, præſuppoſita communione, per diviſionem & occupationem, generale aliquod pactum præſupponentem, dominia ſucceſſive introducta dicas, tum doctrinam illam haut admittimus.

Obſerv. 286.

Ita non neceſſum fuit] Dominia ſingularia, in omnes res, non eſſe conſtituta, recte quidem dicitur, ſed inde non ſequitur, quod quædam intra primævam communionem permanſerint, cum hæc probabiliter nunquam fuerit, quare ita potiꝰ philoſophandum eſſe arbitramur. Ex rebus nullius, quales ab initio omnes fuerunt, pleraque dominium privatum ſubierunt, quædam vero, quas homines nondum attigerunt, manſere nullius, ſicut etiam in illum ſtatum recidunt res derelictæ, quodſi autem res aliqua ſit, inexhauſti uſus ac omnibus ſufficiat, illa eſt reddita communis negative *vid. Obſerv. 278. n. 3.* ut nec unius ſit, nec fieri poſſit.

Obſerv. 287.

Nam quæ utilia licet) Refert Autor exempla rerum negative communium, cum quo fere conſpirat Jus Romanum §. *1. J. de R. D.* Sed nihil impedit, quo minus luminis caloriſque ſolis, aëris & aquæ profluentis dominium, quatenus illa rebus noſtris continentur, aſſeramus, licet uſus innoxius ex lege humanitatis, permittendus ſit. Quoad aquam profluentem conſentit Autor in Op. Maj. *l. 3. c. 3.* §. 4.

Ob-

Observ. 288.

Quo refertur etiam vastus Oceanus) Hic merito pro re, negative communi, juxta respectum allatum habetur, hinc non tantum stolidum sed & injustum foret, si una aliqua Gens, dominium vasti Oceani sibi asserere velit. Alia ratio est maris, quod terras alluit, ac instar munimenti est, hoc enim cum littoribus, merito certa aliqua Respublica sibi asserit *vid. l. 4. c. 5. §. 5. seqq.* Ex quibus summa fluit conclusio: Objectum dominii singularis, esse res, quarum usus omnibus non sufficit, & quarum custodia moraliter uni est possibilis *vid. l. 4. c. 5. §. 1. 2. 3. 4.*

§. 5. ***Modi adquirendi*** dominii sunt vel ***originarii*** vel ***derivativi***. Per illos ab initio in rem aliquam proprietas introducitur. Per hos dominium jam constitutum ab uno in alterum transit. Priores modi iterum sunt vel ***simpliciter tales***, qvibus dominium in corpus alicujus rei adquiritur; vel ***secundum qvid***, queis incrementum aliqvod ad rem nostram adjungitur.

Observ. 289.

Modi acquirendi) Præsuppositâ divina dominii universalis concessione, homines suo facto dominia singularia introduxerunt, ac introducta variè in alios transferunt. Factum illud dicitur *Modus acquirendi dominii*, & nihil aliud est, quam *actus, ob quem dominium vel com-*

mu-

munio particularis, à lege vel naturali vèl civili, proximè constituitur.

Observ. * 290.

Sunt vel originarii) Tripliciter potissimum Modi illi distingui possunt (1) intuitu *dominii* in *originarios* & *derivativos*, illi pertinent ad res nullius, hi ad res alicujus (2) *rei* in *principales* & *accessorios*. Autor quidem hanc divisionem, pro sub-divisione modorum originariorum habet, sed ad derivativos quoque illa pertinet (3) *legis*, quæ dominium tribuit in *naturales* & *civiles*, quæ divisio satis quidem trita, non usque adeo tamen liquida est, interim sic dicendum videtur modus naturalis est, *qui solo consensu acquirentis, quoad res nullius, vel mutuo transferentis & acquirentis, quoad res alicujus, constat.* Civilis vero, *qui, sine consensu domini speciali, dominia transfert, vel aliquando plus, quam mutuum consensum, exigit.*

§. 6. Post recepta inter homines divisa rerum dominia ita inter homines conventum; ut qvæcunqve sub primævam divisionem non venerunt, ea cederent occupanti, i. e. ei, qvi primus eadem corporaliter adprehendisset animo sibi habendi. Sic ut hodie originarius modus dominium in corpus alicujus rei adqvirendi sit sola *occupatio*. Hoc igitur modo adqviruntur regiones desertæ, quas nullus unqvam homo sibi asseruit; qvæ fiunt

fiunt illius, qvi primus eas ingreditur animo sibi habendi, ita ut culturam eis adhibeat, & certos limites constituat, qvousqve eas suas esse velit. Ubi autem cœtus multorum hominum junctim occupaverit partem qvampiam terræ, usitatissimum est, ut singulis ex eo cœtu aliqva portio adsignetur; qvæ supersunt, ad totum cœtum pertinere censeantur. Per occupationem qvoqve adqviruntur feræ bestiæ, aves, pisces, in mari, fluminibus aut lacubus versantes; item si qvæ â mari in littus solent ejici; modo tamen per imperium civile promiscua ejusmodi rerum captura non sit interdicta, aut certo alicui assignata. Quas necessum est, si nostræ debent fieri, ut corporaliter adprehendamus, & in nostram potestatem redigamus. Occupatione quoque adquiruntur res, in quibus dominium, cui ante subjectæ fuerant, plane est extinctum. Puta, si quæ abjiciuntur ea intentione, ne amplius ea sint nostra; aut quæ ab initio inviti amittimus, sed post pro derelictis habemus. Quo etiam pertinet thesaurus, seu pecunia, cujus dominus ignoratur; qui inventori cedit, ubi per leges civiles aliter non est dispositum.

Observ. 291.

Post recepta) Antiquissimum modum originarium, *divisionem* fuisse censet Autor. Sed nobis

com-

communio primæva, eam secuta *divisio & pactum de rebus vacuis occupanti concedendis*, fabulosa videntur *vid. Observ.* 279. 280. 281. hinc & olim & hodie sola occupatio, sine pacto prævio spectata, modus originarius fuit & est. Quodsi autem plures homines rem vacuam occupent, adeo ut mediante occupatione comunio particularis constituatur, tum per divisionem posse dominia singularia introduci, ac hoc sensu, eã pro modo originario haberi concedim9.

Observ. 292.

Sic ut hodie) De hoc modo diximus. De cætero occupatio est *rei nullius animo sibi habendi facta apprehensio.* Habetur illa recte pro *modo naturali*, per ea quæ diximus *Observ.* 278. *n.* 2. Reliquorum, qui per occupationem excluduntur, consensum ex pacto, primæ divisioni addito, repetere, fabulosum, ex studio autem socialitatis, præsumere, non necessarium est. Neque tamen occupatio, ad acquisitionem originariam præcisè est necessaria, sed requiritur saltem, ut *medium voluntatem acquisituri aliis indicandi*, quodsi adeo alii, in acquisitionem rei nullius, aperte consentiant, vel acquisiturus voluntatem habendi, alio actu æque habili, declaret, tum etiam sine occupatione, dominium originarium acquiri potest *vid.* Grot. *de J. B. P. l. 2. c. 8. §. 2.*

Observ. 293.

Hoc modo igitur acquiruntur) Generale Occupationis objectum sunt *res nullius.* In specie igitur

tur occupatione acquiruntur (1) *regiones vacuæ vel iterum desertæ, vid. l. 4. c. 6. §. 3, 4.* quando autem duo circa acquirendam regionem contendunt, tum neque occupatio, neque similis actus, acquisitioni, alterum exclusuræ, sufficit, sed res utrique potius est communis, ex quo controversiam *d. c. 6. §. 8.* propositam, rectius forte decideris, quam vel ab Arbitris, vel ab Autore, ibidem factum est.

Observ. 294.

Per occupationem quoque acquiruntur) Porro occupatione acquiruntur (2) *feræ bestiæ & res à mari ejectæ d. c. 6. §. 5.* Sed hæc vera sunt, quamdiu illæ res revera sunt nullius, sed in Civitatibus non recte pro talibus habentur, cum ex Earum indole liqueat, res alicujus pretii, quæ privatum possessorem non habent, non amplius esse nullius, sed ad Rempublicam pertinere, adeoque earum occupandarum jus nulli competere, nisi cui Civitas & Imperans id concesserint. Hoc si admittas, non opus est, ut cessantem occupandi facultatem demum à speciali legis prohibitione repetamus, ac de ejus æquitate simus solliciti, quæ vulgaris est philosophia, cui Autor etiam indulget §. 6. *h* & *d. c. 6.* §. 6.

Observ. 295.

Quas necessum est) Quoad privatos, opus quidem est, ut voluntas acquirendi, actu habili aliis innotescat, occupatio tamen præcise non est ne-

necessaria, sed vulneratio, persecutio, inclusio similesve actus, idem omnino præstare possunt, libet vulgò ex falsà, de absoluta occupationis necessitate, hypothesi dissentiant, a qua doctrina nec Autor valde abludit *d. c. 6.* §. 9. 10. 11. In civitatibus autem recte, ante occupationem specialem, dominium ferarum similiumque rerum, quatenus in territorio continentur, imperio civili tribuitur, licet Autor ex memorata modo hypothesi, iterum dissentiat *d. c. 6. §. 7.*

Observ. 296.

Occupatione quoque) Ad objecta occupationis (3) *res derelictæ* & *thesaurus* etiam pertinent *add. d. c. 6.* §. 12. 13. cumque hæ res semel dominio privato subfuerint, hinc si derelinquantur, non statim publicæ censeri possunt, sed meritò tamdiu pro rebus nullius habentur, donec per leges civiles privati ab earum acquisitione excludantur.

§. 7. Cæterum plurimæ res, quæ dominio subjectæ sunt, non in eodem semper statu persistunt, sed variis *auctibus* suam *substantiam dilatant*; quibusdam extrinseca *incrementa* accedunt; aliæ *fructus* proferunt; multis per *formam* industria humana superinductam pretium accrescit. Quæ omnia vocabulo *accessionum* comprehendi possunt; & in duas classes dividuntur. Quædam enim citra factum ho-

hominis ex ſola natura iſtarum rerum proveniunt: quædam facto & induſtria hominum in ſolidum, aut ex parte procurantur. Circa quas iſta eſt regula; ut qui eſt dominus rei, ad eundem quoque pertineant acceſſiones & quævis emolumenta; Et qui ex ſua materia ſpeciem fecit, ejus ſpeciei ſit dominus.

Obſerv. 297.

Cæterum plurimæ res) Pergit Autor ad acquiſitionẽ *Acceſſionum*, quarum varietatem heic explicat *add. l. 4. c. 7. §. 1.* Et ex ejus quidem ſententia, acquiſitio hæc, *originaria* eſt, quod tamen non indiſtincte verum, cum ſæpe dominium de perſona in perſonam tranſeat, imo plura acceſſionum exempla ſint, in quibus ne quidem aliqua aliqua acquiſitio occurrat, ſed ei ſaltem, conſenſu aut lege poſitiva peragendæ, occaſio præbeatur *add. Obſerv. 290. n. 2.*

Obſerv. 298.

Circa quas iſta eſt regula) Sed illa inadæquata eſt, hinc potius duæ regulæ ſummatim tenendæ ſunt (1) *ſi id, quod rei noſtræ accedit, vel ex ipſa re proveniat, vel operâ noſtrâ producatur, aut extrinſecus adveniens, nullius ſit, domino illud naturaliter acquiritur, niſi jus acquirendi in alium ſit translatum* (2) *Si verò res aut opera accedens, vel in totum vel pro parte, alterius ſit, tum naturaliter oritur communio, niſi transferendi voluntas interveniat, quæ tamen plerumque deficit.* Communio autem illa ſolvitur, ac adeo ad acquiſi-

tionem dominii devenitur, vel *consensu partium* vel *lege positiva*, quæ juxta æquitatis circumstantias, rem dirimit. Atque talem dirimendi modum Romani, Judici tradere voluisse videntur, in quem sensum, si eorum doctrinam accipias, cum censurâ Grotii *l.2. c.8.* illa conciliari potest. Ex his principiis, de singulis accessionum exemplis, quæ *l. 4. c.7.* etiam adducuntur, facile poterit judicari, ut illa speciatim persequi, jam non attineat.

§. 8. Frequenter tamen contingit, ut alii ex contractu, aut alia via jus sibi quæsiverint ex re nostra certum commodum percipiendi, aut etiam impediendi, ne nostra re omni modo utamur. Quæ jura solent vocari *servitutes*. Ac dividuntur in *personales*, ubi utilitas ex re aliena ipsi personæ immediate obvenit; & *reales*, ubi ex re aliena mediante re nostra utilitas capitur. Inter illas numerantur ususfructus, usus, habitatio, operæ servorum. Reales iterum dividuntur in *servitutes prædiorum urbanorum*, & *rusticorum*. Illæ sunt v.g. servitus oneris ferendi, luminum, ne luminibus officiatur, prospectus, stillicidii recipiendi, &c. Hæ sunt, v. g. iter, actus, via, aquæductus, aquæ haustus, pecoris ad aquam appulsus, jus pascendi, &c. Quæ omnes fere ex occasione viciniæ introductæ sunt.

Observ.

Observ. 299.

Frequenter tamen contingit) Occasione cohabitationis, sæpe alii in rebus nostris jus acquirunt, dum vel in partem dominii admittuntur, hinc oritur *dominium minus plenum*, vel ratione crediti securitatem quærunt, hinc existit *pignus*, vel alicujus emolumenti percipiendi facultatem consequuntnr, hinc *servitus* enascitur §. *8. h. add l. 4. c. 8.* quæ omnia jura ex principiis naturalibus resultant, adeoque eorum in Jurisprudentia universali, mentio recte fit, sed Particularis eadem, cum additamentis positivis distinctius pleniusque persequitur.

§. 9. Inter modos adquirendi *derivativos* alii sunt, quibus res devolvitur in alium ex *dispositione legis*; alii quibus *facto prioris domini*. Et quidem ut vel *bonorum* alicujus *universitas*, vel certa eorundem *portio* transferatur.

Observ. 300.

Inter modos acquirendi derivativos) Modi derivativi, quibus dominia constituta in alios transferuntur, sunt ratione (1) *legis*, vel *naturales*, qui mutuo consensu constant, vel *civiles*, qui sine consensu domini speciali, dominia transferunt, illi iterum sunt vel *pure tales*, qui nihil nisi mutuum consensum desiderant, vel *mixti*, qui præter memoratum consensum, dispositionem quandam civilem habent adjunctam (2) *eventûs*, vel tales, qui *casum mortis* respiciunt, vel *inter vivos*, effectum habent (3) *objecti*, vel *universales*, vel *singulares*.

Observ. 301.

Alii sunt, quibus res devolvitur) Hæc sequentium partitio, parum accurata est, nam (1) modi naturales & civiles non separantur (2) dispositio legis, & factum domini prioris, sibi non recte opponuntur, denique (3) sub altero partitionis membro, seu facto domini, translationes, quæ eventum mortis,& vivos respiciunt, compinguntur,cum tamen merito separandæ sint. Rectius sic dicemus: Modi sunt vel *naturales*, vel *civiles*; Illi vel *eventum mortis* respiciunt, & vel consensu tacito vel expresso dominia transferunt, vel *inter vivos* occurrunt, utroque autem respectu vel *bonorum universitatem*, vel *aliquam portionem*, in alios deducunt. Hi, sive civiles itidem tam inter vivos, quam in eventum mortis, operantur ac vel omnia bona, vel aliquam eorum partem afficiunt.

§. 10. Universitas bonorum lege transit per mortem prioris domini in *successionibus ab intestato*. Cum enim & communi hominum inclinationi repugnet, & ad pacem generis humani minime omnium conducat, bona, quæ quis tanto cum labore, dum viveret, quæsivisset, à domini morte haberi pro derelictis, & cuivis occupanti patere: inde suadente ratione apud omnes populos receptum, ut, si quis de suis bonis ipse nihil disposuisset, ejus bona devolvantur ad eos, quos pro commu-

muni hominum affectu carissimos habere judicatur. Quales sunt regulariter, qui ex nobis descendunt, & juxta hos alii sanguine nobis juncti, pro gradu quisque propinquitatis. Et licet aliqui homines dentur, qui vel propter accepta beneficia, vel ob peculiarem affectum alienos quosdam magis ament, quam suos consanguineos: tamen pacis interfuit, non considerato paucorum quorundam affectu communem potius mortalium inclinationem sequi, modumque succedendi observare planissimum, & nullis impeditis disceptationibus obnoxium. Quæ emersuræ erant, si benefactores & amici cum iis, qui sanguinis jure nituntur, possent concurrere. Et si quis omnino benefactores aut amicos cognatis volebat præferre, debebat expresse super ea re disposuisse.

Observ. 302.

Universitas bonorum lege transit) Primo occurrunt modi naturales, qui dominium, imo etiam alia jura, in eventum mortis transferunt. Fit illa translatio voluntate *tacitâ* aut *expressâ*. Illa ex affectu hominum colligitur, cum tamen istæ collectiones non usque adeò certæ sint, hinc *lex positiva* certius voluntatem defuncti præsumit, ut Autor, *lege bona transire*, hic dixerit, quæ tamen illi non est opponenda, sed subordinanda. Ex ista autem tacitâ datione,

resultat *successio ab intestato, tacita* sive *legitima.*

Observ. 303

Inde suadente) Præsumitur igitur quis bona sua consanguineis, non amicis spontaneis, relinquere voluisse, nam ex communi hominum affectu hanc rem determinare par est §. *10. h. vid. l. 4. c. 11. §. 1. 2. 15. 16.* Thomas. *J. J. D. l. 2. c. 9. §. 150. seqq.*

§. 11. Ex his consequitur, proximos cuique hæredes esse suos *liberos*, quos & natura parentibus alendos educandosque solicite commendavit, & quibus quisque parentum censetur quam lautissime voluisse prospicere, ac quæ sibi supersunt ipsis potissimum relinquere. Per liberos autem intelliguntur præcipue, qui ex legitimo matrimonio nati sunt. His enim & ipsa ratio, & decor vitæ civilis, & leges populorum cultiorum præ naturalibus favent. Ista tamen ita demum obtinent, nisi pater aliquem pro suo filio ob sufficientes rationes noluerit agnoscere, aut nisi ob atrocissimam malitiam eundem abdicaverit. Sub liberis etiam comprehenduntur ii, qui sunt ulteriorum graduum, quos uti alere, ipsorum parentibus defunctis, avus tenetur: ita ut & ipsi cum patruis & avunculis ad hæreditatem avi concurrant æquissimum est, ne, super calami-

mitatem mature defuncti patris etiam avi hæreditate excludantur. Ubi descendentes desunt, par est ad *parentes* defunctorum liberorum bona devolvi. Quibus liberi & parentes non sunt superstites, iis *fratres* succedent. Ubi & hi deficiunt, hæres erit, prout quisque defunctum sanguine propius contingit. Etsi ad lites evitandas, quæ heic exoriri possunt frequentissimæ, simulque ut ea res ad usum reip. probe attemperetur, in plerisque civitatibus super ordine successionis accurate deprehenditur dispositum. Et hunc ordinem ut sequantur privati tutissimum est, nisi graves causæ peculiariter disponere subigant.

Observ. 304

Ex his consequitur) Quo ordine itaque, ex præsumta voluntate defuncti, hæreditas deferenda sit, Autor hic exponit *add. d.c. 11. §. 2. seqq.* Sed non est, ut privatis illis præsumtionibus diu immoremur, cum lege & conventione illa omnia certius definiri soleant & debeant, negatâ hac definitione, privatæ illæ collectiones parum prosunt, ea autem positâ, illis plane non indigemus. De cætero leges ordinem succedendi, requisita successurorum, modum dividendi, jus repræsentandi, & bonorum, in quæ succeditur, varietatem determinare solent, *add. d. c. 11. §. 18.* quæ Jurisprudentia particularis persequitur.

§. 12. Facto domini prioris universitas rerum mortis causa transit per *testamentum*. Nam & illud in qualecunque solatium mortalitatis apud plerosque est receptum, ut quis vivus sua bona transferre posset in eventum mortis, in eum, quem maxime amaret. Cæterum cum antiquissimis temporibus usitatum fuisse videatur, ut imminente jam fato palam suos hæredes nuncuparent, & patrimonium de manu in manum ipsis traderent; postea graves ob rationes multis populis aliud testamenti genus magis arrisit. Ut nempe quocunque tempore placeret ultimam suam voluntatem vel palam significare, vel literis tacitè consignare possent; quam mutare pro lubitu liceret, & ex qua hæredibus nuncupatis aut scriptis tunc demum jus nasceretur, quando testator expiraret. Atque tales ultimæ voluntates licet merito magnum habeant favorem; ita tamen temperandæ erunt, prout necessitudinum ratio, & utilitas civitatum requirit. Quæ & inde legibus sueverunt cavere, quomodo cuique testamenta sint ordinanda. A quarum dispositione qui discesserit, queri non potest, suæ voluntatis non fuisse habitam rationem.

Observ. 305.

Facto domini prioris) Postea etiam expresse bona in eventum mortis transferuntur, quæ declaran-

randi ratio, *Testamentum* audit, quod ex communi mortalium affectu, est *ultima voluntas, qua in eventum mortis hæres designatur, aliaque prout visum fuerit, disponuntur, pro lubitu testatoris, revocabilis* vid. *l. 4. c. 10.* §. *1. 2. 3.* Ex ista datione resultat *successio testamentaria* vel *expressa.*

Observ. 306.

Nam & illud) Facultas testandi cuivis rationis usu gaudenti, ac liberam rerum suarum administrationem habenti *naturaliter* recte tribuitur, licet Autor §. *12. h.* & *d. c. 10.* §. *4. 5. 6.* dissentire videatur. Nam (1) *nulla hic occurrit prohibitio*, concessit etiam (2) Autor, *quod ab intestato, tacitâ voluntate bona possint transferri, cur non itaque etiam expressa id fieri posset?* nec obstat [3] *quod nulla hic adsit acceptatio*, nam illa post mortẽ sequitur, voluntas enim defuncti morte non intercidit, cum homines vivi, ex lege socialitatis, eam in statu suo, ad acceptationis effectum, relinquere teneatur. Sane, cum mortuus fuerit homo, & qui eum supervixerunt, eandem sortem mox sint subituri, magna fuerit inhumanitas, conditionisque humanæ stulta oblivio, si vivi, neglectu voluntatis, mortuos velut insultare velint, cum quod aliis ita fecerint, mox ab aliis quoque juxta legem talionis, sint passuri, talem igitur inhumanitatem jure naturali esse prohibitam, plane existimandum videtur.

Observ. 307.

Cæterum cum antiquissimis) Modus testandi, seposita

ſita lege civili, à *libertate* & *prudentia* dependet, hinc maximè tutum eligere, rationis eſt *add. d. c. 10. §. 5. 6.* ſed in civitatibus, lex civilis teſtandi libertatem varie circumſcribere ſolet ratione (1) *perſonarum teſtantium* (2) *inſtituendarum* (3) *rerum transferendarum* & (4) *modi teſtandi*, quæ latius perſequitur Jurisprudentia particularis, nec ſolent penitus vitia legum ceſſare, dum ſæpe ultra modum illæ ſunt ſcrupuloſæ, quod exemplo legislationis Romanæ intelligi poteſt.

Obſerv. 308.

A quorum diſpoſitione] Si leges civiles negligantur, tum teſtamentum ita invalidum eſt, ut hæres ab inteſtato, ſcriptum, ſalvà conſcientià, expungere queat, nam actus eorum, qui imperio civili ſubſunt, non ex ſolà ipſorum, ſed & legitimi Imperantis voluntate, æſtimari jubet lex naturalis, & ſi, ſecus fiat, eosdem negligit *vid d. c. 10. §. 7. 8.* qua de re in *diſputat. inaug.* de Obligat. ex teſtam. imperf. *Lipſ. 1688. habitâ*, latius disquiſivi.

2. Quodſi defunctus hereditatem tacitè vel expreſsè alicui detulit, tum poſt ejus mortem, ab hærede voluntas eſt *acceptanda*, ſiquidẽ exitum ſortiri debeat, iſta acceptatio, ſtilo juris Romani, dicitur *Aditio hæreditatis*, ubi quidem voluntati teſtatoris mortui, id maximè conſentaneum videtur, ut tam ipſæ hæres adire, quam jus adeundi ad hæredes transmittere queat, ſed Jus Romanum a ſimplici hac ſen-

ten-

tentia sæpe abit, ac voluntates defunctorum non tam explicat, quam potius evertit. Illud interim liquet, quod alienationes, in eventum mortis, tacitè vel expresse factæ, *recte* pro *modis naturalibus* habeantur, involvunt enim mutuum consensum, nec tamen *pure tales* sed *mixti* sunt, dum lex civilis, circa declarationem & acceptationem consensûs, varia disponit.

§. 13. Inter vivos facto prioris domini res transeunt vel *gratis*, vel *interposito contractu*. Prioris generis translationes vocantur *donationes*. De contractibus infra erit agendum.

Observ. 309.

Inter vivos facto) Sicut in eventum mortis, ita etiam inter vivos, mutuo consensu, naturaliter dominia transferuntur, qui hoc casu nomen *pacti* aut *contractus* assumit, qualis etiam est donatio, ut non opus sit, hanc isti cum Autore opponere, quæ opposito redolet præjudicium, ex Jure Romano haustum. Mero autem jure naturali, nil nisi mutuus consensus ad translationem dominii requiritur, traditio ultrò adhiberi potest, sed præcise non debet *add. l. 4. c. 9.* Cæterum lex civilis, ex rationibus utilitatis publicæ, præter consensum, aliud quid exigere solet, ex quo invaluit distinctio *Tituli* & *Modi*, quæ, mero jure naturali, incognita est.

§. 14.

§. 14. Qvandoque etiam *invito priore domino* res transferuntur; & qvidem in civitatibus potiſſimum per modum pœnæ, dum ob delicta damnatis interdum omnia bona, interdum certa eorum portio eripiuntur, & vel publico, vel læſo adplicantur. Sic & in bello invitis res per hoſtem viribus ſuperiorem eripiuntur, raptoriqve adqviruntur; ad qvas tamen recuperandas pari violentia prior dominus jus non amittit, qvousqve per ſubſeqventes pacis tractatus omni prætenſioni ad easdem renunciaverit.

Obſerv. 310.

Quandoque etiam invito domino) Sequuntur modi Civiles, quando v. gr. lex (1) in pœnam, bona invito aufert, de quo *l. 2. c. 13.* in genere agitur (2) hoſtis hoſti invito res eripit §. *14. h. add. l. 4. c. 6.* §. *14.* de quo *l. 2. c. 16.* amplius dicendum erit. De cætero accurate loquendo heic nulla vera eſt acquiſitio, nam Imperans ex juſta cauſa, invito ſubdito rem quidem auferre poteſt, ſed hoſtis in hoſtem non habet imperium, adeoque invito nihil, cum effectu juris, eripit, ſed quicquid in bello accidit, id omne facti eſt, ſecutæ demum pacificationes acquiſitionem determinant.

§. 15. Peculiaris deniqve modus adqvirendi eſt *uſucapio*; per qvam is, qvi bona fide juſtoqve titulo rei alicujus poſſeſſionem nactus

ctus' est, eamqve diu qvietam & non interruptam obtinuit, demum pro perfecto domino ejus rei habetur, ita ut antiquum dominum, si postea rem eam vindicare velit, repellere qvear. Cujus juris introducti ratio fuit, partim quod pro relicto rem habere judicaretur, qvi diu eandem vindicare neglexerit, cum longo tempore ad id occasiones vix deesse judicentur: partim qvod tranqvillitatis & pacis interesset, aliqvando possessiones rerum extra controversiam collocari. Præsertim cum longe gravius videatur post diuturnam possessionem re bona fide parta privari, qvam olim amissa, & cujus desiderium dudum erat digestum, in perpetuum carere. Ut tamen in civitatibus certi termini, prout ratio & utilitas civitatis suggesserit, definiantur, intra qvos usucapio compleatur, tranqvillitatis & pacis interest.

Observ. 311.

Peculiaris denique modus) Inprimis ad modos civiles pertinet [3] Usucapio, quæ est actus, quo rei alienæ, juxta certa requisita (ad quæ digitum intendit Autor *h. add. l. 4. c. 12. §. 2. 3. 4.*) possessæ, sine speciali prioris domini consensu, dominium per legem humanam consequimur. Præscriptio est quidem inventum legis humanæ, sed omnibus Gentibus usitatæ, hinc illa, perinde ut pactum, est generale aliquod


quod jura variandi medium, adeoque ejus fundamenta & generalis habitus, in Jurisprudentia Universali recte proponuntur, si quis tamen in ea tradenda rite versari velit, ei præjudicia & confusio Juris Romani seponenda sunt, de quo plura admonui in *Observat.* ad Lauterbach. Comp. Jur. *Observ. 1033.*

Observ. 312.

Cujus juris introducti) Duæ inprimis quæstiones generales hic occurrunt [1] *An usucapio sit licita?* quod merito asseritur, subest enim ejus, qui læditur, consensus indirectus. §. *15. h. add. d. l. 4. c. 12.* §. *5. 6. 7.* [2] *an mero jure naturali obtineat?* quod negandum, quatenus a momento temporis, illa vim sortitur, talem enim determinationem nemo ex jure naturali probaverit. Qui autem ex præsumta domini prioris derelictione amissionem juris, inter liberas Gentes repetunt, eoque respectu Præscriptionem asserunt, *vid. d. c. 12.* §. *7. seqq.* illos alio sensu eam supponere manifestum est. De cætero uti tacita illa derelictio inter Gentes, sæpe inane aut non necessarium nomen est, ita cur illi Præscriptionis imago sit circumponenda, ejus rei nondum validam rationem reperire licuit, id quod in Specim. Jur. publ. Romano-germ. *l. 2. c. 3.* §. *21.* jam admonui, ac in Vindic. Vitriar. Castigat. *annot. 120.* amplius confirmavi.

2. Post modos acquirendi dominii expositos, ejus

jus *Effectus* etiam considerari potest. Consistit ille in eo, ut re plenissime uti, eamque a quovis vindicare queas. Facultas vero alienandi ex dominio frustra repetitur, licet, post multos, ita etiam Autori *l. 4. c. 9.* §. 1. persuasum sit, nam eadem res non potest simul esse alienationis causa & objectum. Facultas itaque alienandi fluit ex libertate naturali, quæ tam circa dominium, quam alia jura tamdiu occurrit, quamdiu lege, conventione similive actu non est restricta, hinc etiam non tantum dominium, sed & alia jura, sepositis illis impedimentis, alienari possunt, quæ ideo præcipue admonere visum est, quo falsæ conclusiones, quæ ex contraria sententia nonnunquam eliciuntur, rejici queant.



CAPUT

CAPUT. XIII.

DE
OFFICIIS, QUÆ EX DOMINIO RERUM PER SE RESULTANT.

§. I.

EX introducto rerum dominio ista officia inter homines provenerunt. I. *Ut quilibet teneatur alterum* (non hostem) *pati rebus suis quiete frui, neque vi aut per fraudem illas corrumpere, intervertere, aut ad se trahere sustineat.* Quo ipso furta, rapinæ, & similia crimina, in res alienas tendentia, vetantur.

Observ. 313.

Ex introducto rerum dominio) Tradita Autoris rem hanc non exhauriunt, plenius paululum ita dicendum: Præcepta circa dominium occurrentia, vel respiciunt *dominum ipsum*, qui totam legem naturalem, intuitu rerum propriarum, observare tenetur, adeoq; iis in contemtum Dei haut abuti, nec vel se vel alios lædere, sed ad commodum tam proprium, quam aliorum, eas adhibere debet, vel *alios*. Horum officio

officio intelligendo, distinguendum, utrum res sit *apud dominum*, & aliis hominibus observandum est præceptum, quod §. 1. *h.* refertur, an *apud alium*, idque vel *volente domin*, hoc casu, juxta tenorem conventionis, utriusque, tam domini quam possessoris officium, ex præcepto de fide servanda damnoque resarciendo, judicandum erit, vel *invito*, tum res detinetur vel à *sciente* seu *malæ fidei possessore*, qui rem cum omnibus fructibus, perceptis & percipiendis, restituere tenetur, à domino tamen impensas necessarias & utiles, durante utilitate, recte repetit, vel *ignorante* seu *bonæ fidei possessore*, ad quem casum Autor respicit, ac tam domini quam possessoris officium conjunctim explicat, quæ in Jure Romano ad titulum de *Rei vindicatione* & *Hereditatis petitione* fusius diduci solent, sed non sunt illa Romana, sed, maximam partem, naturalia.

§ 2.2. *Quando res aliena ad nos pervenit sine nostro crimine, & bona nostra fide, eamque adhuc in nostra potestate habemus, tenemur efficere, quantum in nobis est, ut illa in potestatem legitimi sui domini redeat.* Non tamen tenemur illam rem restituere nostris impensis, & si quas in eam servandam fecimus, recte possumus repetere, aut rem tantisper, quoad illæ solvantur, retinere. Et ad restituendum tunc demum actu tenemur, quando innotuit nobis, illam rem esse alterius. Tunc

enim debemus ſignificare, rem eam penes nos eſſe, nec per nos ſtare, quo minus dominus ſuum poſſit recipere. Quod tamen juſto titulo adquiſivimus, non tenemur ipſi in dubium revocare, & velut publice denunciare, an quis eam rem ſibi velit vindicare. Atq; iſthoc officium præponderat contractibus particularibus, iisque exceptionem dat. v. g. Si fur apud me inſcium furti rem furtivam depoſuerit, & poſt verus ejusdem dominus adparuerit, huic, non furi, eadem erit reſtituenda.

Obſerv. 314.

Quando res aliena) Hæc ſatis plana ſunt, ac obligationis ad rem reddendam, tum *initium*, tum *efficacia*, ſpeciatim adſtruitur *add. l. 4. c. 13. §. 2. 3. 4. 5.* in quo ultimo tamen, parum accurate, obligatio ad rem domino reſtituendam, ex conventione hominum univerſali repetitur, eique inde prærogativa præ obligationibus ſpecialibus, aſſeritur, nam ejusmodi conventiones univerſales gratis finguntur, earumque etiam adſtruendarum nulla omnino adeſt neceſſitas, introducto enim dominio, merum jus naturæ, cæteros homines, intuitu novi hujus objecti, obligat, ut conventionem aliquam quoad eos comminiſci, plane ſupervacaneum ſit.

§. 3. 3. *Quod ſi autem res aliena, bona fide*

de parta, sit consumta, officii est tantum restituere domino, quantum facti sumus locupletiores: ne ex immerito alterius damno lucrum capiamus.

Observ. 315.

Quodsi autem res aliena) Hæc etiam assertio satis plana est, quamvis rarius forte ad liquidum deducatur, an & in quantum quis, ex re alienâ, sit locupletior factus. Quodsi autem dominus rei suæ justam æstimationem aliunde acceperit, tum bonæ fidei possessor non amplius rem alienam, sed propriam possidet, adeoque ad nihil denetur *vid. d. c. 13. §. 6.*

§. 4. Ex hisce porro sequentes conclusiones deducuntur. 1. Possessor bonæ fidei non tenetur ad ullam restitutionem, *si res periit*; quia nec res ipsa penes eum est, nec lucrum ex ea re.

Observ. 316.

Si res periit] Non tantum casu, sed & possessoris voluntate, nam nec rem habet, nec lucrum ex re, ceu Autor docet, nec sua voluntate alii nocuit, cum putaverit, sibi, velut domino, licere re propriâ abuti, hinc voluntas, in nullius læsionem directa, adhuc pro casu habenda est *add. d. c.* 13. §. 7.

§. 5. 2. Bonæ fidei possessor tenetur ad restituendum non solum rem, sed & *fructus adhuc extantes.* Naturaliter enim ad quem

pertinet res, ad eundem quoque fructus pertinent. Licebit tamen possessori detrahere omnes impensas in rem ejusque culturam, quo fructus provenirent, factas.

Observ. 317.

Bonæ fidei possessor tenetur) Hæc quoque doctrina manifestam habet rationem *add. c.* 13. §. 8. Interim cum bonæ fidei possessor, ad alterius instantiam, re abscedere non statim cogatur, cum petitoris jus illicò non sit liquidum, hinc, lite ad tempus protracta, intercedenteque consumtione, ac calculi, hic ineundi, difficultate, iste juris naturalis rigor vix observari potest, sed ut plurimum eo nomine transigitur.

§. 6. 3. B. f. possessor tenetur ad restitutionem rei & fructuum *consumtorum*; si modo alias tantundem consumturus fuerat, & possit rei evictæ pretium ab autore suo recuperare. Nam in hoc factus est locupletior, dum rem alienam consumendo suæ pepercit.

Observ. 318.

B. f. possessor tenetur) Ratione fructuum consumtorum teneri b. f. possessorem, si sit locupletior factus, recte dicitur, habet enim rem alienam, cujus retinendæ jus, ex nullo fundamento idoneo ei asseri potest *add. d. c.* 13. §. 9. nec alia est Juris Romani sententia, licet vulgo aliter sentiant. Applicationem tamen hujus

juris

juris in vita civili esse rariorem, per ea quæ paulo ante dixi, omnino arbitror.

Observ. 319.

Si modo alias tantundem consumturus fuerat) His verbis non tam limitatio, ceu Autor putat, quam potius specialis casus, quo quis locupletior factus, innuitur; nimirum si quis ex rationibus suis œconomicis, certam quantitatem consumturus, eam ex fructibus rei elienæ sumserit, atque ita rei suæ pepercerit, is eo ipso, dum suam, alias consumendam, servavit, factus est locupletior. De cætero ad hunc casum obligatio possessoris non est præcisè restringenda, cum nihil referat, utrum alienam consumendo & suam servando, an vice versa, lucrum consecutus sit.

Observ. 320.

Et possit rei evictæ pretium ab autore suo recuperare) Hæc limitatio non est necessaria, nam licet pretium ab autore non possit recupare possessor, attamen lucrum quod ex re aliena habet, reddere tenetur, cum damnum quod sentit, cessante pretii restitutione, non domino rem vindicanti, sed autori & suæ imprudentiæ imputare debeat.

§. 7. 4. B. f. possessor non tenetur pensare fructus, quos *neglexit*. Quia nec rem habet, nec quidquam rei successit.

Observ. 321.

B. f. possessor non tenetur) De fructibus percipiendis,

dis, bonæ fidei possessorem non teneri recte dicitur, ob rationem quam *Observ.* 316. dedimus *add. l. 4. c.* 13. §. 10.

§ 8. 5. Si b. f. possessor rem alienam sibi donatam alii *donaverit*, non tenetur; nisi omnino ex officio aliquo tantundem donaturus fuerat. Tunc enim lucrum erit rei suæ pepercisse.

Observ. 322.

Nisi omnino ex officio) Vix hæc doctrina in vita civili usum habebit, nisi forte solennis fuerit donatio, quam ex more regionis, vel aliis rationibus politicis facere debebamus, nam hoc casu ostendi potest, quod donans rei suæ parcendo, lucrum fecerit. Videndum tamen etiam fuerit, annon dominus rem suam ab ultimo donatario recuperare queat, hoc enim posito, intermedius ad nihil tenebitur *add. d. c.* 13. §. 11.

§. 9. 6. Si b. f. possessor rem alienam oneroso titulo partam quocunque modo *alienaverit*, non tenetur, nisi quatenus ex ea lucrum fecit.

Observ. 323.

Nisi quatenus ex ea lucrum fecit) Ante omnia videndum, annon dominus ab ultimo possessore queat rem recuperare, hoc enim posito, alienans domino ad nihil tenebitur, sed alteri, cui res evicta, evictionem præstare debebit, siquidem titulo oneroso illa in hunc translata sit.

Si

Si vero dominus ab ultimo possessore rem recipere nequeat, tum alienans teneri videtur, in quantum locupletior factus *add. d. c.* 13. §. 12. quamvis ab illa obligatione etiam absolvi forte possit, cum lucrum non tam ex re, quam negotiatione prudenter peracta, perceptum videatur *vid. l.* 21. *ff. de hered. & action. vend.*

§. 10. 7. B. f. possessor etiam *oneroso partam titulo* rem alienam tenetur restituere, neque dominum id, quod erogavit, reposcere potest, sed illum duntaxat, abs quo eam rem accedit. Nisi quatenus dominus rei suæ possessionem recipere sine aliquo impendio probabiliter non potuit, aut μήνυτρον ultro pollicitus fuerit.

Observ. 324.

Neque dominum id, quod erogavit, reposcere potest) Hic enim est effectus dominii, quod rem tuam â quovis, sine refusione pretii, vindicare queas, si vero possessor pretium ab autore suo recuperare nequeat, tum damnum quidem sentit, sed dominus vindicans hoc ei non infert, verum propria ejus imprudentia *add. d. c.* 13. §. 13.

Observ. 325.

Nisi quatenus dominus) Sed hæc exceptio proprie non est de regulâ, nam dominus ita non restituit pretium rei, sed impensarum saltem, quas ipse probabiliter facere debuisset, has enim dum possessor fecit, merito illas dominium reposcit.

§. 11. Qui rem alienam *invenit*, quam domino invito excidiſſe probabile ſit, non poteſt eam colligere hoc animo, ut eandem domino requirenti ſubtrahat. Ubi autem dominus non ad paret, recte eandem ſibi retinere poteſt.

Obſerv. 326.

Qui rem alienam invenit) Doctrinæ hujus rationes ſat manifeſtæ ſunt *conf. d. c.* 13. §. 15. Poteſt etiam emtor, recepto pretio, rem venditori reſtituere, ad declinandam litis moleſtiam *d. c.* 13. §. 14. quemadmodum, ut hoc obiter adjiciamus, is, qui rem ei dedit, cujus ſolius turpitudo ſuberat, eam recte repetit naturaliter, conſenſus enim non fuit liber, ſed dolo vel vi alterius elicitus, quamvis aliter Grotio & Autori viedeatur *d. c.* 13. §. 16.

CAPUT XIV.

DE PRETIO.

§. I.

POſt introducta rerum dominia cum nec omnes res ejuſdem eſſent naturæ, nec eundem uſum humanis neceſſitatibus præberent, nec cuivis iſta rerum copia adeſſet, quam ad uſus ſuos deſideraret, mature in-

inter homines receptum, res invicem *permutare.* Sed quia sæpissime contingeret, ut res disparis naturæ aut usus essent transferendæ, ne alteruter ejusmodi permutatione læderetur, necessum erat conventione hominum rebus assignari aliquam quantitatem, juxta quã res invicem comparari, ex æquarique possent. Quod itidem contigit circa actiones, quas in aliorum usum non gratis adplicare placuit. Ea quantitas nomine *pretii* venire solet.

Observ. 327.

Post introducta rerum dominia) Si homines eximia charitate se mutuo prosequerentur, ac operas suas in aliorum commodum libenter & bona fide dispensarent, tum nulla inter eos rerum propriarum foret cura, sed omnia omnibus essent communia, ceu Grotius *de J. B. P. l.* 2. *c.* 2. §. 2. jam recte, licet ex falso præsupposito, agnovit, cujus doctrinæ pretium, imputata Ei, ab Autore nostro *l.* 4. *c.* 4. §. 9. communionis *positivæ* & *negativæ* confusio, haut imminuit. Ast in tanta humani generis corruptione, ac habendi dominandique libidine & studio, quemvis de rebus propriis oportuit esse solicitum. Post introducta autem rerum dominia cœpisse commercia, ultrò liquet & hic recte admonetur.

2. Tum verò (1) *homines & res, commerciis aptæ esse debuerunt*, quæ aptitudo etiam nomine *commercii* venire solet, ac nihil aliud est, *quam jus*

aliquod indeterminatum, ob quod quis res, cum juribus eò pertinentibus, acquirere potest. Homines *commercium habere*, res in *commercio esse* dicuntur, illi sunt *subjectum*, hæ *objectum*, id quod in omnibus juribus ita esse solet. De cætero facile liquet, quod commercium ex ipsa velut humanitate, ac libertate naturali, tamdiu præsumatur, donec per legem civilem ademtum probetur.

Observ. 328.

Sed quia sæpissime contingeret) Deinde etiam (2) *rerum permutandarum habitum exquirere, earumque æqualitatem vel inæqualitatem magis determinare debuerunt*, si exortum est *pretium*, quod est *quantitas moralis, rebus & actionibus, in commercium venientibus, juxta naturalem earum habitum, consensu hominum imposita, juxta quam eædem inter se conferri, ac æquales vel inæquales haberi, atque ita, sine læsione, in contractus deduci possunt §. 1. h. add. l. 5. c. 1. §. 2.* Dicitur *quantitas moralis*, quia rerum æqualitas, vel inæqualitas, hic non æstimatur ex habitu physico in se spectato, sed quatenus per illum, res usum vitæ civili præstare possunt, quo sensu etiam, habitus illius physici, in definitione mentionem fecimus.

§. 2. Dividitur pretium in *vulgare* & *eminens*. Illud spectatur in rebus, & actionibus seu operis in commercium venientibus, quatenus usum aliquem & delectationem homini-

nibus afferunt. Hoc autem cernitur in *numo*, qvatenus is omnium rerum & operarum pretium virtualiter continere, & communem iisdem menſuram præbere intelligitur.

Obſerv. 329.

Dividitur pretium) Meritò hic præmittenda eſt diviſio pretii in *virtuale*, quod rebus ex naturali ſuo habitu ineſt, etiamſi ab omni impoſitione humana abſtrahamus, & *formale*, quod hominum voluntas determinat, & debebat quidem illa determinatio virtuale pretium ſemper ſequi, ſed nonnunquam aliter ſe res habet.

Obſerv. 330.

In vulgare & eminens) Eſt ſubdiviſio pretii formalis, & differunt ſaltem duæ illæ ſpecies *objecto*, ſed quoad *fundamentum*, *modum imponendi* & *formam*, nulla eſt differentia. Separatio autem ideo fieri ſolet, quia ad pretium nummi cæterarum rerum pretia exiguntur, & id omnium rerum pretiis æquale fieri poteſt.

§. 3. Vulgaris pretii *fundamentum* in ſe eſt aptitudo illa rei vel operæ,qua aliquid mediate aut immediate conferre poteſt ad vitæ humanæ neceſſitates, & ad eandem commodiorem aut jucundiorem reddendam. Unde & res nullum plane uſum præbentes nullius pretii ſolemus vocare. Dantur tamen res quædam, vitæ humanæ utiliſſimæ,quibus nullum

lum certum pretium impoſitum intelligitur; vel quia dominio ſunt & debent eſſe vacuæ, vel quia ad permutationem ſunt ineptæ, & inde à commerciis ſepoſitæ, vel quia in commerciis nunquam aliter quam appendix alterius rei conſiderantur. Sed & dum lex divina aut humana quasdam actiones extra commercium removit, ſeu pro mercede obire vetuit, pretium quoque iisdem detraxiſſe intelligitur. Sic quia ſuperiores partes aëris, æther, ac cœleſtia corpora, vaſtusque oceanus à dominio humano ſunt exemta, nullum quoque pretium iisdem tribui poteſt. Sic liberi capitis nullum eſt pretium, quia liberi homines in commercium non veniunt. Sic apricum ſolis lumen, liquidus & purus aër, amæna facies terræ, quatenus oculos duntaxat paſcit, ventus, umbra, & ſimilia, in ſe & ſeorſim conſiderata, pretium non habent; cum homines talibus ſine uſu terræ frui nequeant. Quibus ipſis tamen magnum momentum ineſt circa augendum aut minuendum pretium regionum, fundorum, atque prædiorum. Sic illicitum eſt pretio addicere actiones ſacras, quibus effectus aliquis moralis ex inſtituto divino eſt aſſignatus; quod crimen ſimoniam vocant. Et improbe juſtitiam venalem habet judex.

Obſerv.

Observ. 331.

Vulgaris pretii fundamentum) Circa pretium vulgare tria spectari possunt (1) *fundamentum*, ob quod (2) *res*, quibus, & [3] *ipsa impositio*, qua pretium imponitur Fundamentum Autor esse putat, *aptitudinem præstandi usum add. l. 5. c.* 1. §. 4. sed cur aqua pretium non habet, quæ tamen est utilissima? facile igitur liquet, aptitudinem illam, non esse unicam pretii imponendi causam. Mihi sententia, quam in *Observ.* ad Laut. Comp. Jur. *Observ. 503.* jam proposui, adhuc placet, nempe duas esse causas, ut *res sit apta præstandum usum*, & tamen *omnibus non sufficiat, adeoque suo modo rara sit*, ex quo rei habitu, oritur pretium virtuale, quod impositio humana merito sequitur.

Observ. 332.

Dantur tamen res quædam) Objectum pretii imponendi sunt *res & actiones in commercium venientes*, hinc eæ, quas vel natura, vel lex â commerciis removit, pretio carent §. *3. h. add. d. l.* 5. *c.* 1. §. 5. Quo loco tamen duo notanda (1) quasdam actiones certo saltem respectu pretium non habere, sic administratio justitiæ, salario utique æstimatur, sed à partibus accipere pecuniam, judici fas non est, nisi quatenus lex permittit (2) nonnullas res, verbis inæstimabiles pronunciari, sed reipsa vilissimè sæpe æstimari, quorsum referas literas similesve artes.

§. 4. Causæ autem cur unius & ejusdem

rei

rei pretium *intendatur vel remittatur*, quodq; adeo una res alteri præferatur, licet hæc æqvalem aut majorem usum in vita humana videatur obtinere, sunt variæ. Heic enim usque adeo necessitas rei aut nobilitas usus primas semper non tenent; ut potius vilissima esse cernamus, qvibus vita humana minime carere potest: ideo quod non sine singulari Dei providentia uberem eorum proventum natura profundat. Ad *intensionem* igitur pretii inprimis facit raritas; qvæ non parum commendatur, ubi ex locis remotis res afferuntur. Inde ambitiosa hominum luxuria multis rebus, queis vita humana commodissime carere poterat, enormia pretia posuit; puta unionibus & gemmis. Rerum vero quotidiani usus pretia potissimum intenduntur, quando raritas earundom conjungitur cum necessitate seu indigentia. Pretia rerum artificialium præter raritatem maxime solent intendere subtilitas & elegantia artis, quam præ se ferunt, quandoque & fama artificis, nec non operis difficultas, artificum & operariorum raritas, & similia. Operarum & actionum pretia intendit earundem difficultas, dexteritas, utilitas, necessitas; agentium raritas, dignitas, libertas; & denique ipsa artis opinio, nobilis an ignobilis illa habeatur. Contraria

traria horum pretium *minuere* ſolent. Aliquando denique certa aliqua res non in univerſum, ſed à ſingulis magni æſtimatur ex peculiari affectu; puta quod ille, à quo iſta in nos profecta eſt, maximi à nobis fiat, exprimendoque ipſius affectui data ſit: aut quod eidem adſueverimus, aut quia inſignis caſus ſit monumentum, aut ejusdem ope magnum malum declinaverimus, aut quia à nobis metipſis confecta ſit. Quod ſolet vocari *pretium affectionis.*

Obſerv. 333.

Cauſæ autem cur unius) Sicut Autor fundamentum pretii *imponendi* non recte explicavit, ita *h.* & *l.5. c.1. §. 6. 7.* fruſtra, peculiaria fundamenta pretii *intendendi* & *remittendi* laudat, nam licet ſola aptitudo præſtandi uſum, pretia non intendat, quod Autor urget, attamen ab *aptitudine illa,* & *rerum inſufficientia ac hinc orta raritate*, omnis pretii intenſio & remiſſio dependet, nam ſicut illa fundamenta habent ſuos gradus, ita, pro horum diverſitate, pretia quoque creſcunt, vel minuuntur.

Obſerv. 334.

Ad intenſionem igitur pretii] Cum Autor ſine certis principiis hic philoſophetur, hinc doctrina fluctuat, jam enim cauſas pretii intendendi & minuendi indæquate adducit, jam fortuitò velut veram ſententiam proponit, jam eandem cauſam ſibi ipſi opponit, adeoque entia præter neceſſitatem multiplicat. *Obſerv.*

Observ. 335.

Inprimis facit raritas) Sed non *sola* verum si *usus* concurrat, qui sane in unionibus & gemmis etiam est, neque enim de usu rerum, præcise juxta veritatem, sed potius hominum affectum, imo stultitiam, judicandum est. Alias, si rem maximè raram, ex locis remotissimis afferas, ea tamen nullum habeat usum, pretio quoque illa carebit.

Observ. 336.

Rerum verò quotidiani usus) In hoc exemplo Autor genuina fundamenta agnoscit, laudat enim *raritatem* & *usum*. Cumque hic usus sit necessarius, nec â vana hominum opinione dependeat, hinc concurrente raritate, harum rerum pretium maxime intenditur, illæque omnes alias res, æstimatione superant, sic, imminente famis periculo, gemmam pretiosissimam, pro frustro panis commutabis.

Observ. 337.

Pretia rerum artificialium) In hoc exemplo uti *usus* omittitur, ita *raritas*, artis subtilitati & elegantiæ, nec non operis difficultati, non recte opponitur, nam uti hæc rei habitum naturalem indicant, ita raritatem quoque innuunt, quamvis simul usum connotent, atque ita utrumque fundamentum exhibeant.

Observ. 338.

Aliquando denique certa aliqua res) Etiam hoc casu *raritas* & *usus* pretium efficiunt, nam res aliqua, cum certis circumstantiis considerata, uti-

utique rara est, præterea insignem usum apud eum habet, cui res illa grata est.

§. 5. Ast circa *definienda singularum rerum pretia* alia quoque considerari sueverunt. Et inter eos quidem, qui in naturali libertate invicem vivunt, rerum singularium pretia non aliter, quam contrahentium conventione definiuntur. Quippe cum illis liberum sit alienare aut adquirere, quæ velint; nec communem habeant dominum, qui eorum commercia moderetur. Ast in civitatibus duplici modo pretia rerum definiuntur; uno per decretum superioris aut per legem: altero per communem hominum æstimationem atq; judicium, seu usum fori, accedente consensu eorum, qui inter se contrahunt. Illud pretium aliqui solet vocare *legitimum*, hoc *vulgare*. Ubi pretium legitimum in gratiam emtorum fuit constitutum, quod frequentius fit, non licebit venditoribus plus exigere; etsi minus accipere, si velint, non prohibeantur. Sic ubi merces operarum publice sit taxata in gratiam eorum, qui conducunt, operario non licet plus exigere, etsi idem non prohibeatur minus accipere.

Observ. 339.

Ast circa definienda singularum rerum pretia, alia quoque considerari sueverunt) Nihil aliud, quam *ipsa impositio*, quam tertio loco considerandam

esse *Observ. 331.* diximus, nam alias in pretiis rerum, tam in genere, quam in specie determinandis, nihil aliud, quam duo illa fundamenta, antea laudata, considerantur. De cætero debebat impositio merito fieri juxta usum verum, necessarium, licitum ac honestum, sed uti hominibus non semper, secundum merita & virtutes, existimatio tribuitur, sed sæpe mortalium improbissimi maximis fruuntur honoribus; ita etiam rebus vanis & honestis non raro ingens pretium adscribitur.

Observ. 340.

Et inter eos quidem) Duplex hæc imponendi ratio, â libertate & imperio civili dependet, quod facile intelligitur *add. l. 5. c. 1. §. 8.* quando enim communis Imperans non adest, tum arbitrio contrahentium omnia determinanda sunt, illo autem existente, libertas tamen naturalis non penitus cessare solet, hinc duplex determinandi ratio existit.

Observ. 341.

Illud pretium aliqui solent vocare) Sed doctrina erit magis perspicua, si alterum dicas *legitimum* seu *legale*, alterum *pactitium* seu *conventionale*, cum vulgare pretium, jam alio sensu occurrerit, adeoque in illo termino ambiguitas sit, quodsi tamen hanc notes, poteris etiam eodem, prout visum fuerit, uti.

Observ. 342.

Ubi pretium legitimum) Tam Imperans quam paciscentes, in definiendo pretio, ad fundamenta

ta antea laudata, ſeu pretium virtuale, reſpicere quidem debent, ſed ille definitione ſua, communem & conſtantem normam efficere poteſt, quod his negatum, hinc pretium legale & conventionale differunt (1) ratione *certitudinis*, illud enim in puncto velut conſiſtit, adeoque minimus exceſſus invitum lædit §. 5. *h. add. l.* 5. *c.* 1. §. 8. ſed hoc aliquam habet latitudinem (2) *durationis*, illud eſt conſtans, nec ad momentaneam pretii virtualis variationem, mutari ſtatim ſolet, hoc verò eſt inconſtans, ac variationem illam perpetuò ſequitur, adeo ut, juxta dies, imo horas, diverſa rerum pretia nonnunquam eſſe ſoleant.

§. 6. Enimvero vulgare pretium, quod per leges non eſt taxatum, habet aliquam latitudinem, intra quam plus minusvè dari & accipi poteſt ac ſolet, prout inter contrahentes fuit conventum. Quod tamen fere ſequitur uſum fori. Ubi ſolet haberi ratio laborum & expenſarum, quas mercatores communiter faciunt in mercibus adportandis & tractandis; nec non quo modo ematur aut vendatur, in magna quantitate, an minutatim. Subito quoque interdum mutatur commune pretium ex copia aut paucitate ementium, pecuniæ aut mercium. Nam paucitas ementium & pecuniæ, (ex peculiari cauſa emergens) & mercium abundan-

tia pretium minuit. Contra emturientium & pecuniæ copia, & mercium raritas pretium intendit. Sic & ad minuendum pretium facit, si merx quærat emtorem. Contra intenditur pretium, ubi venditor ultro rogatur, alias non venditurus. Denique & illud solet attendi, paratam quis pecuniam offerat, an in diem solutionem differat; *cum etiam* dies sit pars pretii.

Observ. 343.

Enimvero vulgare pretium) Jam diximus, quod vulgare pretium aliquam habeat latitudinem, cum enim accuratè rerum pretia determinari non possint, nec paciscens in alium habeat imperium, hinc facile fieri potest, ut secuta determinatio â præcedente abeat; Interim illa laxitas non est nimis extendenda, nam si â pretio rerum virtuali nimis discessum fuerit, tum læsionem subesse, meritò dixeris *add. d. l. 5. c. 1. §. 9.*

Observ. 344.

Ubi solet haberi ratio laborum) In determinando rerum singularum pretio, nihil aliud respicitur, quam *usus* & *raritas*, quo etiam in effectu hæc doctrina collimat, hoc saltem notandum, quod nonnunquam non unius, sed plurium rerum pretium simul constituatur, sic mercator non tantum mercem, sed & operas ac impensas æstimat, quarum omnium tamen pretium, ex usu & raritate est *add. d. c. 1. §. 10.*

Observ.

Observ. 345.

Subito quoqve interdum) Mutatio pretii conventionalis ſubitanea, ex iisdem cauſis dependet, prout enim mercium magna eſt raritas vel abundantia, aut iis indigemus, utilitatemque inde ſperamus, vel non, ita earum pretia creſcunt vel minuuntur *add. d. c. 1. §. 10.* Pretia verò legalia, ceu modo diximus, tam ſubito mutari non ſolent, licet aliqua in rebus quoad raritatem & uſum accidat mutatio, neque enim definitionem legalem tam crebro mutare par eſt, maximè cum circumſtantiæ nunc mutatæ, mox fortaſſis ad priſtinum ſtatum ſint rediturae. Quodſi tamen mutatio illa ſit conſtantior, aut creſcentibus aliarum rerum pretiis, per indirectum certæ alicujus rei vel operæ æſtimatio quoque augeatur, tum, pretium legale mutari, æquitas jubet. Sic quando eorum, quæ ad victum & amictum pertinent, vile eſt pretium, operæ quoque mercenariorum modico pretio taxantur, ſed illorum pretio creſcente, harum etiam pretium augeri par eſt, cum operarii res ad victum neceſſarias carius emere debeant, adeoque earum æſtimatio, ipſas operas, deinceps præſtandas, ingrediatur. Sed illa procedunt, ſi operarum aliquis uſus eſſe putetur, nec magna hominum, eas præſtantium, ſit copia, nam alias æſtimatio non augebitur, ſic munera ſalariis, in ſumma rerum vilitate conſtitutis, hodie quoque plerumque æſtimari ſolent.

§. 7. Cæterum poſtquam à primæva ſimplicitate mortales deſciverunt, & varia quæſtus genera introduxerunt; facile fuit deprehenſum, ſolum illud vulgare pretium non ſufficere expediendis hominum negotiis, & gliſcentibus commerciis. Nam tunc ſola permutatione commercia conſtabant, & operæ aliorum locari aliter, quam mutua opera, aut re tradita non poterant. Atqui poſtquam tam varia deſiderare ad commoditatem aut voluptatem cœpimus, non ſane in proclivi fuerat cuivis ejusmodi res poſſidere, quas alter ſuis mutare vellet, aut quæ alterius rebus æquivalerent. Et in civitatibus cultis, ubi cives variis ſtatibus diſtinguuntur, complura hominum genera dari neceſſum eſt, quæ, ſi ſimplex illa rerum & operarum permutatio vigeat, vitam plane non tueri, aut ægre queant. Hinc plerisque gentibus, queis amplior vitæ cultus arridebat, viſum fuit conventione quadam *pretium eminens* certæ rei imponere, ad quod cæterarum rerum pretia vulgaria exigerentur, & in quo eadem virtualiter continerentur. Adeo ut interveniente illa re quamlibet rem venalem quis ſibi comparare, & quævis commercia, & contractus commode poſſet exercere.

Observ. 346.

Cæterum postquam) Ad commercia expedienda introducendum fuit pretium eminens §.7. *h.add. l.5. c.1.§. 11. 12.* Clarius diceres; certam aliquam rem ita fuisse præparandam, ut ejus pretium, omnium rerum, maximarum & minimarum, pretiis æquale fieri posset, hujus autem rei, ita præparatæ pretium, deinde à Scriptoribus *Eminens* esse dictum, ob rationes forte, quas *Observ.340.* retuli, nam alias non apparet, quid impositio pretii eminentis, in se spectata, ad commercia promovenda conferre potuerit.

Observ. 347.

Visum fuit conventione quadam) Hæc conventio ambigua est, imo plane falsa, si eo sensu accipiatur, quod vel plures Gentes inter se, eo nomine convenerint, vel in una Gente & Republica, generalis conventio intercesserit. Nummi potius pretium formale, ab impositione Imperantis, & conventionibus paciscentium singularibus, dependet.

§. 8. Hunc ad finem plerisque gentibus placuit adhibere *metalla* nobiliora, & non admodum frequentia. Nam & illa substantiæ sunt valde compactæ, sic ut usu non facile deteri queant, & divisionem in plurimas minutas particulas admittant. Nec minus custodiæ & tractationi eadem sunt habilia; & propter raritatem multis aliis rebus æquivale-

re poſſunt. Etſi quandoque ex neceſſitate, & apud quasdam gentes ex defectu metallorum, aliæ res in vicem numorum ſint adhibitæ.

Obſerv. 348.

Hunc ad finem) Qualia autem requiſita habere debeat res, in uſum commerciorum præparanda, ex fine facilè liquet. Intendimus hoc, ut res *illa omnium rerum pretiis, æqualis fieri queat.* Ergo debet (1) habere pretium virtuale (2) ſubſtantiæ valde compactæ, quo durare poſſit (3) diviſioni & (4) tractationi cuſtodiæque habilis eſſe. Quæ requiſita in metallis nobilioribus reperiuntur, hinc â Gentibus ad hunc uſum meritò ſunt adhibita *add. d. l. 5. c. 1. §. 13.*

Obſerv. 349.

Etſi quandoque) Quod ſi rebus, virtuali pretio deſtitutis, eminens pretium imponatur *vid. d. c. 1. §. 13. 14.* tum, quia valor unice ab impoſitione dependet, juſtitia exigit, ne pretium antea tollatur, quam aliis rebus virtuali pretio gaudentibus, illæ redemtæ ſint, hinc liquet, in iis ſaltem civitatibus, iſtum modum ſecure adhiberi poſſe, in quibus fides publica, integra, non ſuſpecta & græca eſt.

§. 9. In civitatibus porro *valorem numi definire* eſt penes ſummos imperantes; & inde publica ſigna iisdem ſolent imprimi. Eſt tamen in eo definiendo reſpicienda communis

nis gentium vicinarum, aut quibuscum nobis commercia exercentur, æſtimatio. Alias enim, ſi nimis magnum numis ſuis valorem poſuerit civitas, aut ſi materiam eorum rite non temperaverit, commercia civium ſuorum cum extraneis, quæ quidem ſola rerum permutatione abſolvi non poſſunt, valde ſufflaminabit. Et ob eam ipſam cauſam non temere in valore numorum fieri debet mutatio, niſi ſumma reip. neceſſitas id exigat. Etſi gliſcente auri argentique copia paulatim numorum valor in comparatione ad pretium fundorum, & quæ inde dependent, ſoleat vel ut ultro decreſcere.

Obſerv. 350.

In civitatibus porro) Cum valor nummi, ſecundum virtuale metallorum pretium, quod, in ordine ad alias res, hæ, habent, imponi debeat, hinc fide publicâ opus eſt, quâ de nummorum quantitate, homines certi reddantur, hinc facilè liquet, curam monetæ cudendæ, ad Rempublicam & Imperantem pertinere, qui adeo vel juxta certum pondus, vel certas partes formatas, valorem imponit *vid. d. c. 1. §. 13. in fin.* Quodſi fides illa publica vacillet, tum Rempublicam morbidam agnoſcere debemus.

Obſerv. 351.

Eſt tamen in eo definiendo) In imponendo valore,

 ad

ad pretium metallorum virtuale respiciendum esse, recte hic dicitur *add. d. c.* 1. §. 14. quodsi tamen pecuniæ nimis magnus valor tribuatur, aut ejus materia non ritè temperetur, aliis non nocetur, si illa impositio aperte & universaliter fiat, tum enim cæterarum rerum pretium crescit, si vero tale quid particulariter, subdolè & clam fiat, tum subditi non sentientes, opibus emunguntur, cum exteris verò, rerum suarum satagentibus, & inquitati illi sese haut submittentibus, commercia sufflaminantur.

Observ. 352.

Et ob eam ipsam causam) De mutatione monetæ, ex præcedentibus judicandum, si illa aperte & universaliter fiat, ac unicuique relinquatur libertas, res vel operas suas æstimandi, tum est innoxia, ast si eo fine suscipiatur, ut viliori monetâ debita exsolvantur, aut non attendentibus vel invitis res auferantur, tum imposturam subesse, facilè intelligitur. Quodsi prava moneta irrepserit, tum & ei, sine iniquitate, valorem non posse abjudicari, sed eam potius justo pretio, â Civitate redimi debere, palam est *add. l. 5. c.* 1. §. 14.

Observ. 353.

Etsi gliscente auri) Quemadmodum aliarum rerum pretia, pro ratione raritatis & usus, mutantur, ita idem accidit pecuniæ, hic non tantum ejus valor decrescit, si major copia existat,

ſtat, ſed & ſi aliarum rerum uſus augeatur, vel raritas eveniat *add. d. c. 1. §. 15. 16.*

2. Officia circa pretii impoſitionem, non alia ſunt, quam quæ circa contractus occurrunt. Exigit ſcilicet lex naturalis, ne erga proximum inhumani ſimus, aut, quod gravius eſt, illum poſitivè lædamus, hinc hæ regulæ ferè obſervandæ (1) rebus, quibus alii indigent nimis magnum pretium haut eſt ſtatuendum (2) materiæ quantitas & qualitas, cujus intuitu illa pretium habet, non eſt mutanda (3) rerum quotidiani uſus raritas, coëmendo aut retinendo, non debet effici.

CAPUT XV.

DE

CONTRACTIBUS, QVI PRETIA RERUM PRÆSUPPONUNT, ET FLUENTIBUS INDE OFFICIIS.

§. I.

P*Actum* in genere eſt conſenſus & conventio duorum pluriumvè in idem placitum. Sed quia frequenter ſimpli-

plicia *pacta contractibus* contradistinguuntur, id *discrimen* in hoc potissimum videtur consistere, quod *contractus* vocentur pacta, quæ circa res & actiones in commercium venientes versantur, adeoque dominia & pretia rerum præsupponunt. Sed quæ circa alia ineuntur conventiones, communi pactorum vocabulo insigniuntur. Etsi ex hisce quibusdam promiscue pactorum & contractuum nomen tribuatur.

Observ. 354.

Pactum in genere est) Juxta jus Romanum, *Pactum* & *Contractus*, differunt ut *Genus* & *Species*, Romanis enim, negotia obligatoria, varie à *forma* distinguere, visum est. Nimirum Pactum est vel *Nudum*, vel *Non nudum*. Illud est vel *tale in specie*, vel *adjectum* ac *legitimum*. Hoc, uno nomine, dicitur *Contractus*, qui in *verum* & *Quasi contractum* discernitur, ille est vel *innominatus* vel *nominatus*, sub quo *realis*, *verbalis*, *literalis* & *consensualis*, vulgò comprehenditur.

2. Sed illa positiva, ac parum prudenter constituta sunt, artemque rabulariam sat apertè redolent. Mero jure naturali nulla est, inter pactum & contractum, differentia, sed pactum, contractus, conventio synonymice accipiuntur, nec opus est discrimine, quod Autor §. *1. h.* inculcat *add. l. 5. c. 2. §. 1. 2.* 3. 4. quin potius omnis distinguendi conatus, præjudicia ex Jure Romano hausta, arguere censendus est.

3. Id

3. Id etiam admonendum, quod jure naturali omnes contractus tantum *veri* & *consensuales* sint, nam *contractus fingere*, aut præter *consensum*, ad eorum essentiam, *rem verba* vel *literas* requirere, id omne iterum Romanum est, ac à simplicitate naturali abhorret.

§. 2. Contractus dividi possunt in *beneficos* & *onerosos*. Illi alteri contrahentium parti gratis commodum aliquod afferunt; uti est mandatum, commodatum, depositum. Hi utramque partem ad æquale onus adstringunt; quippe in quibus eo fine præstatur aut datur aliquid, ut tantundem recipiatur.

Observ. 355.

Contractus dividi possunt) In hac doctrina, divisiones juris Romani & Gentium, quas promiscue recenset Autor *d. l. 5. c.* 2. *§. 5. seqq.* merito distingui debeat. Ad posteriorem classem pertinent omnes divisiones, quæ oriuntur ex circumstantiis, omnibus Gentibus communibus, qualis est distinctio in beneficos & onerosos §. 2 *h.* aliæque, de quibus *Observ. 200.* jam dixi.

Observ. 356.

Uti est mandatum) In hunc censum etiam pertinet *donatio*, quam Autor, ob præjudicium ex jure Romano haustum, omisisse videtur *vid. Observ. 309.* De cætero doctrina Autoris, qua mandatum, commodatum & depositum conjun-

jungit, parum accurata videbitur iis, qui nil nisi jus Romanum edocti sunt, cum prior consensualis, duo posteriores vero, reales, eo jure audiant, sed huic censuræ jam occursum *Observ. 354. n. 3.*

§. 3. Habent autem hoc omnes contractus onerosi, ut in illis versari *æqualitas* debeat, seu ut uterque contrahentium tantundem nanciscatur: & ubi inæqualitas intervenerit, alteri, qui minus accepit, nascatur jus ad postulandum, ut suppleatur, quod sibi deest, aut ad contractum plane abrumpendum. Id quod tamen in civitatibus potissimum obtinet, ubi usu fori, aut lege pretia rerum definiuntur. Ad hanc autem æqualitatem inveniendam & determinandam requiritur, ut utrique contrahentium res ipsa, circa quam contrahitur, cum suis qualitatibus, quæ aliquod momentum heic habent, sint *cognitæ.* Unde &, qui per contractum rem in alterum est translaturus, indicare debet non solum qualitates rei æstimabiles, sed & earundem privationes & vitia. Citra hoc enim justum pretium constitui nequit. Etsi illas circumstantias, quæ per se rem non contingunt, indicare non sit necessum. Vitia autem utrinque jam nota non opus est indicari. Et qui sciens vitiosi quid comparat, habet, quod sibi imputet.

Observ.

Observ. 357.

Habent autem hoc omnes) In contractibus onerosis legem naturalem requirere æqualitatem, ac, eâ deficiente, læsionis emendationem, ex contrahentium intentione, facilè apparet, quamvis ob pretiorum incertitudinem & laxitatem læsio non semper doceri queat *add. l.5.c.3. §. 1.*

Observ. 358.

Ad hanc autem æqualitatem) Quo igitur æqualitas illa, quantum indoles vitæ civilis admittit, obtineatur, lex naturalis, rerum in contractus onerosos deducendarum, vitia & virtutes indicari jubet, quod enim vult finem, dubio procul etiam vult media, quod latius declaratur *d. l.5. c.3. §. 2. 3. 4. 5.*

§. 4. Eousque autem in hisce contractibus æqualitas est adhibenda, ut licet nihil dissimulatum sit; tamen si postea inæqualitas deprehendatur etiam citra culpam contrahentium, puta, quod vitium latebat, aut in pretio sit erratum, ea corrigenda sit, & demendum ei, qui plus habet, addendumque minus habenti. Etsi ad declinandam multitudinem litium leges civiles vix aliis quam enormibus læsionibus heic medeantur; de cætero quemque rerum suarum satagere jubeant.

Observ. 359.

Eousque autem in hisce) Læsio etiam involuntaria emendari in contractibus onerosis debet, si ex

ex poſtfacto appareat, nam niſi hoc fieret, alter nunc minimum, ſua voluntate alterum læderet, quod juri naturali itidem repugnat.

Obſerv. 360.

Etſi ad declinandam) Indoles quidem negotiorum humanorum haut permittit, ut pretia rerum, accuratâ & exacta penit9 proportione, conſtituantur, ac adeò omnis læſio excludatur, nec tamen ideo opus eſt determinatione poſitiva, qua læſio, quæ emendari debeat, definiatur, cum ob difficultatem probandi ultro læſus actionem ſæpe ſit omiſſurus, adeoque rectius, omnis illa res ejus arbitrio relinquatur. Imprimis vero illæ leges cenſuram merentur, quæ læſionem enormem, eamque in puncto velut conſiſtentem, requirunt, nec ob aliam læſis ſuccurri volunt, de quo aliqua dixi in *Obſervat.* ad Lauterb. Comp. Jur. *Obſerv. 541.* *add.* Op. Maj. *l. 5. c. 3.* §. *6. ſeqq.*

§. 5. *Contractus benefici* ſunt præcipue tres, mandatum, commodatum, & depoſitum. *Mandatum* eſt, quando quis gratis alterius negotia ipſo requirente & committente expedienda ſuſcipit, Idque contingit *duplici* ratione; vel ut præſcribatur ipſi modus rei expediendæ, vel ut is ejusdem judicio ac dexteritati relinquatur. In hoc contractu uti ſumma cum ſide & induſtria verſandum eſt; quippe cum nemo fere niſi amico, & de quo opti-

optime ſentit, mandet: ita contra mandatarius indemnis præſtari debet à ſumtibus in rem ſibi commiſſam factis; nec non à damnis, in quæ ex cauſa mandati incidit, & quæ proprie ex ipſa re mandata profluxerunt.

Obſerv. 361.

Contractus benefici) In ſingulis contractibus, ſummatim duo ſpectari poſſunt (1) *ipſe contractus*, in cujus explicatione, doctrina generalis de conſenſu, perſonis & materia habilibus, ex *cap. 9.* ſupponitur, poſtea verò cujusvis forma habituſque ſpecialis qui ex fine peculiari reſultat, expendi debet (2) *Officium circa illum occurrens*, quod ad §. *16.* delineabimus. De cætero cum ſingulorum contractuum explicatio, in Jurisprudentia particulari, prolixe inſtituatur, itaque hic breviſſimi erimus.

Obſerv. 362.

Mandatum eſt) Circa hujus conceptum *conf. l. 5. c. 4.* §. 1. *l. 3. c. 9.* §. *2.* Mandantis ac mandatarii officium eſt, fidem ſervare ac damnum datum reſarcire §. *5. h. add. d. l. 5. c. 4.* §. *2.* 3. *4. 5.* ad fortuitum tamen damnum, quod occaſione mandati, mandatarius accepit, reſarciendum, mandans non eſt obligatus, quia nec voluntarium eſt, nec invito accidit.

§. 6. *Commodatum* eſt, quo rei noſtræ uſum alicui gratis concedimus. In quo obſervandum, ut quis eandem rem ſolicite & ſumma cum diligentia ſervet, tractetque ne-

que ipſam ad alios uſus adhibeat, aut ulterius, quam commodans conceſſit: ac illæſam & prout accepta fuit, reſtituat, niſi quantum per ordinarium uſum eidem deceſſit. Quod ſi res ad certum tempus fuerit conceſſa, & interea dominus eadem valde indigere incipiat, ex caſu aliquo tempore commodationis factæ non præviſo, repetenti eadem citra tergiverſationem erit reſtituenda. Quod ſi autem res commodata caſu fortuito & improviſo citra omnem commodatarii culpam perierit, ejus æſtimatio non erit ſolvenda, ubi eadem apud dominum quoque peritura fuerat. Alias æqvum videtur commodatarium æſtimationem rei præſtare, quippe quam dominus amiſſurus non fuerat, ni adverſus alterum benignus fuiſſet. Vice verſa ſi quid utilium aut neceſſariarum impenſarum in rem commodatam factum ſit extra eas, quæ alias uſum rei regulariter comitantur, id à domino refundendum erit.

Obſerv. 363.

Commodatum eſt) Juxta ſimplicitatem naturalem, eſt *contractus conſenſualis de uſu rei gratis concedendo, ac re illæſa ſuo tempore reſtituenda.* Rei igitur præſtatio & reſtitutio, non ad contractus *perfectionem* ſed *executionem* pertinet, perinde ſicut ſe res habet in locatione, omnibusque

que contractibus, præstationes successivas desiderantib9. Romani negotium, quo quis de usu rei concedendo rogatur, dixere *pactum præparatorium*, postea in *ipsa rei datione*, formã commodati constituerunt, adeoque id *contractum realem* vocarunt, ex quo contumax præjudicium enatum est, cui Autor etiam indulget, quasi hæc sit nativa negotii hujus indoles, cum tamen iste habitus merè Romanus sit, & pactorum nudorum consectarium.

Observ. 364.

In quo observandum) Officium commodatarii ex jure naturali est, ut re bona fide utatur, illæsam restituat, ac damna voluntaria præstet, de casu autem fortuito non tenetur, nisi pactum vel delictum accesserit *add. l. 5. c.* 4. §. *6.*

Observ. 365.

Alias æquum videtur) Hæc limitatio nullâ æquitate commendatur, dicendum potius, commodatarium de casu fortuito non teneri, sive res apud dominum etiam perierit, sive non. Sane rationes, quæ *h.* & *d. c. 4.* §. *6.* afferuntur, contrarium non persuadent (1) *non apparere, cur dominus magis, quam alter infortunium præstare debeat*, nam id utique apparet, cum commodans sit dominus (2) *commodatraium præbuisse occasionem, ut infortunium res mea incurreret*, sed commodans quoque in eam consensit, cum sciret, aut certe ignorare non deberet, casus ejusmodi accidere posse (3) *dominum rem non fuisse amissurum, ni adversus alterum be-*

nignus fuisset, nulla ſubeſt iniquitas, quia domi-
nus in damnum conſenſit, & alias illa ratio retorqueri poteſt, durum eſſe, ſi commodatarius acceptum beneficium, tanto pretio redimere cogatur.

Obſerv. 366.

Vice verſa ſi quid) De officio commodantis, ex noſtra hypotheſi, paulo aliter philoſophandum, nimirum ille obligatur (1) ad rem in uſum gratuitum concedendam, quod vulgò omittunt, deinde (2) ad impenſas præſtandas & [3] damnum voluntarium reſarciendum.

§. 7. *Depoſitum* eſt, quo rem noſtram, aut ad nos quocunque modo ſpectantem alterius fidei committimus, ut eandem gratis cuſtodiat. In quo requiritur, ut res concredita diligenter cuſtodiatur, & quandocunque deponenti placuerit, reſtituatur; niſi ea reſtitutio domino aut aliis noxia ſit futura, eoque intuitu differenda ſit. Neque licebit re depoſita citra conſenſum domini uti, ſiquidem ea ullo modo per uſum fiat deterior, aut domini interſit, ne ea conſpiciatur. Ac ſi quis hoc auſus fuerit, quævis pericula, in quæ res ob uſum incidit, præſtabit. Sed nec licet rem depoſitam exuere illis vinculis aut receptaculis, quibus à deponente fuit incluſa. Cum autem valde turpe ſit, & fœdius furto depoſitum abnegare; tum id multo eſt turpius, ſi quis

quis inficiatus fuerit depositum miserabile, seu quod ob periculum incendii, ruinæ, tumultus deponitur. Vicissim à deponente sumtus in rem depositam facti sunt refundendi.

Observ. 367.

Depositum) Juxta philosophiam naturalem, est *contractus consensualis, de re in gratuitam custodiam accipienda, eademque, ad libitum deponentis, restituenda*, ubi repetenda ea, quæ diximus *Observ. 363.*

Observ. 368.

In quo requiritur) Officium depositarii est (1) ut rem in custodiam recipiat, aut saltem tempestive contractui renunciet, hoc enim ex natura negotii benefici fluere videtur *(2)* ut acceptam probe custodiat ac [3] damna voluntaria præstet.

Observ. 369.

Vicissim à deponente] In hoc nulla est obligatio antecedens ad contractum consummandum, quia hic ejus favorem unicè respicit, hinc tantum, eo consummato, de impensis & damno voluntario tenetur *add. l. 5. c. 4. §. 7.*

§. 8. Inter *contractus onerosos* antiquissimus fere, & quo ante inventum numum commercia expediebantur, est *permutatio*, qua utrinque res pro re æquivalente datur. Etsi & hodie post inventam pecuniam inter mercatores cumprimis usitatum sit genus per-

mutationis, quo non ſimpliciter res inter ſe comparantur, ſed prius pecunia taxantur, & deinde loco pecuniæ invicem traduntur. Diverſum tamen negotii genus à contractu permutationis eſt *reciproca donatio;* in qua, ut æqualitas obſervetur, neceſſum non eſt.

Obſerv. 370.

Eſt permutatio) Hæc eſt *contractus conſenſualis de re, pro alia æquivalente, habenda.* Traditio non pertinet ad *perfectionem* ſed *conſummationem*, ſæpe tamen ipſum conſenſum comitatur, adeoque pars negotii eſſe videtur, in quem ſenſum accipienda definitio Autoris *h. add. l 5. c. 5. §.* 1. Jus Romanum miram permutationis effecit naturam, â cujus adeò commentis, in doctrinâ juris naturalis, cavendum eſt.

2. Officia permutantium ſunt, ut res promiſſas præſtent ac damna voluntaria ſibi reſarciant. Inito autem contractu, res, ante traditionem, mutuo contrahentium ſunt periculo, hinc caſus fortuitus â neutra parte præſtatur.

§. 9. *Emptio venditio* eſt, qua pro pecunia rei alicujus dominium, aut eidem æquipollens jus adquiritur. Ejus ſimpliciſſimum genus eſt, ſi, ubi in pretium fuit conſenſum, emtor ſtatim pretium, venditor mercem offerat, tradatque. Frequenter tamen ita convenitur, ut merx quidem ſtatim tradatur, pretium autem poſt certum intervallum ſit ſolvendum.

vendum. Aliquando ſuper pretio quidem convenitur, ſed ut traditio rei ſeu mercis ad certum terminum debeat fieri. Ubi æquitati conveniens videtur, ut ante elapſum eum terminum res ſit periculo venditoris: ſed ſi poſt eum elapſum emtor in mora fuerit, quo minus eam ſibi tradi curarit, emtori deinceps res peribit. Solent & emtionis venditionis contractui varia pacta adjici: uti eſt *addictio in diem*, qua res ita venditur, ut liceat venditori meliorem conditionem, ab altero intra certum tempus oblatam, acceptare. Item *lex commiſſoria*, quando ita convenit, ut ſi ad certum diem pretium non ſolvatur, res ſit inemta. Item *retractus*, ſeu pactum de retrovendendo, quod vel ita concipitur, ut ſi pretium intra certum tempus, aut quandocunqve offeratur, emtor rem teneatur venditori reſtituere: vel ut ſi res offeratur, venditor pretium teneatur reſtituere; vel ut ſi emtor ultro ſit iterum venditurus, prior venditor ad emendum præ cæteris admittatur: quod etiam dicitur jus protimiſeos. Sic & frequens eſt, ut ex prædiis venditis aliquam ſibi particulã, aut certum ejus uſum *recipiat* venditor. Eſt quoq; emtionis genus, quod vocant *per averſionem*, quando multæ res diſparis pretii non ſigillatim æſtimatæ, ſed conjunctim & velut

confuſe taxatæ] emuntur. In eo modo venditionis, quæ vocatur *auctio*, res demum illi addicitur, qui ex pluribus licitantibus plurimum obtulerit. Eſt denique & genus emtionis, quo non certa res, ſed probabilis tantum *ſpes* emitur; cui aleæ quid eſt admixtum: ſic ut neque emtor, ſi ſpes fefellerit, neque venditor, ſi ea multum ſupra fuerit, queri debeat.

Obſerv. 371.

Emtio venditio) Eſt *contractus conſenſualis de re, cum dominio ſimilive jure, pro certo pretio, habenda.* Tratitio itidem non ad *perfectionem*, ſed *conſummationem* pertinet. De cætero vel ſtatim ſequitur, vel ad tempus, prout conventum fuerit, differtur, de quo Autor *h. add. l. 5. c. 5.* §. 2. 3.

Obſerv. 372.

Ubi æquitati conveniens videtur) Officia emtoris & venditoris eadem ſunt, quæ permutantium, quæ modo indicavimus *add. d. c. 5.* §. 5. Inito contractu, rei venditæ periculum caſuale, ante traditionem, eſt emtoris, nam vel ipſum dominium, vel ſaltem jus præſtantius habet, venditoris vero jus, quod ſupereſt, ſaltem precarium eſt, ab eoque, pro lubitu emtoris, avocari poteſt. Autor *h.* & *d. c. 5.* §. 3. quodammodo fluctuat, interim ejus doctrina, non de eo, quid natura contractus, ſed ſpecialia pacta exigant, accipienda videtur.

Obſerv.

Observ. 373.

Solent & emtionis venditionis contractui) Circa pacta emtioni adjici ſolita generaliter obſervandum, quod fidem datam lex naturalis ſervari jubeat. Specialius ſingula diducere, nimis longum foret, nec opus videtur, cum Jurisprudentia particularis, additis legum civilium decretis, diſtinctius illa perſequatur *add. l.* 5. *c.* 5. §. 4. 5.

Observ. 374.

Eſt quoque emtionis genus) Datur etiam multiplex emendi *modus*, ex quo variæ *ſpecies* reſultant. Emtio *per averſionem* ſeu *indefinita*, non tantum in multis rebus, ſed & in una re locum habet, ſi ſcilicet à menſurâ, ad quam aliàs illa vendi ſolebat, nos avertamus. Ei opponitur Emtio *definita*, quæ vel juxta certas res ſpeciales initur, vel menſura, numero, aut pondere aliquando determinatur.

Observ. 375.

In eo modo venditionis) Auctio, à conſueto emendi & vendendi modo, abire ſaltem videtur quoad *pretii determinationem*, quæ non ſpeciali tractatu, ſed per mutua licitantium certamina fieri debet, adeoque aliquid aleæ admixtum habet. Venditor igitur certamina illa, libera relinquere, minimè vero, artibus clanculariis, eadem intendere, aut res iterum ad ſe trahere, vel retinere, ex jure naturali tenetur, ſicut emtores, in perniciem venditoris, colludere eodem jure prohibentur, quæ o-

mnia legibus positivis, ad evitandas fraudes, certius definiri solent. Quoad *res venditas* nihil peculiare hic subesse videtur, hinc venditor de vitiis rerum, omninò tenebitur, nisi aliter conventum sit.

Observ. 376.

Est denique & genus emtionis) In emtione spei, quam vocant, Partes habent intentionem emendi, vendendi, donandi & donationem acceptandi, eventus autem ostendit, quod aliquando pura emtio venditio, aliquando donatio, aliquando negotium ex utraque mixtum, sit celebratum. Sicut porro in aliis conventionibus, ita hic etiam, quæstiones voluntatis, ex consuetis interpretandi principiis decidendæ, incidere solent *vid. l. 5. c. 5. §. 6. 7.*

§. 10. *Locatio conductio* est, qua pro mercede alicui usus rei, aut opera addicitur. In qua licet regulariter in antecessum de mercede soleat conveniri: tamen si quis citra definitam prius mercedem alteri operam aut usum suæ rei addixerit, censetur id expectare, quantum communis usus, aut conductoris æquitas tulerit. Circa hunc contractum observandum, si res locata plane perierit, ex eo tempore conductorem ad mercedem seu pensionem non amplius teneri. Quod si res locata certum ac definitum habeat usum; uti dominus eam præstare debet, quo ei usui

sit

ſit idonea: ita ſi illa detrimenti quid ceperit, conductor de penſione detrahit, quantum uſui rei deceſſerit. Sed ſi rei locatæ proventus ſit incertus, & aliqvid aleæ contineat, uti exuberans proventus conductoris lucro, ita malignus ejusdem damno eſt: nec ſtricto jure de penſione ob ſterilitatem quidquam detrahendum; præſertim cum unius anni ſterilitas alterius ubertate ſoleat penſari. Niſi caſus, qui proventum interceperint, rariores fuerint, & de qvorum alea in ſe ſuſcipienda conductor non cogitaſſe præſumitur. Hos enim ad penſionem minuendam aut remittendam valere utiqve æqvum eſt. Cæterum uti qvi rem aliqvam alteri locavit, præſtare tenetur, ut ipſa uſui ſit habilis, impenſasqve neceſſarias tolerare: ita conductor ad boni patrisfamilias modum eadem uti, & qvæ ipſius culpa perdita fuerunt, reſtituere debet. Et qvi opus faciendum conduxit, qvod ſua culpa corruptum eſt, itidem præſtar. Qvi momentaneam ſuam operam alicui locavit, ubi eam qvocunqve caſu præſtare impeditus fuerit, mercedem petere non poteſt. Sed qui continuam alicujus operam conduxit, ubi is morbo aut alio caſu per modicum tempus ad operam inutilis fuerit factus, inhumaniter ipſum vel plane ſua func-

ctione

ctione dejicit, vel de pensione qvid eidem detrahit.

Observ. 377.

Locatio conductio) Est *contractus consensualis de usu rei vel operæ, pro certa mercede habendo.* Traditio vel præstatio rei promissæ, ad *executionem* spectat, &, juxta indolem negotii, successivè fieri solet, qua in re Jus Romanum consentit. Est de cætero locatio vel rei, vel operæ, vel operis.

Observ. 378.

Circa hunc contractum observandum) Officia locatoris & conductoris confuse & inadæquate Autor recenset, breviter ita dicendum. In locatione Rei locator debet rem usui habilem præstare, impensas necessarias tolerare ac damnum voluntarium resarcire. *Operarum*, operas fideliter *exhibere*, alias ad interesse tenebitur. *Operis*, debet opus debito tempore perficere ac de damnis, ex ipsius culpa proventuris, respondere. Conductor autem in *quavis locatione* mercedem solvere tenetur, modo usum rei vel operæ acceperit, præterea in *locatione rei*, ad modum boni patrisfamilias, re uti, eandem finito tempore reddere, ac damna voluntaria resarcire debet, quæ omnia in Jurisprudentia particulari latius disputantur *add. l.5.c.6.*

*. 11. In contractu *mutui* datur alicui res fungibilis ea lege, ut is post intervallum idem genus

genus reddat in eadem qvantitate & qvalitate. Vocantur autem res, qvæ mutuo ſolent dari *fungibiles*, ſeu qvæ functionem in ſuo genere recipiunt ideo, qvia qvodlibet ex iſto genere vicem alterius ita ſubire poteſt, ut qvi ex eodem genere, eadem qvantitate & qvalitate receperit, idem qvod dedit recepiſſe dicatur. Eædem qvoqve res pondere, numero, & menſura determinantur, & ſpecificantur: qvo reſpectu etiam qvantitates ſolent adpellari, ſpeciebus contradiſtinctæ. Cœterum datur aliqvid mutuo vel gratis, ita ut non plus, qvam datum fuit, recipiatur: vel cum aliqvo emolumento, qvod *uſuræ* vocabulo inſignitur. Qvæ nihil habet naturali juri repugnans, ſiqvidem fuerit modica, & reſpondens lucro, qvod alter ex pecunia, aut alia re credita facit; meoqve damno, aut lucro ceſſanti, qvod ex abſentia rei meæ capio; & ubi non exigatur ab hominibus tenuibus, apud qvos mutuum vicem eleemoſynæ ſubit.

Obſerv: 379.

In contractu mutui) Mutuum, juxta merum jus naturale, eſt *contractus conſenſualis, quo quis de re fungibili, vel gratis vel ſub conditione accipiendæ uſuræ, concedendâ, rogatur, ac alter, poſt rem acceptam, tantundem ſuo tempore reddere tenetur.* Romani negotium, quo quis de re con-

concedenda rogatur, *pactum præparatorium* dixerunt, ac in *ipsa datione*, mutui essentiam collocarunt, quod sequitur Autor *h.* & *l.5. c.7. §.1.2.3.4.5.* Præterea iis persuasum fuit, mutuum natura sua esse gratuitum. Sed illa omnia mere Romana, ac in disciplina juris naturalis, non sequenda arbitramur, hinc traditio & restitutio ad *executionem* pertinet, ac ex natura contractus, successivè fieri debet.

Observ. 380.

Cæterùm datur aliquid mutuo) Duplex hic contrahendi modus, mutuo naturalis censeri debet, ceu jam admonuimus, natura enim negotiorum, ex usu Gentium, æstimanda est, jam vero non tantum gratis, sed &, sub conditione usuræ accipiendæ, pecuniam similesve res dari solere, experientia docet. Romani a communi illa æstimatione, non aliam ob causam discesserunt, quam quod, consensum solum, producendæ obligationi, non sufficere existimaverint.

Observ. 381.

Quæ nihil habet naturali) Moralitatem usurarum pluribus persequitur Autor *l.5.c.7.§.8. seqq.* forte de licentia usurarum non valde dubitatum fuisset, nisi Jus Pontificium fucum aliquem fecisset. Positâ vero licentiâ, deinde etiam homines ad solvendas usuras *obligari* possunt, quæ obligatio summatim vel ex *pacto*, vel *mora*, vel *accepta utilitate* dependet.

2. Officium Mutuantis est, *ut rem promissam exsolvat*,

solvat, de quo vulgo non quærunt, dum id extra Mutui limites esse putatur, Mutuatarii vero, *ut ex eodem genere tantundem restituat*, quod quidem non ex valore imposito, vel externo habitu, sed intrinseca rei conditione æstimandum est, de quo alias prolixa est disquisitio *add. l.5.c.7.§.6,7.* De damni restitutione vel periculo casuali, nulla est quæstio, cum dominium rei in mutuatarium sit translatum, & res in genere debita perire nequeat.

§. 12. In contractu *societatis* duo pluresvè inter se pecuniam, res, aut operas conferunt eo fine, ut qvod inde redit lucri inter singulos pro rata dividatur; & si qvid damni capiatur, id simili modo à singulis pro rata feratur. In qva societate uti officii est fidem & industriam adhibere; ita ex illa intempestive & in fraudem socii discedi non debet. Cœterum societate soluta quilibet post detractum lucrum aut damnum, quantum intulit, recipit. Quod si autem unus pecuniam aut rem, alter operam contulerit, videndum est, quo mod facto sit Collatio. Quando enim alterius opera tantum versatur circa istius pecuniam aut rem tractandam aut distrahendam, partes lucri ita definiuntur, prout sese pecuniæ aut rei emolumentum ad pretium operæ habet, & sors salva est ac perit ei, qui contulit. Quando autem opera impenditur

ditur ad meliorandam rem ab altero collatam, ipse pro ratione ad meliorationis in ipsa quoque re partē habere intelligitur. Ast ubi omnium bonorum societas est inita, singuli socii uti quæ lucrantur fideliter conferre debent; ita contra ex communi massa pro ratione conditionis suæ singuli sustentandi. Soluta autem societate divisio bonorum fit pro ratione eorum, quæ singuli in societatem initio intulerunt; non attendendo, per cujus bona societati lucrum aut damnum provenerit; nisi aliter sit conventum.

Observ. 382.

In contractu societatis) Societas est *contractus consensualis, de rebus vel operis conferendis, ut lucrum & damnum fortuitum inter conferentes dividatur.* Solo consensu hunc contractum *perfici*, ac traditionem pertinere saltem ad *executionem*, Jus Romanum etiam concedit.

Observ. 383.

In qua societate) Officia Sociorum uti dubio procul, ex præceptis naturalibus, de nemine lædendo, fide servanda ac damno resarciendo fluunt, ita Autor minus distinctè eadem proposuit; indicabimus generales respectus. Officia sociorum respiciunt vel *ipsos socios*, de quibus §. *12. h. add. l. 5. c.* 8. quæ distinctius quoad societatem initam, consummatam & solutam, expendi possunt, vel *alios* his ex fide data

obli-

obligari, eosque, ex eodem principio, sibi obstringere solent; Ob præsuppositam autem societatem, socii in contractibus, cum Exteris celebratis, pro Correis credendi & debendi (quorum indolem exposui *Observ. 161.*) haberi debent, nisi aliud actum sit.

§. 13. Dantur quoque complures *contractus, qui aleam continent*. Qvos inter referre possis *sponsiones*, quando eventus alicujus, nondum utrinqve notoril, existentiam alter affirmat, alter negat, certo pretio utrinque deposito, qvod illi cedat, cujus assertioni eventus congruere deprehensus fuerit. Huc pertinent omnia *ludorum* genera, in quibus aliquo pretio certatur. Inter qvos tamen minus aleæ habent, qvi certamen ingenii, dexteritatis, solertiæ aut roboris continent. In qvibusdam ingenium & alea pari vigore sese exserit. In aliis denique alea prædominatur. Etsi rectorum civitatis sit dispicere, qvousqve ex usu publico aut singulorum sit, ejusmodi contractus tolerari. Huc spectat lotaria, quando plures de re, quam collatitia pecunia emunt, post sorte decernunt, cui soli ea tota debeat cedere. Item *olla fortunæ*, quando, dejecto in urnam certo tesserarum seu schedularum numero inscriptarum & inanium, pretio redimitur facultas easdem extra-

hendi, ita ut extrahens id accipiat, qvod illarum inſcriptio præ ſe fert. Hiſce contractibus affinis eſt *aſſecuratio*, ſeu contractus periculi avertendi & præſtandi, qvo qvis certa pecunia accepta in ſe ſuſcipit & præſtat pericula, quæ ſubituræ ſunt merces in alia loca transportandæ; ita ut ſi has interire contigerit, aſſecurator earundem pretium domino reſtituere teneatur.

Obſerv. 384.

Dantur quoque complures contractus, qui aleam continent) Alea hic notat incertum eventum, qui lucrum & damnum nobis afferre queat, contractus igitur, qui aleam continere dicuntur, conſenſum indefinitum, in utrumque eventum directum, complectuntur, quæ indefinitè conſentiendi ratio, omnem querendi cauſam excludit, utcunque eventus ceciderit, modo dolus abſit.

2. Ad ejusmodi negotia pertinet etiam *Sors deciſoria*, quæ eſt actus, quo id, quod voluntate humana purè decidi poterat, ſub conditione incerti eventus, determinatur. Sub ejusmodi conditione Imperans milites pericula adire jubet, vel in delictis diſpenſat, privati hæreditates dividunt, aut in genere homines conſilium capiunt, quæ in ſpecie *ſors conſultatoria* audit.

3. Totum igitur negotium voluntate humana deciditur, & eventus fortuitus eſt, ſuamque effica-

efficaciam sortitur à consensu hominum, perinde sicut se res habet in promissionibus, sub conditione aliâ, vel in diem factis. De cætero, circa eventum illum, providentiæ divinæ concursus ordinarius, imò specialis & extraordinarius non negatur, pro speciali tamen voluntatis divinæ revelatione, necessariaque agendi normâ, nobis præscripta, non habetur, ex quo moralitas & licentia sortis decisoriæ apparet.

4. Opponitur Ei *sors divinatoria*, qua ex eventu vel naturali vel miraculoso, voluntatem Dei nobis imaginamur, ac inde, quid vel futurum sit, vel nos agere oporteat, amplius concludimus. Hæc, extra casum specialis permissionis divinæ, illicita est, magnâ enim irreverentiâ, Deum ad manifestandam voluntatem, adigere volumus, præterea superstitiosum est, voluntatem illam sibi imaginari, cum tamen nulla revelatio facta sit, nec eo nomine aliqua promissio occurrat. De cætero divinatio illa aliquando in terminis stultæ superstitionis, subsistit, si scilicet ex eventu aliquo te futura scire putes, aut actum in se licitum, ex jussu divino scilicet! suscipias, aliquando in scelus aliquod degenerat, si v. gr. hominis occisio similisve actus eam sequatur.

5. Nonnulli, ac in specie Becmann. *lin. doctrin. moral. c. 8. §. 9. 10. 11.* Sortem decisoriam & divinatoriam distinguunt quidem, sed in explicatione utramq; confundunt, hinc objectum

ſortis deciſoriæ *negotia humanitùs inexplicabilia eſſe*, per eam ad *verum Deum appellari* ac ſemel miſſam, *non poſſe iterari* contendunt, quæ omnia ad ſortem deciſoriam non quadrare, periti facile intelligunt. *conf.* Op. Maj. *l. 5. c. 9. §. 2. 3.*

Obſerv. 385.

Quos inter referre poſſis ſponſiones) Sponſio eſt *pactum, quo, occaſione contradictionis in converſatione civili occurrentis, duo pluresve ſententiæ ſuæ fiduciâ, ſibi mutuo ita aliquid promittunt, ut is, cujus aſſertio fefellerit, alteri quid præſtare cogatur.* Quodſi adeo omnia ſeriò & bona fide acta ſint, tum juxta menſuram conſenſus dati, lex naturalis paciſcentes ad fidem ſervandam obligat. *add. d. c. 9. §. 4.*

Obſerv. 386.

Nondum utrinque notorii) Ineuntur ſponſiones de rebus futuris, præteritis & præſentibus, quoad iſtas tamen & has, certam ſcientiam abeſſe debere, vulgo contendunt *vid.* Becman. *d. c. 8. §. 13.* quod etiam ſequitur Autor *h.* ſed arbitror, quod ſponſio recte ineatur, licet quis rem certo ſciat, modo dolus abſit, i. e. modo quis, altero tacente, nihil dicat, aut de certa ſcientia interrogatus, callidè nihil diſſimulet, ac alter firmo ſatis judicio utatur, ejusque rationes jacturam talem, qualis heic ſubeſt, ferre queant, qui enim cum altero, de cujus ſcientia ipſi nihil conſtat, in certamen deſcendit, is in omnem eventum conſentire cenſetur,

tur, adeoque damnum sibi imputare debet. Rationes dissentientium fere in circulum recurrunt, aut sponsionem à sciente factam, cessantibus requisitis, quæ supposuimus, illicitam esse ostendunt.

Observ. 387.

Huc pertinent omnia ludorum genera) Ludus est *conventio, qua duo pluresve adhibitis certis instrumentis eventum, à fortuna vel ingenio dependentem, procurant, ac, prout ille ex compacto ceciderit, ita aliquid lucrantur vel perdunt.* Est vel *artis*, vel *fortunæ*, vel *mixtus add. l. 5. c. 9. §. 5.*

Observ. 388.

Etsi Rectorum civitatis sit dispicere) Officium triplex hic occurrit, (1) *antecedens*, ubi quæritur, *an licitum sit ludere*? quod recte asseritur *d. c. 9. §. 5.* frustra dissentiente Becmanno *lin. doctr. mor. c. 8. §. 12.* consuetudo tamen ludendi, quæ hodie passim obtinet, licita existimari nequit. Atque huic abusui, leges humanæ modum ponere solent, ut innuit Autor *h.* sed raro servantur, dum exempla opposita, iis sunt efficaciora (1) *concomitans*, ludentes dolo abstinere, nec eventum, qui à fortuna & arte licita dependet, mediis furtivis procurare, vel vi adhibita, timidiores pecunia emungere debent (3) *consequens* si licite & bona fide lusus peractus est, fides data servari, ac res promissa præstari debet.

Observ. 389.

Huc spectat lotaria) Quæ etiam *Riffa* à nonnullis

 dici-

dicitur Becman, *d. c. 8.* §. 13. de cætero est contractus, ex emtione, & sorte decisoriâ mixtus, ex quo officia paciscentium facile intelliguntur, *add. l. 5. c. 9.* §. 6.

Observ. 390.

Item olla fortunæ) Hæc nihil aliud est, quam *emtio spei*, hinc ea obtinent, quæ *Observ. 376.* diximus. Nulla alia igitur lex hic locum habet, quam ut ea, quæ ollæ inesse dicta sunt, vel de quibus probabiliter cogitatum est, revera etiam in illâ reperiantur, nec per fraudem aliquid eximatur, quo fine nonnunquam custodes publici apponuntur. Aliquando â Republica ejusmodi ollæ panduntur, quo Exteri, quibus imperari nequit, vel potentiores Cives, quibus tributum solvere aliàs molestum est, spe lucri alliciantur, ac in usus publicos aliquid conferant *add. d. c. 9.* §. 7.

Observ. 391.

Hisce contractibus affinis est assecuratio) Est *conventio, qua quis mercium transportandarum vel advehendarum securitatem asserit, ac si assertione eventus respondeat, certam mercedem â domino earum, sibi stipulatur, sin minus, illarum æstimationem promittit.* Sæpe hic contractus cum temeritate vel injustitia est conjunct9 *add l. 5. c. 9.* §. 8.

§. 14. Ad majorem firmitatem & securitatem contractibus, frequenter solent adjici *fidejussiones* & *pignora*. In *fidejussione* alius homo, qui creditori idoneus judicatur, principa-

cipalis debitoris obligationem velut in ſubſidium in ſe ſuſcipit, ita ut niſi iſte ſolvat, hic ipſius vices ſubeat; ut tamen, quod erogavit, à principali debitore ipſi refundi debeat. Etſi autem ad majorem ſummam fidejuſſor, quam debitor principalis teneri non poſſit, non tamen repugnat iſtum, quam hunc arctius teneri; quippe cum huic plus, quam illi, fidei fuerit habitum. Naturaliter tamen principalis debitor prius, quam fidejuſſor eſt appellandus, niſi hic iſtius obligationem plane in ſe receperit; qui expromiſſor vocari ſolet. Quod ſi plures pro uno fidejuſſerint, pro rata duntaxat erunt ſinguli conveniendi; niſi forte quis eorum ſolvendo non ſit, aut ejusdem conveniendi non detur facultas. Tunc enim reliqui hujus portione onerabuntur.

Obſerv. 392.

Ad majorem firmitatem) Solent contractibus vel obligationibus, principalibus aliquando adjici contractus vel pacta acceſſoria, idque duplici fini vel (1) ut *easdem temperent*, circa quæ generaliter tenendum, quod omnia mero jure naturali valeant, niſi legibus repugnent, aut contradictionem involvant, *vid. l. 5. c. 10. §. 1. ſeqq.* Leges Romanæ hic valde tricantur, quæ artis rabulariæ inventa extra diſciplinam juris na-

turalis ſunt, vel (2) ut *eas reddant firmiores*, quo prtinete *fidejuſſio* & *pignus*.

Obſerv. 393.

In fidejuſſione alius homo) Fidejusſio eſt *contractus conſenſualis, quo quis, in majorem Creditoris ſecuritatem, obligationi alienæ accedit*, dicitur fidejuſſor, etiam ſponſor vel Adpromiſſor.

Obſerv. 394.

Ut tamen quod erogavit] A fidejusſione debet diſcerni Negotium, quod inter fidejuſſorem & debitorem principalem intercedit, & eſt vel *mandatum*, ſi pro ſciente & volente, vel *negotiorum geſtio*, ſi pro ignorante, vel *donatio*, ſi pro invito, quis fidejuſſerit, illo & iſto caſu debitor ad reſtitutionem ejus, quod fidejuſſor creditori ſolvit, eſt obſtrictus, hoc verò obligatio ceſſat.

Obſerv. 395.

Etſi autem ad majorem ſummam) Fidejuſſor obligatur Creditori, ex natura contractus, *acceſſoriè*, hinc arctius quidem, ſed non durius, debitore principali, obſtringi poteſt, nec ante hunc ſolvere debet, niſi aliud actum §. *14. h. add. d. l. 5. c. 10. §. 9. 10. 11. 12.* Vice verſa Creditor ex contractu, utpote unilaterali, fidejuſſori non tenetur, ne tamen actionem, contra debitorem aliosque fidejuſſores competentem, in præjudicium unius fidejuſſoris, malitioſe differat, id æquitas manifeſte exigit, hinc etiam moras nectens, ad agendum urgeri poteſt, quo fundamento nititur decantatum illud, inter juris

Ro-

Romani interpretes hominesque forenses remedium ex *L. si contendat.*

Observ. 346.

Quodsi plures pro uno fidejusserint) Hoc casu, ex natura contractus, singuli saltem pro rata Creditori obligantur, eamque etiam partem tantum solvere tenentur, quodsi verò id actum sit, tum ut correi debendi erunt obstricti, hinc singuli quidem ratam partem etiam solum debent, solidum tamen solvere coguntur, inprimis si cæteri absint, vel non solvendo existant §. *14. b.* Qui autem solidum præstitit, à confidejussoribus partes repetit, nam horum quoque nomine Creditori solutum est, id quod interpretes juris Romani, dum naturam obligationis correalis non satis intelligunt, negare vulgò solent.

§. 15. Sæpe quoque solet creditori in securitatem crediti tradi aut assignari à debitore certa quæpiam res, *pignoris* aut *hypothecæ* nomine, quousq; istud fuerit exsolutum. Cujus finis est non solum, ut debitor ad solvendum urgeatur desiderio rei suæ recuperandæ: sed & ut in promptu sit, unde sibi solvatur. Inde & regulariter pignora tanti aut majoris esse solent, quam ipsum debitum. Cœterum res, quæ pignori opponuntur, sunt vel *fructuosæ*, vel *steriles.* Circa priores sæpe adjici solet pactum ἀντιχρήσεως, seu ut creditor loco usu-

usuræ fructus istius pignoris percipiat. Circa posteriores autem *lex commissoria,* ut nempe pignus cedat creditori, ubi intra certum tempus solutio non sit facta. Id quod naturaliter iniquum non est, ubi pignus pluris non est, quam debitum, & usuræ intermedii temporis, aut si quod excedit domino, restituatur. Uti autem creditor pignus solutione facta debet restituere: ita interea non minorem, quam propriis rebus illi custodiam debet: & ubi pactum antichreticum non accesserit, sitque talis res, quæ usu atteratur, aut si debitoris ullo modo intersit, invito hoc eadem uti non potest. Differt hypotheca à pignore, quod hoc constituatur rei traditione; hæc autem re non tradita constat nuda assignatione rei imprimis immobilis, ex qua solutione non facta creditor suo credito potiri queat.

Observ. 397.

Sæpe quoque solet) In Jure Romano *pactum hypothecæ* & *contractus pignoratitius* separantur, hicque pro contractu reali habetur, sed cum à simplicitate naturali abire, jam dixerim *Observ.* 354. si præter consensum, ad contractus perfectionem, aliud quid requiratur, hinc de pignore etiam paulò aliter philosophandum erit. Est scilicet *contractus consensualis accessorius, de re, in securitatem Creditoris, obliganda vel tra-*

tradenda, initus, juxta quæ tradita Autoris quoque accipienda.

Observ. 398.

Cujus finis est non solum) Finis pignoris est Creditoris *securitas*, ex hac igitur diversa etiam paciscendi ratio fluit, si enim res amoveri vel non possint, vel non soleant, tum sufficit, si illæ Creditori assignentur & obligentur, si vero facile amoveri & occultari queant, tum Creditor securus non redditur, nisi eas in suam recipiat custodiam, illo casu, traditio nulla desideratur, hoc vero illa fieri debet, sed non pertinet ad *perfectionem* sed *executionem* contractus. *add. l. 5. c. 10. §. 13.*

Observ. 399.

Cæterum res quæ pignori opponuntur) Quoad pactum antichreticum, æquitas exigit, ut æqualitas inter debitorem & creditorem servetur, hinc fructus ex re oppignorata percipiendi, emolumentum, quod debitor ex pecunia debitâ sentit, non valde superare debent, id quod leges civiles certius definire solent, dum fructꝰ ad quantitatem legitimarum usurarum redigunt.

Observ. 400.

Circa posteriores autem lex commissoria) Pactum commissorium, prout hic supponitur, æquitati naturali non contrariatur, sed vulgò alio sensu accipitur, quatenus scilicet avari creditores modicâ pecuniâ, pignora magni pretii, debitoribus egenis extorquent, quod humanitati

nitati repugnare manifestum est *add. d. c.* 10. §. 14.

Observ. 401.

Uti autem Creditor) Ex mea hypothesi, de officiis debitoris & creditoris, ita dicendum: debitor debet rem tradere, si ita conventum sit, ac impensas necessarias & utiles tolerare, Creditor vero, accepta pecunia, pignus reddere ac damnum voluntarium resarcire tenetur *add. d. c. 10. §. 14. 15.*

Observ. 402.

Differt hypotheca) Differentia hæc â diversitate *rerum* & *modi contrahendi* dependet, prout enim illæ amoveri vel non amoveri possunt aut solent, ac iis debitor commodè carere potest, nec ne, ita hunc regulæ æquitatis & prudentiæ adhiberi suadent. Quoad *ipsum jus* verò, hypotheca & pignus non differunt *add. d. c. 10. §. 16.*

§. 16. Cœterum quænam contrahentium sint officia, ex fine & natura horum contractuum liquido adparet.

Observ. 403.

Cæterum quænam) De officiis contrahentium, in singulis contractibus actum est, ex quibus autem fontibus officia resultent, tum quinam heic obstringantur, id generaliter jam *Observ. 198.* ostensum est, ut illa hic repetere, non attineat *conf. Observ. 361.*

CAPUT XVI.

QVIBUS MODIS SOLVANTUR OBLIGATIONES, QVÆ EX PACTIS ORIUNTUR,

§. I.

INter modos ſolvendi obligationes, ex pactis oriundas, quibusque adeo officia inde promanantia plane expirant, maxime naturalis eſt *expletio* aut ſolutio *ejus*, *de quo fuit conventum*. Ubi licet regulariter is, qui debet, ſolvere teneatur; tamen ſi præſtatio fiat ab alio nomine ejus, qui obligationem contraxit, hæc diſſolvitur; ſiquidem alias nihil interſit, abs quo expletio fiat. Ita tamen ut qui pro altero animo non donandi ſolvit, ab hoc quod erogavit, repetere queat. Solvendum præterea ei, cui debetur, aut quem hic delegavit, ut ipſius nomine debitum recipiat. Et denique illud ipſum præſtandum, aut ſolvendum, de quo conventum fuit; non aliud ejus loco, integrum non mutilum, non pars duntaxat, non diviſum, loco itidem & tempore

re convento. Etsi sæpe humanitas creditoris aut impotentia debitoris subigat terminum solutionis prorogare, aut diffindere, vel etiam aliud pro alio accipere.

Observ. 404.

Inter modos solvendi) Hi in jure Romano, ab *effectu* discernuntur, dum alii obligationem *ipso jure* seu penitus, alii *ope exceptionis*, sive minus plenè, tollere dicuntur. Sed illa merè Romana, & malis rationibus sancita sunt, hinc promiscuè modos tollendi recensere licebit, quia verò de iis, in Jurisprudentia particulari, prolixè agitur, itaque fundamento hic indicasse, satis erit.

Observ. 405.

Maximè naturalis est expletio) Solutio, hic strictè accipitur, ac ad rem debitam & obligationem simul refertur, nam dum hæc, per illius præstationem, tollitur, solutio intercedere dicitur, alias si solam obligationem spectemus, quivis tollendi modus, nomen Solutionis gerere potest. De cætero *quis* solvere debeat aut possit, tum *cui*, aut *quid* solvendum sit, id omne, ex natura conventionis, judicandum est, requirente subinde aliquod temperamentum humanitate, quæ omnia naturalia sunt *add. l. 5. c. 11. §. 1. 2. 3. 4.* in personis autem, quæ solvant, aut quibus solvatur, habilitas præsupponenda est, quam leges civiles, sed omnibus fere Gentibus communes, certius definiunt *conf. Observ. 209.*

§. 2.

§. 2. Tolluntur quoque obligationes *compensatione*, quæ est crediti & debiti inter se contributio, seu quando debitor ideo liberatur, quia eidem ipse creditor rem ejusdem generis, & quæ tantidem est, vicissim liquido debet. Cum enim inprimis in rebus fungibilibus tantundem sit idem; & vero ubi mutuum est debitum, mihi statim tantundem esset reddendum, atque ipse accepi: igitur declinandis inutilibus solutionibus commodissimum est utrumque suum retinendo solutione defungi. Patet autem compensari proprie posse res fungibiles ejusdem generis, quarum solvendarum tempus præsens est, aut præteriit: non aliæ res aut præstationes diversæ naturæ: nisi forte illæ utrinque in sui æstimationem, seu in pecuniam resolvantur.

Observ. 406.

Tolluntur quoque obligationes compensatione) Hæc est *debiti, ob aliud debitum reciprocum, sublatio, ab eo tempore, quo utrumque existit, ex communi mortalium affectu, facta* de quo plura dixi in *Observat. ad* Lauterb. Comp. Jur. *Observ. 446. seqq.*

Observ. 407.

Patet autem compensari proprie posse) Mero jure naturali quævis obligationes, rerum præstationem respicientes, compensari possunt, licet ve-

verum ſit, quod in rebus fungibilibus, ac inprimis in pecunia, quarum pretia, ſine prævia taxatione, jam nota ſunt, expeditiſſimè compenſatio procedat, leges autem civiles, uti non ſemper inter quosvis debitores compenſationem admittunt, ita eam etiam â nonnullis obligationibus removent *add. d. c. 11. §. 5. 6.*

§. 3. Tollitur quoque obligatio *condonatione* ſeu remiſſione ejus, cui quid debebatur, & cujus intereſt obligationem fuiſſe expletam. Ea ſolet fieri vel expreſſe per adhibita ſigna conſenſum teſtantia; puta, data acceptilatione, redditis aut abolitis chirographis: vel tacite, ſi quis ipſe impediat, aut in cauſa ſit, quo minus, quod ſibi debetur, poſſit præſtari.

Obſerv. 408.

Tollitur quoque obligatio condonatione) Obligationes unilaterales, condonatione, remiſſione, acceptilatione vel pacto, de non petendo, tolli quoque poſſunt, hæc enim mero jure naturali coincidunt, & nihil etiam refert, expreſſe an tacite conſenſus detur, quamvis ille hôc ſit evidentior *conf. d. c. 11. §. 7.*

§. 4. Solent quoque ſolvi obligationes, qvæ utriusq; partis præſtatione conſtant, re adhuc integra, *mutuo diſſenſu*; niſi leges poſitivæ id prohibuerint. Ubi autem ab altera par-

parte jam quid sit præstitum, accedat oportet vel hujus condonatio, vel ut alia ratione id sarciatur.

Observ. 409.

Solent quoque solvi obligationes) Reciprocæ obligationes mutuo dissensu, si arbitrio obligatorum subsint, solvuntur, nec attendenda erunt scrupulosa discrimina, quæ Jus Romanum introduxit. Requiritur autem, ut *res* sit *integra* i.e. contractus quidem perfectus, sed nondum consummatus, nam si consummatio accesserit, tum consensus contrarius non solvit obligationes, utpote rerum præstatione jam sublatas, sed novum pactum continet, quod tamen mero jure naturali etiam validum est. *add. d. c. n. §. 8.*

§. 5. Præterea non tam solvitur, quam *abrumpitur* obligatio alterius partis *perfidia*. Quando enim unus non præstat, de quo est conventum, neque alter tenetur præstare, quod intuitu istius præstationis recepit. Nam capita præstandorum in pactis priora posterioribus insunt per modum conditionis, quasi ita dictum foret; præstabo, si tu præstiteris prius.

Observ. 410.

Præterea non tam solvitur) Si alter contrahentium perfidus sit, ac à contractu resiliat, tum certum est, quod alteri etiam recedere inte-

grum sit, quo spectat doctrina Autoris *h. add. d. c. 11. §. 9.* attamen is perfidum dimittere non tenetur, sed habet electionem, utrum perfidiam velut acceptare (quo facto mutuus dissensus ex postfacto existit) an perfidum, ad fidem servandam, mediis habilibus adigere velit.

§. 6. Expirant quoque obligationes, quando *statum*, in quo eædem unice fundabantur, *mutaverit* vel ille, qui præstare, vel is, cui præstari debebat.

Observ. 411.

Exspirant quoque obligationes) Mutato statu naturaliter obligationes exspirant, quia consensus restrictè datus est, adeoque cessante eo, cujus intuitu intercessit, evanescit *add. d. c.* 11. §. 10.

§. 7. Ipso *tempore* expirant obligationes, quarum duratio à puncto aliquo temporis suspensa fuit; nisi expressa aut tacita partium conventione illa prorogata fuerit. Necessum est tamen, ut intra illud tempus facultas exigendi obligationem extiterit.

Observ. 412.

Ipso tempore exspirant obligationes) Eadem hic subest ratio consensus non absolute sed restricte datus est, hinc elapso tempore cessat ac obligatio necessario desinit *add. d. c.* 11. §. 11. Subtilitas Juris Romani, de qua in §. *3. J. de V. O.* juri naturali incognita est, & malis rationibus nititur.

§. 8.

§. 8. *Morte* denique ſolvuntur obligationes, in perſona alicujus radicatæ, ſubjecto quippe ſublato accidentia quoque extingui neceſſum eſt. Sæpe tamen in ſuperſtitibus defunctorum obligatio continuatur. Idque vel quia ſuperſtes ex officio pietatis, aut alias ob rationes defuncti obligationes explendas in ſe ſuſcepit; vel quia ex defuncti bonis obligationi erat ſatisfaciendum, quæ cum iſto onere in hæredem tranſierunt.

Obſerv. 413.

Morte denique ſolvuntur) Ut morte ſolvantur obligationes, ad perſonam reſtrictæ, id naturale eſt, ac ex conſenſu fluit. Interim regulariter id non obtinet, cum enim facillimè mors homines opprimat, ideo conditioni humanæ haut convenit, ut obligationes cum perſona exſpirent, ſed æquitas potius, utilitas hominumque affectus expoſcit, ut ad alios illæ tranſeant, hinc ea obligandi ratio, tamdiu etiam præſumenda, donec reſtrictior probetur.

Obſerv. 414.

Idque vel quia ſuperſtes) De tranſitione obligationis in alios ita ſummatim habendum [1] obligatio ſpecialis, ex contractu deſcendens, ex communi mortalium affectu, ad hæredes ſimilesve ſucceſſores transmittitur; Quodſi quis ultro eam ſuſcipiat, tum de transmiſſione res eſt liquida, ſed id ad rarius contingentia

referendum (2) obligatio ex delicto orta, ac ad damni restitutionem pertinens, in eos, qui bona obligati accipiunt, transmitti debet, ut inique transmissio negetur, ceu fit in Jure Romano (3) Obligatio ad pœnam pecuniariam, hæredibus non est imponenda, nisi diserte lex pœnalis hoc velit, scopus enim pœnarum, transitionem non requirit (4) obligationem, ad pœnam, corporis, existimationis, vel vitæ afflictivam, transmitti, prohibent leges socialitatis *add. d. c.* 11. §. 12.

§. 9. Per *delegationem* substituit quis creditori suo consentienti debitorem suum, ut hic loco ipsius debitum suum exsolvat. Ubi creditoris quidem consensus requiritur, non autem tertii istius debitoris, quem etiam ignarum & invitum alteri volenti delegare possum. Nam nihil interest, utri quis solvat: multum autem, à quo quis debitum exigat.

Observ. 415.

Per delegationem) Per hanc Autor *h.* & *d. c.* II. §. 13. intelligit *Cessionem*, de cætero hæc non tam jus & obligationem *tollit*, quam *transfert*, nisi velis dicere, ratione prioris Creditoris, obligationem tolli, quod jure naturali verum est, licet Jus Romanum, per otiosas tricas & ambages heic etiam incedat. Alias *Delegatio* est *actus, quo Creditori suo volenti, alium sive debitorem sive non debitorem, quis delegat, ut is nova promissione debitum in se unicè recipiat*, ad quem trium

con-

consensum esse necessarium, manifestum est.

2. Ad modos tollendi etiam pertinent (1) *Confusio*, quæ est juris eique respondentis obligationis, in eandem personam concursus ac inde veniens utriusque interitus *add. d.c.* 11. §. 14. (2) *Novatio in specie*, qua *inter Creditorem & debitorem eundem, obligatio renovatur*, ut eam juris civilis propriam dicamus cum Autore *d.c.* 11. §. 15. nulla cogit necessitas, perinde enim, ut alii actus, mutuo consensu constat novatio, ac ex libertate naturali, ab omnibus hominibus suscipi potest & solet (3) *rei interitus*, modo certa species debeatur, & si qui adhuc alii ejus generis modi occurrunt.

CAPUT. XVII.

DE

INTERPRETATIONE.

§. I.

ITa quidem est, ut neque in illis, quæ imperio injunguntur, quis ulterius obligetur, quam hic voluit; neque ad quæ quis ultro sese adstringit, ulterius teneatur, quam ipse voluit. Qui tamen de voluntate hominis al-

ter homo judicare non potest, nisi ex actibus & signis in sensus incurrentibus: inde demum *in id quilibet obligari in foro humano censetur, quod recta signorum interpretatio suggerit.* Unde tam ad leges quam ad pacta rite intelligenda, & exinde officio explendo plurimum prodest *regulas bonæ interpretationis circa verba* potissimum, tanquam communissimum signum, constitui.

Observ. 416.

Ita quidem est) Interpretationis in actu signato consideratio utilis est §. 1. *h.* quia ejus cognitio, mentem, in eruenda voluntate dubia, adjuvat. Ex Recentioribus nonnulli eam retulerunt ad Logicam, quod rejeci *in* Art. Cogit. *c. 18.* §. *48. seqq.* hinc arbitror, generalia interpretandi principia in Disciplina quadam Generali, hactenus desideratâ, *vid. d. tr. c.* 19. posse proponi *d. c.* 19. §. 126. specialiorem vero Interpretationis considerationem, ad *Philologiam*, *Theologiam* & *Jurisprudentiam* pertinere, quamvis ubique, eædem ferè interpretandi regulæ, occurrere videantur.

2. Hoc loco *Interpretatio Juridica*, consideranda erit, quam quidem minus recte Autor huic loco reservavit, *vid. l. 5. c.* 12. §. 1. cum in parte præliminari explicanda illa fuisset *vid. Observ.* 91. *n. 22.* Rem ipsam quod attinet, repetendum est, quod. *d. n. 22.* admonui, agi saltem de inter-

pre-

pretatione *voluntatis positivæ*, non *legis naturalis*, deinde observandum, quod voluntatem dubiam, signis externis declaratam, vel Legislator, vel usus forensis, vel homo privatus interpretetur, hinc triplex interpretatio, *Authentica, Usualis* & *Doctrinalis* exoritur, sed cum illa & ista, pro autoritate fieri soleat, nec certis regulis adstricta sit, ideo ad hanc unicè deinceps erit respiciendum.

3. Est igitur Interpretatio doctrinalis, *Voluntatis juridicæ factis vel verbis declaratæ, per probabiles plerumque conjuncturas facta expositio.* Objectum est voluntas *juridica* i. e. in studio juris occurrens. *factis, & verbis declarata*, adeoque *positiva*, ac potissimum *obscura*, non quidem obscuritate universali seu subjectiva, sed particulari seu objectiva, prout nonnulli philosophantur. Oritur autem illa obscuritas, quoad voluntatem verbis prolatam, vel ob *externum accidens*, nempe in sermone dicto, propter sermonem parum distinctum, scripto, ob externam figuram male se habentem, quam ultimam obscuritatem qui tollunt, *Criticorum* nomine superbiunt; Vel ob *internum verborum sensum*, id quod potissimum accidit ob verborum antiquitatem, novitatem, peregrinitatem, perplexitatem, ambiguitatem & pugnantiam *vid.* Thomas. *J. J. D. l. 2. c. 11. §. 20. seqq.* Logic. German. *p. 2. c. 3. §. 37. seqq.* Facta quod attinet, illa regulariter voluntatem obscurius indicant. Ostendit porro voluntatem Inter-

pretatio plerumque ſaltem per *probabiles conjecturas*, ceu innuit definitio, aliquando tamen etiam ſententia *certa* adeſt.

4. Solet interpretatio dividi in *Declarativam*, quæ voluntatem juxta indicia æque late patentia, declarat, *Extenſivam*, quæ voluntatem, indiciis latiorem, extendit, & *Reſtrictivam*, quæ indicia voluntate latius patentia, ad hujus menſuram coarctat, Poterunt ſane ſpecies illæ ita diſtingui, ſed, ad eruendam voluntatem ſolicitudine illà opus non eſt.

5. Quo quis voluntatem dubiam ritè interpretetur, *Aptitudo* in eo requiritur, hanc ei conciliat (1) *nativa ingenii bonitas*, quæ, ut alibi, ita hic etiam, utramque facit paginam (2) *cognitio indiciorum*, quam quomodo quis ſibi comparet, id ex illorum diverſitate judicandum. Sermonem minus articulatum is intelligit, qui frequenter cum malè loquente converſatur, literas perperam ſcriptas, is interpretabitur, qui earum lectioni adſuetus eſt, denique lingvam callere ille cenſendus eſt, qui ejus idiotiſmos novit (3) *materiæ interpretandæ vid.* Thomaſ. *J. J. D. d. l. §. 83. 84.* (4) *præceptorum logicorum*, nam qui in genere rectè ratiocinari ſcit, is ad interpretandum quoque, cæteris paribꝰ, aptus erit, cum interpretatio ſit ſpecies ratiocinationis (5) *regularum interpretandi*, hæ concipiuntur juxta certas circumſtantias, quas agentes reſpexerunt, & ex quibus adeò voluntas eorum probabiliter poteſt colligi.

§. 2.

§. 2. De *verbis popularibus* hæc eſt regula: verba regulariter intelligenda ſunt in proprio ſuo & famoſo ſignificatu, quem ipſis impoſuit non tam proprietas aut analogia grammatica aut derivationis conformitas, quam popularis uſus; quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.

Obſerv. 417.

De verbis popularibus) Quodſi ad voluntatem verbis prolatam reſpiciamus, circumſtantiæ, quas modo laudavimus, duplicis generis eſſe videntur, vel enim *in verbis*, vel *extra ea* occurrunt. In illis occurrit (1) *obligatio*, qua quis in negotiis civilibus, juxta conſuetum ſignificatum, verbis uti debet. Hoc igitur fundamento ſubnixus interpres, non ad libitum dicentis, ſed ſecundum ejus obligationem verba interpretatur, ac reſervationum mentalium ſenſusque inuſitati, nullam habet rationem *add. l. 5. c.* 12. §. 2. (2) *ſignificatus maxime uſitatus*, hinc regula, *verba regulariter & in dubio*, i. e. ſi circumſtantiæ magis evidentes aliud non exigant, *ſunt accipienda in ſignificatu maximè famoſo* §. 2. *h. add. d. c.* 12. §. 3. nam loquens maximè uſitatum ſenſum, juxta communem hominum conſuetudinem, ſectatus meritò præſumitur, quamdiu circumſtantiæ evidentiores aliud non expoſcunt, quo ſenſu regulam ſubſiſtere puto, licet eam alias improbet *Dn.* Thomaſ. *in Logic. German. c. 3.* §. 107.

§. 3. *Vocabula artium* explicanda ſunt ſecundum definitiones prudentum cujusque artis. Quod ſi vocabula artium à diverſis diverſimode definiantur, ad lites præſcindendas facit, popularibus verbis exprimere, quid per eam vocem intelligamus.

Obſerv. 418.

Vocabula artium) Pertinet hæc doctrina ad regulam præcedentem, nam in terminis technicis, ille ſignificatus maximè famoſus cenſeri debet, quem iis artifices impoſuerunt. Quodſi tamen loquens, artis alicujus non fuerit gnarus, tum facile circumſtantiæ evidentiores alium ſenſum inſinuabunt, aliamque adeo poſtulabunt interpretationem.

Obſerv. 419.

Quodſi vocabula) Hæc cautela non pertinet ad *voluntatem dubiam interpretandam*, ſed ad *eam perſpicue exprimendam* liteſque adeo, inde orituras, præcavendas, ut quodammodo illa à ſcopo abludat *add. d. l. 5. c.* 12. §. 4.

§. 4. *Conjecturis* autem ad eruendum genuinum ſenſum opus eſt, ſi vel verba ſimplicia, aut verborum complexio ſint *ambigua;* aut ſi partes quædam orationis ſibi invicem *videantur repugnare*, ut tamen dextra explicatione adhibita conciliari invicem posſint. Nam ubi certa & manifeſta eſt repugnantia, poſterius derogabit prioribus.

Obſerv.

Observ. 420.

Conjecturis autem) Non nunc demum opus est conjecturis, sed hæ ubique requiruntur, tota enim interpretatio, conjecturalis est! Interim Autor si explicari debet, ut accipiatur de conjecturis, quæ ex circumstantiis, extra verba occurrentibus, desumuntur, hoc enim contextus exigit *add. d. c. 12. §. 5. 6.*

Observ. 421.

Nam ubi certa & manifesta) Hoc regulariter verum est, nam aliquando prior voluntas, etiam posteriori præfertur, si scilicet constet, majori cum curâ illam, quam hanc esse conceptam, sic primæ, investituræ literæ, posteribus regulariter præferuntur.

§. 5. Conjecturæ voluntatis, rectique sensus in sermone ambiguo aut intricato petuntur potissimum *ex substrata materia*, *ex effectu*, & *conjunctis*. Circa *materiam* hæc est regula verba regulariter sunt intelligenda secundum substratam materiam. Nam semper illi, quo locutus est, materia, de qua sermo institutus est, ob oculos versari præsumitur, ideoque semper ad eandem sententia verborum attemperanda.

Observ. 422.

Conjecturæ voluntatis] Extra verba igitur, variæ circumstantiæ occurrere possunt & solent, ex quibus voluntatem conjicere liceat, potiores Autor indicat. Eo pertinet scilicet (1) *substrata*

ſtrata materia §. 5. *h. add d. c.* 12. §. 7. Thomaſ. *J. J. D. l.* 2. *c.* 11. §. 49. *ſeqq.*

§. 6. De *effectu & conſequentibus* hæc eſt regula: Ubi verba crude & ſimpliciter accepta vel nullum, vel abſurdum aliquem effectum poſt ſe eſſent tractura, à receptiore ſenſu pauliſper deflectendum, quatenus nullitatis aut abſurditatis vitandæ neceſſitas requirit.

Obſerv. 423.

De effectu) Deinde eo ſpectant (2) *Effectus & conſequentia* §. 6. *h. add. c.* 12. §. 8. hæ circumſtantiæ oſtendunt, quam interpretationem facere non liceat, ſed eo ipſo quoque verum legis aliûsve actûs ſenſum innuunt.

§. 7. Ex *conjunctis* validiſſimæ ſumuntur conjecturæ; quia regulariter quilibet ſibi conſtare præſumitur. *Conjuncta* ſunt vel *loco*, vel *tantum origine*. De prioribus hæc eſt regula: ſi ſenſus in ejusdem ſermonis loco aliquo plane & perſpicue ſit expreſſus, obſcuriores locutiones ex illis planis ſunt interpretandæ. Cui vicina eſt altera: In omni ſermone interpretando accurate ad antecedentia & conſequentia eſt attendendum, quibus interjecta attemperari & reſpondere præſumuntur. De poſterioribus autem iſta habetur regula: Unius & ejusdem hominis obſcurum dictum interpretandum eſt ex ipſius dictis

dictis clarioribus, licet alio tempore & loco prolatis; nisi manifeste adpareat, ipsum sententiam mutasse.

Observ. 424.

Ex conjunctis) Non minus eò pertinent (3) *Conjuncta* ve *origine & loco simul*, vel *origine tantum* seu clarius, *voluntas* aut *sententia jam proposita*, hanc enim si cum alia sententia dubia conferas, hujus sensum eo rectius intelligere licebit §. 7. *h. add. d. c. 12. §. 9.*

§. 8. Plurimum quoque prodest ad verum sensum investigandum, in legibus cumprimis, inspicere *rationem legis*, seu causam & respectum illum, qui ad legem ferendam latorem moverit; imprimis ubi constat, unicam eam legis rationem fuisse. De qua hæc regula est: Illa interpretatio legis est sequenda, quæ rationi legis congruit; & contra rejicienda, quæ ab eadem discrepat. Item, cessante ratione legis unica & adæquata, cessat ipsa lex. Verum ubi plures ejusdem legis fuerint rationes, non statim una cessante tota lex cessat; cum reliquæ rationes ad ejus vim sustinendam sufficere possint. Sæpe quoque sola voluntas legislatoris sufficit, utut ratio legis subjectos lateat.

Observ. 425.

Plurimum quoque prodest) Inprimis attendenda est

est [4] *Ratio legis vel alius actus*, â qua affirmativè & negative argumentari licebit, modo illa sit *vera* & *adæquata*, de quo caute, in subsidium vocatâ historiâ, judicandum §. 8. *h. add. d. c. 12.* §. 10. Porro eò referri Possunt (5) *personæ affectio* (6) *conditio*, & si quæ aliæ ejus generis circumstantiæ adhuc occurrunt *conf.* Thomas. *d. c. 11.* §. 63 *seqq.*

Observ. 426.

Sæpe quoque sola voluntas) Hæc recte quidem dicuntur, sed præter scopum, jam enim non agitur de legis *autoritate*, quæ semper salva est, sive subditi ejus rationem sciant, sive ignorent, sed *sententia*, ad hanc intelligendam opus utique est, ut legis ratio sit manifesta.

§. 9. Observandum præterea est, multa vocabula habere plures una *significationes*, alteram *laxiorem*, alteram *strictiorem*. Sed & aliam *materiam* esse *favorabilem*, aliam *odiosam*, aliam *mixtam*. *Favorabile* est, quod utriusque partis æqualem facit conditionem, quod communem utilitatem spectat, quod actus quoslibet conservat, quod pacem promovet. &c. *Odiosum* est, quod unam duntaxat partem, aut unam magis quam alteram gravat, quod pœnam in se continet, quod actam reddit irritum, aut priora immutat, quod bellum promovet. *Mixtum est*, v. g. si quod priora quidem immutet, sed pacis tamen causa,

ſa. De iſtis hæc eſt regula: Favorabilia latius, odioſa ſtrictius interpretanda.

Obſerv. 427.

Obſervandum præterea) Hæc etiam obſervatio *add. d. l.5. c.12. §. 11.* alieno loco poſita eſt, de verborum enim ambiguitate, aliisque obſcuritatis cauſis, agi debet, quando interpretationis conceptus in genere evolvitur, ſecundum nota *Obſ.416. n. 3.*

Obſerv. 428.

Sed & aliam materiam eſſe favorabilem) Materia ſubſtrata inter fundamenta eruendæ voluntatis dubiæ, recte admittitur, ſed illa doctrina, quæ ſpecialius *materiæ qualitatem*, favorabilis illa ſit, an odioſa, inculcat, cui Autor poſt Grotium *h.* & *d. c.* 12. §. 12. etiam indulget, nullius momenti & uſus cenſeri debet; nam omnia negotia licita (qualia hic omniò ſupponi debent) ſunt naturâ ſua velut indifferentia, nec odioſa nec favorabilia, hinc etiam definitiones, quæ hic afferuntur, vel precariæ ſunt, ac eadem facilitate poſſunt rejici, qua afferuntur, vel etiam ſibi contradicunt; v. gr. favorabile eſt, *quod communem ſpectat utilitatem*, odioſum, *quod pœnam in ſe continet*, ergo idem ſimul erit favorabile & odioſum, cum tralatitium ſit, quod pœnarum impoſitio, comunem ſpectet utilitatem!

Obſerv. 429.

De iſtis hæc eſt regula) Sed eam eſſe naſum cereum, ac nullius uſus, ex præmiſſis ultrò conſequi-

quitur (1) non datur certa favorabilis & odiosa definitio, hinc etiam hoc fundamento, in eruenda voluntate dubia niti non possumus (2) In exemplis, quæ illustrandæ regulæ *d. l. 5. c.* 12. §. 13. 14. 15. 16. afferuntur, si vera sit interpretatio, vel *committitur fallacia causæ*, dum interpretationi, quæ a proprietate verborum, ratione actus, vel simili causa dependet, odium aut favor frustra prætexitur, vel *plane contra regulam fit interpretatio* v. gr. conventum est inter vicinos, ut alter in alterius fundo venari possit quaslibet feras, ut tamen cervi sint excepti, quæritur, an sub cervis etiam cervæ comprehendantur? Affirmatur hoc *d. c.* 12. §. 13. quia negotium bilaterale, velut favorabile, late explicandum. Sed subest fallacia causæ, vera enim ratio factæ interpretationis, est à proprietate vocabuli, imo interpretatio illa regulam evertit, nam clausula: *quod cervi excepti esse debeant*, priora immutabat, adeoque, velut odiosa, stricte de solis cervis, generis masculini erat accipienda! Aliud exemplum *d. c.* 12. §. 15. proponitur. Inter Romanos & Carthaginenses foedus erat initum, *ne Carthaginenses bellum in Africa, neve extra Africam, injussu populi Romani gererent*, quæritur, an hoc etiam de bello defensivo sit intelligendum? recte hoc negat Autor *d. l.* sed frustra putat hoc â *favore negotii* fluere, cum ex *scopo* foederis id probabiliter colligatur, ceu Ipse *d. l.* verbis: *suadet quoque hanc,*

agno-

agnoſcit, imò cum fœdus illud pacem promoveat, adeoque juxta datam definitionem, favorabile ſit, videbatur potius late etiam de bello defenſivo explicandum eſſe! *add.* Thomaſ. *J. J. D. l. 2. c. 11. §. 159. ſeqq.*

2. Cæterum hactenus dicta eô ſaltem pertinent, quod in negotiis licitis, *favor aut odium naturale*, quod per naturam velut ei inſit, non detur, *adventitium* verò, quod ab affectu Legislatoris, vel paciſcentium aut teſtantium dependeat, non negamus. Sic in jure Romano libertas ac dos, res favorabilis eſſe perhibetur, ſicut vice verſa, ſecundæ nuptiæ, apud multos erant odioſæ, in his autem exemplis non opus eſt, ut in interpretanda voluntate, favorem vel odium allegemus, cum rectius ad *affectum* eorum, â quibus actus dependet, provocemus.

§. 10. Dantur quoque conjecturæ aliunde, quam ex verbis ortæ, quæ efficiunt, ut *interpretatio* quandoque ſit *extendenda*, quandoque *coarctanda*. Etſi facilius dentur rationes, quæ ſuadeant interpretationem coarctari, quam extendi. Poteſt igitur lex ad caſum, qui in lege non exprimitur, extendi, ſi conſtet, rationem, quæ in illum caſum quadrat, unicam fuiſſe, quæ legislatorem moverit, eamque ab ipſo conſideratam fuiſſe in ſua generalitate, & ut æquipollentes quoque caſus complecteretur.

retur. Sed & extendi lex debet ad illos casus, qui in fraudem legis ab hominibus prave solertibus inveniuntur.

Observ. 430.

Dantur quoque conjecturæ aliunde, quam ex verbis ortæ) Sed hactenus memoratæ conjecturæ, ex verbis non sunt ortæ, verum â substrata materiâ similibusque circumstantiis dependent! Autoris sententia eo tendit, conjecturas hactenus fuisse occupatas circa sententiam legis vel pacti, ex verbis declarandam, nunc ad illam extendendam vel restringendam, illas quoque referri *vid. d. c. 12. §. 17.*

Observ. 431.

Etsi facilius dentur rationes) Referuntur hæ *d. §. 17.* cæterum in hac comparatione, nulla utilitas sita est, sufficit, si intelligas, causas, ob quas lex vel extendenda vel restringenda sit.

Observ. 432.

Potest igitur lex) Extensio legis ob varias causas sæpe tamen ob rationem legis aliûsve actûs fit, quo sensu accipienda doctrina Autoris *h.* quemadmodum etiam ut plurimum leges prohibitivæ extendi debent, cum salvis verbis, earum sententiam, circumvenire soleant homines prave solertes *vid. d. c.* 12. §. 17. 18. *add.* Thomas. *J. J. D. l. 2. c. 11. §. 85. seqq.*

§. 11. Ut autem verba generaliter posita *restringantur*, contingit aut ex *defectu voluntatis originario*, aut ex *casus emergentis cum volun-*

voluntate repugnantia. Quod aliquis ab initio, quid noluisse præsumatur, intelligitur 1. ex *absurdo*, quod alias inde sequeretur, id quod nemo sanus voluisse judicatur. Inde verba generalia sunt restringenda, in quantum alias absurditas inde erat emersura. 2. *Ex defectu rationis*, quæ unice ipsius voluntatem movit. Inde sub generali locutione non comprehenduntur casus, in quos ratio legis unica & adæqvata non qvadrat. 3. *ex defectu materiæ*, de qua semper is, qui loquitur, cogitasse censetur. Inde & ad eandem verba generalia semper sunt attemperanda.

Observ. 433.

Ut autem verba generaliter posita) Duplex adhibendæ restrictionis causa generalis esse perhibetur [1] si *voluntas originarie deficiat* i. e. certum aliquem casum ab initio statim non comprehendat (2) *si casus emergens cum voluntate pugnet* i. e. sub eadem non contineatur *add. d. c.* 12. §. 19. sed ita statim liquet, inter duas illas causas non esse justam oppositionem, sed eas potius coincidere, nam si voluntas originarie deficit, causas emergens non potest non ab eâ abire.

Observ. 434.

Quod aliquis ab initio quid noluisse) Defectum voluntatis ex triplici fundamento colligi posse censet Autor *h.* & *d. c.* 12. §. 19. 20. sed illa solum,

lum, exempli loco, aſſumenda ſunt, nam ex *affectu* aut *conditione* perſonæ, aliiſque circumſtantiis itidem voluntatem deficientem colligere licebit.

§. 12. Quod autem caſus, qui poſtea emergit, cum voluntate ejus, qui aliquid conſtituit, pugnet; id deprehenditur vel *ex naturali ratione*, vel *ex aliquo ſigno voluntatis*. Prius contingit, ſi ab æquitate foret diſcedendum, niſi certi caſus ab generali lege eximerentur. Eſt quippe *æquitas* correctio ejus, in quo lex deficit ob univerſalitatem. Quia enim non omnes caſus prævideri, nec ob infinitam varietatem exprimi poſſunt; ideo qvando generalia verba ad ſpeciales caſus ſunt adplicanda, eximendi ſunt illi caſ9, qvos exemtur9 fuerat ipſe legislator, ſi ſuper tali caſu conſultus fuiſſet. Ad iſthanc tamen æquitatem decurrere non licet, niſi ſufficientia indicia ſubigant. Inter quæ certiſſimum eſt, ſi adpareat, violatum iri legem naturalem, ubi preſſe quis literam legis humanæ ſeqvi velit. Proximum ab hoc, ſi non quidem illicitum ſit verba legis ſeqvi: ſed tamen rem humaniter æſtimanti id nimis videatur grave & intolerabile, ſive in univerſum omnibus hominibus, ſive certis perſonis; aut ſi finis tanti non videatur, qui tam care ſit redimendus.

Obſerv.

Observ. 435.

Quod autem casus) Uti Autor non rectè fecit duas adhibendæ restrictionis causas, cum saltem unica sit, ita falsæ doctrinæ, hic & *d. c.* 12. §. 21. addit aliam ambiguam, nam interpretandi principia, quæ laudantur, generalia sunt, ac ad omnem interpretationem pertinent, utique enim omnis interpretatio fit per *naturalem rationem*, ac ex *aliquo signo voluntatis* i.e. circumstantia voluntatem indicante!

Observ. 436.

Prius contingit) Aliis verbis repetitur, quod §. 11. *n.* 1. jam dictum est, nam restrictio, quæ inculcatur, ab *absurdo*, quod ea omissa, secuturum esset, desumitur.

Observ. 437.

Est quippe æquitas) Ita etiam docet Autor *l.* 5. *c.* 12. § 21. & jam supra *c.* 2. §. 10. *h. tr.* ita docuit. Verum accurate loquendo, æquitas & interpretatio restrictiva plane differunt, illa est dictamen juris naturalis, hæc actus mentis & species ratiocinationis, præterea nec hoc Autori concedendum, quasi circa solam interpretationem restrictivam, æquitas occurrat, cum hæc potius omnem interpretationem dirigat *add. Observ.* 62.

Observ. 438.

Proximum ab hoc) Quæ hic & *d. l.* 5. *c.* 12. §. 22. inculcantur, etiam sunt jam proposita §. 11. *n.* 2. 3. *h.* nimis enim manifestum est, quod restri-

ctio, ex consideratione *rationis* & *materiæ*, desumatur.

2. Poterit igitur omnis res breviter & perspicue sic proponi. Restrictione opus est, quoties deficit voluntas, defectum autem illum ex consuetis interpretandi fundamentis, inter quæ tria illa, quæ §. *u. h.* laudantur, utique occurrunt, colligimus.

3. Autor, dum nimis secure Grotium sequitur, in modo docendi varie impingit (1) facit duas adhibendæ restrictionis causas, cum saltem unica sit (2) tria adducit interpretandi fundamenta, cum tamen plura dentur (3) eandem rem, sub novis saltem, iisque ambiguis terminis, repetit (4) æquitatem, cum interpretatione restrictiva, vel confundit, vel illam huic soli adjungit.

§. 13. Denique & ab universali locutione facienda est exceptio, si verba alio loco posita cum præsenti lege aut pacto non quidem directe pugnant; sed propter certam temporis circumstantiam heic & nunc simul observari neqveunt. Heic igitur certæ sunt observandæ regulæ, ut intelligi possit, *quænam lex in eo casu, ubi utrique simul satisfieri nequit, præferri debeat.* 1. Id quod permittitur tantum, cedit ei, quod jubetur. 2. Quod faciendum est certo tempore, præfertur ei, quod quovis tempore fieri potest. 3. Affirmativum præ-

ceptum

ceptum cedit negativo; ſeu qvando præcepto affirmativo ſatisfieri nequit, niſi violato præcepto negativo, iſtius impletio erit in præſens omittenda. 4. Inter conventiones, legesq; cætera æquales, peculiaris præfertur generali. 5. Inter duas præſtationes, certo temporis articulo invicem colliſas, quarum una cauſas magis honeſtas aut utiles, quam altera habet, hanc iſti cedere par fuerit. 6. Injuratum pactum cedit jurato, quando utrique ſimul ſatisfieri nequit. 7. Obligationi perfectæ cedit imperfecta. 8. Lex beneficentiæ, cæteris paribus, cedit legi gratitudinis.

Obſerv. 439.

Denique & ab univerſali locutione) Aliquando duplex ſententia inter ſe *apparenter* pugnat, tum ex conſuetis interpretandi principiis explicatio genuina facienda eſt, aliquando autem *vere* ſibi invicem contrariatur, tum ſi contrarietas ſit *abſoluta*, obtinet regula §. *4. h. add. Obſerv.* 421. ſi autem *certo reſpectu* ſaltem occurrat, ex *materia ſubſtrata* præcipuè judicandum, utra alteri ſit præferenda.

Obſerv. *440.*

Heic igitur certæ ſunt obſervandæ regulæ) Ad illud fundamentum collimant regulæ hic laudatæ ampliusque illuſtratæ *l. 5. c. 12.* §. *23.* ſed ex iis quædam bene ſe habent, aliæ falſæ ſunt, quædam â ſcopo abludunt.

Observ. 441.

Id quod permittitur) Hæc regula eſt nullius momenti, verum quidem eſt, quod permiſſio cedat juſſui, ſed ſi hic ſpecialis, illa verò generalis ſit, hinc ſi rem invertas, permiſſio ſpecialis prævalebit juſſui generali, ut facilè liqueat, ex ſpecialitate, & generalitate, non juſſu & permiſſione, prærogativam eſſe judicandam.

Observ. 442.

Quod faciendum eſt certo tempore) Hæc regula rectè ſe habet, nam ex materiâ apparet, quod ſpecialia generalibus ſint præferenda.

Observ. 443.

Affirmativum præceptum) Hæc regula, ſi accipiatur de præceptis naturalibus, vera quidem eſt, ſed â ſcopo abludit, quia de interpretatione juris naturalis, jam non agitur, ſi vero de legibus poſitivis eo ſenſu exaudiatur, prohibitionem præferri juſſui, tum falſa vel ambigua eſt, nam omnis prærogativa hic iterum â ſpecialitate deſumenda eſt, hinc prout illa vel circa prohibitionem, vel juſſum occurrit, ita nunc illa, nunc hic potior erit.

Observ. 444.

Inter conventiones) Quarta hæc regula, ut &, quæ ſequitur, quinta, admitti debent, nam ſpecialia generalibus, magis neceſſaria minus neceſſariis, præferri debere, materia ſubſtrata evidenter inſinuat.

Observ.


Observ. 445.

Injuratum pactum) Hæc etiam regula ad falsas referri debet, nam si pacta sint contraria, tum posterius priori erit præferendum, sive juratum sive injuratum fuerit. Si autem sint diversa, tum speciale prævalebit. Videtur regula ex falsis hypothesibus, quibus jusjurandum, peculiarem obligationem producere, vel singularem interpretationem postulare existimatur habere originem.

Observ. 446.

Obligationem perfectæ) Hæc & sequens regula admitti quidem potest, sed pertinet ad jus naturale, de cujus interpretatione jam non agitur.

2. Verbo etiam attingenda hîc est *Legum applicatio*, quæ ab interpretatione in eo discernitur, quod hæc pertineat ad *legis sensum intelligendum*, adeoque ad *scholas* potissimum spectet, ille verò, præsuppositâ sensus cognitione, de *facti evenientis moralitate* sit solicita, atque ita ad *forum* respiciat. De cætero totum applicationis negotium, his regulis dirigitur (1) ad illud tantum respice, de cujus moralitate quæritur (2) genus legum applicandarum recte elige, ac legem controversiæ propriam inde sume (3) quo applicatio rite procedat, omnes facti circumstantias accurate expende. Hæc plana sunt, eademque cuivis Ratio facilè insinuat, ignaris tamen hic etiam via præmonstranda est.



SAMUELIS PUFENDORFII

DE

OFFICIO HOMINIS ET CIVIS

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

DE STATU HOMINUM NATURALI.

§. I.

PRoximum eſt, ut inquiramus de illis *officiis*, quæ homini obeunda incumbunt *ex diverſo ſtatu*, in quo in vita communi degere deprehenditur. Vocamus autem *ſtatum* in genere illam conditionem, in qua homines conſtituti intelliguntur ad certum genus actionum obeundum. Quem etiam peculiaria fere jura comitantur.

Obſerv.

Observ. 447.

Proximum est) Hanc connexionem minus probam esse, nec alia præcepta ac officia, â præcedentibus distincta, nunc inculcari, jam *Observ.* 241. diximus. Interim ambigua illa connectendi ratio, aliquam peperit confusionem, nam generalis de statu philosophia, quæ §. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. proponitur, ad explicationem legis naturalis pertinet *vid. Observ.* 79. *n.* 8. comparatio autem status naturalis & civilis, quæ §. 8. *seqq.* habetur, ad materiam Civitatis referri debebat.

Observ. 448.

Vocamus autem statum) De hoc diximus *d Observ.* 79. *n.* 8. Nimirum sicut homines *habitu* aliquo *physico* gaudent, ita natura & factum proprium, ipsis etiam *habitum* aliquem *moralem*, juxta quem actiones, ex legis naturalis præscripto, sint instituendæ, velut circumposuit. Porro sicut habitus ille physicus, *spatium* aliquod requirit, ita homines, ob moralem habitum seu dispositionem, in aliquo velut *spatio morali* concipiuntur, quod *status* nomine venit. Ita hujus indoles proprie concipienda est, sed sæpe illa accuratio negligitur, ac status & Dispositio seu Conditio, promiscue accipiuntur.

§. 2. *Status* hominum est vel *naturalis*, vel *adventitius*. *Naturalis triplici modo* considerari, solo prælucente rationis lumine, potest, vel in ordine *ad Deum Creatorem*, vel in ordine

ordine *ſingulorum hominum ad ſeipſos*, vel in ordine *ad alios homines.*

Obſerv. 449.

Status hominum eſt vel naturalis vel adventitius) In illo per naturam homines exiſtunt, in hoc propriâ voluntate conſtituuntur, de quo *Obſerv.* 78. 79. pluribus actum. Illud hic obſervandum, quod ſub ſtatu naturali contineatur (1) ſtatus humanitatis (2) ſexus, [3] religioſitatis [4] Philautiæ [5] Socialitatis & (6) æqualitatis. Juxta quinque priores ſignificatus, ſtatus naturalis opponitur adventitio, ſaltem ut *rei diverſæ*, hinc cum eo concurrit, juxta ultimum verò, ut *rei contrariæ*, hinc per adventitium ſpecialiter & generaliter, pro ratione facti præcedentis, tollitur.

Obſerv. 450.

Naturalis triplici modo conſiderari) Sed triplicis illius conſiderationis, prout hic inſtituitur, nullus eſt uſus, quin cauſatur illa potius aſſertiones falſas aut otioſas, dum connexa divellit, ac non neceſſaria comminiſcitur, ceu mox diſtinctio apparebit, quamvis alias, juxta verum ſenſum, diverſa illa conſideratio non male inſtituatur, ceu ex iis, quæ *Obſerv.* 78. diximus, colligi poteſt.

§. 3 *Priori modo* conſideratus naturalis ſtatus hominis eſt illa conditio, in quâ à Creatore eſt conſtitutus, dum eximium præ cœteris animal eundem eſſe voluit. Ex quo ſtatu

ſtatu fluit, quod homo debeat autorem ſui agnoſcere, colere, & ipſius opera admirari; ac diverſa plane ratione à brutis vitam ſuam exigere. Inde & ei ſtatui *opponitur vita & conditio brutorum.*

Obſerv. 451.

Priori modo conſideratus) Status naturalis in ordine ad Deum, cenſetur eſſe *humanitatis*, ac opponi *conditioni brutorum*, quæ rectè quidem dicuntur, ſed non recte, huic reſpectui ille ſtatus vindicatur, nam homo etiam in ſtatu humanitatis concipiendus eſt, ſi ad ſeipſum & alios referatur, rectius igitur homo, in ordine ad Deum, in ſtatu *religioſitatis* concipitur.

§. 4. *Altero modo* ſtatum hominis naturalem conſiderare poſſumus, ſi animo fingamus, qualis ejusdem conditio futura eſſet, ſi quilibet ſibi ſoli relictus foret ſine ullo adminiculo ab aliis hominibus accedente, & quidem poſita illa naturæ humanæ conditione, qualis jam deprehenditur. Quæ ſane miſerior, quam cujusvis belluæ videtur futura fuiſſe, ſi expendatur, quanta cum debilitate in hunc mundum jam egrediatur homo, periturus ſtatim ſine aliorum auxilio: & quam rudem ſit vitam idem exacturus, ſi nihil aliud cuique adeſſet, qvam quod propriis viribus ingenioqve debeat. Quin potius qvod ex tanta imbecillitate adoleſcere potuimus, quod

infi-

infinitis jam commoditatibus fruamur, quod animum corpusque in noſtrum & aliorum uſum excoluimus, id omne ab auxilio aliorum hominum provenit. Et in hoc ſenſu ſtatus naturalis ***opponitur vitæ per induſtriam hominum exculta.***

Obſerv. 452.

Altero modo) In ordine ad hominem ipſum, ſtatus naturalis perhibetur eſſe *ſolitudinis, add. l. 2. c. 2. §. 1. 2.* Verum licet ille ſtatus fingi, imo aliquando revera exiſtere poſſit, attamen uti illa fictio, ad explicandum juris naturalis fundamentum nihil omnino confert, ceu *Obſerv. 78. n. 11.* oſtendimus, ita, cum Deus hominem deſtinaverit ad ſocialitatem, adeoq;, ex intentione Dei, ſtatus naturalis, ſit ſocialis, oppido *ἀκύρως* ſtatus ſolitudinis, naturalis eſſe dicitur, cum potius ſit præternaturalis. Rectius hominem, in ordine ad ſeipſum, in ſtatu *Philautiæ temperatæ* conceperis.

§. 5. *Tertio modo* ſtatum hominis naturalem conſideramus, prout intelliguntur homines ſeſe invicem habere ex nuda illa & communi cognatione, quæ ex ſimilitudine naturæ reſultat ante pactum aliquod aut factum humanum, quo peculiariter unus alteri redditus fuit obſtrictus. Quo ſenſu in ſtatu naturali invicem vivere dicuntur, qui neque communem habent dominum, & qvorum unus alteri

non

non est subjectus, quique inter se neque beneficio neque injuria sunt cogniti. Quo sensu status naturalis *opponitur statui civili.*

Observ. 453.

Tertio modo statum) In ordine ad alios homines, status naturalis, *aequalitatis* esse censetur, quod recte quidem dicitur, sed reliqua status naturalis facies, quod scilicet sit, *humanitatis, sexus* & *socialitatis*, alios etiam homines respicit, quod implicite hic negari videtur, praeterea status ille aequalitatis, non *civili* tantum, ut Autor censet, sed generalius potius, *adventitio*, sub quo civilis, velut species exstantior, continetur, opponitur. Denique oppositionis modus, quod naturalis adventitio hic ut rei contrariae, opponatur, meritò quoque indicari debuisset.

§. 6. Hujus porro naturalis status indoles considerari potest vel prout *per fictionem* repraesentatur, vel prout *revera* existit. Prius fit, si vel concipiamus ab initio aliquam multitudinem hominum simul extitisse sine ulla unius ab altero dependentia; uti de Cadmaeis fratribus in fabulis est: vel si fingamus, totum genus humanum jam ita dissolutum esse, ut quilibet seipsum seorsim gubernaret, & nemo ulli alio esset vinculo conjunctus, quam similitudine naturae. Sed status naturalis, qui revera existit, id habet, ut quis cum

aliqvi-

aliquibus hominibus peculiari ſocietate jungatur; cum reliquis autem omnibus nihil præter ſpeciem humanam obtineat commune, nec alio nomine quidquam ipſis debeat. Qualis ſtatus jam inter diverſas civitates ac cives diverſarum rerum publicarum exiſtit, & quondam inter patresfamilias ſegreges obtinebat.

§. 7. Manifeſtum quippe eſt univerſum genus humanum nunquam ſimul & ſemel in ſtatu naturali extitiſſe. Qui enim ex protoplaſtis geniti erant, ex quibus quidquid eſt, mortalium originem ducit, prout divinæ tradunt ſcripturæ, eidem poteſtati patriæ *ſubjecti* erant. Neque tamen eo minus poſtea ſtatus hicce naturalis inter quosdam homines emerſit. Nam primi mortalium, ut orbem adhuc vaſtum implerent, & laxiorem ſibi ſuisque pecoribus habitationem quærerent, relictis laribus paternis in diverſa diſceſſerunt, ſuamque ſibi fere ſinguli mares familiam conſtituerunt. Inter quorum poſteros itidem ſeſe diſpergentes, peculiare cognationis vinculum, & ortus inde affectus, paulatim exolevit, & commune tantum illud, ex ſimilitudine naturæ reſultans, remanſit. Donec poſtea, cum genus humanum inſigniter fuiſſet multiplicatum, deprehenſis vitæ ſegregis in-

incommodis, paulatim proximi quique cohabitantes in civitates coivere, minores primo, dein majores, ex pluribus minoribus ultro aut per vim coalitis. Quas inter civitates utpote nullo alio, quam communis humanitatis vinculo junctas, ſtatus naturalis utique exiſtit.

Obſerv. 454.

Hujus porro naturalis ſtatus) Univerſaliter & abſolute ſtatus naturalis inter homines revera non exiſtit, ſed tantum per fictionem repræſentatur, cujus quidem fictionis, in explicanda Officiorum diverſitate, ac Civitatum origine, aliqua eſt utilitas; Particulariter vero aut temperatè ſtatus naturalis exiſtere poteſt & ſolet, quod amplius §. 6. 7. *h.* oſtenditur, *add. l.* 2. *c.* 2. §. 4.

§. 8. Eorum autem, qui in ſtatu naturali vivunt, hoc eſt præcipuum *jus*, quod nemini præterquam Deo ſint ſubjecti, atque obnoxii. Quo reſpectu etiam ille ſtatus nomine *libertatis naturalis* venit; per quam quilibet citra antegreſſum factum humanum ſui juris poteſtatisque, ac nullius hominis imperio ſubjectus eſſe intelligitur. Quo ipſo etiam quivis cuivis alteri, cui neq; ipſe ſubjectus eſt, neque eundem ſibi ſubjectum habet, *æqualis* cenſetur. Cum porro homini lumen rationis ſit inſitum, quo prælu-

cente actiones ſuas temperare poſſit; conſequitur, quemlibet, qui in naturali libertate vivit, in regundis ſuis actionibus à nullo mortalium dependere; ſed ex proprio judicio atque arbitrio omnia, quæ ſanæ rationi congruunt, agendi habere poteſtatem. Et cum homo ob communem inclinationem omnib9 animantibus inſitam non poſſit non ad conſervationem ſui corporis vitæqve nec non ad diſpellenda ea, quæ eandem deſtruere videntur, omnibus modis incumbere, mediaque ad eum finem adhibere; & vero in ſtatu naturali nemo habeat alterum hominem ſuperiorem, cui voluntatem judiciumque *ſuum* ſubmiſerit, inde in eo ſtatu quilibet ex proprio judicio definit de aptitudine mediorum, an ad conſervationem ſui conducant, nec ne. Nam ſi vel maxime alterius conſilium audiat, penes ipſum tamen eſt, an velit alienum conſilium probare vel non. Ut tamen iſthæc propria ſui gubernatio recte ſeſe habeat, requiritur, ut ea juxta dictamen rectæ rationis, legemque naturalem ſuſcipiatur.

Obſerv. 455.

Eorum autem) Hoc facilè liquet, in ſtatu naturali ſummam eſſe libertatem & æqualitatem, non tamen omnimodam, cum utique leges natu-

naturales multa, etiam in hoc ſtatu, exigant, atque hac reſtrictione, abſurdam Hobbeſii ſententiam, recte correxit Autor *h.* & *l.* 2. *c.* 2. §. 3. Cæterum libertas, ſumma dicitur quoad ſingulos, nam alias Imperantis libertas, in ſtatu civili, longe major eſt, propter plura objecta, circa quæ illa verſatur.

§. 9. Status naturalis, utut libertatis nomine, & immunitatis ab omni ſubjectione inſigniter blandiatur; idem tamen antequam ab hominibus in civitates fuerit conceſſum, plurima habet adjuncta *incommoda*; ſive fingamus, omnes & ſingulos in eo exiſtere, ſive conſideremus conditionem patrum familias ſegregum. Nam ſi animo concipias hominem etiam adulta ætate in hoc mundo deſtitutum ſolum, & ſine omnibus commodis & adminiculis, qvibus vitam cultiorem & molliorem reddidit ſolertia hominum; videbis animal nudum, mutum, inops, famem radicibus & herbis, ſitim obvia aqva, injurias aëris antris utcunque diſpellens, feris beſtiis expoſitum, & ad cujusvis occurſum pavidum. Paulo cultior vita potuit eſſe inter eos, qui in familiis ſe gregibus degebant. Sed quæ tamen cum vita civili nullo modo comparari poterat, non tam ob indigentiam, quam inter coërcitas cupiditates familia ſic ſatis videtur

posse dispellere, quam quod securitati parum ibi sit consultum. Et ut in pauca rem conferamus, in statu naturali quisque propriis tantum viribus protegitur; in civitate omnium: ibi fructus ab industria sua nemini certus; heic omnibus: ibi imperium affectuum, bellum, metus, paupertas, fœditas, solitudo, barbaries, ignorantia, feritas: heic imperium rationis, pax, securitas, divitiæ, ornatus, societas, elegantia, scientiæ, benevolentia.

Observ. 456.

Status naturalis, utut libertatis nomine) Instituitur comparatio status naturalis & civilis, *Ille* hôc libertate præstat, sed hic vice versa variis commodis gaudet, quæ ab illo exulant. Cæterum assertio illa non penitus quidem rejicienda est, parum apte tamen hic deducitur & probatur.

Observ. 457.

Nam si animo concipias) Primum argumentum, quo incommoda status naturalis probantur, desumitur â *solitudine*. Sed illa solitudo saltem fingitur, revera autem non existit, nisi aliquando inter paucos homines & ad breve tempus, nam alias statum naturalem esse socialem, manifestum est, ac ab ipsomet Autore, contra dissentientes adstruitur *l. 2. c. 2. §. 5. in fin.* Utut igitur ex hypothesi solitudinis, statum

tum naturalem, miserum dicere liceat, attamen cum præsuppositum saltem fingatur, nec id, quod inde elicitur, vere adesse potest.

Observ. 458.

Paulo cultior) Alterum argumentum petitur à *ruditate & securitatis defectu.* Enimverò quod ultimum attinet, gratis omninò tantus metus in status naturali asseritur, cui ab hominibus, per familias distributis, non potuerit occurri, id quod *c. 5.* pluribus ostendam. Primum verò quod concernit, observandum est, quod vita exculta, vel elegantia & splendor conversationis civilis in civitatibus non ubique occurrat, sed tantum in urbibus magnis & populosis hinc generaliter statui civili, præ naturali, prærogativa tribui nequit, præterea observandum, quod sæpe vita simplex, candida, doli & fuci expers, nomine vitæ inexcultæ aut barbaræ traducatur, vanitas vero, stultitia ac fucata malitia, pro morum elegantia habeatur, ut hactenus status civilis, naturali non valde præstare videatur!

Observ. 459.

Et ut in pauca rem conferamus) Non in summam hactenus dicta contrahuntur, sed potius, comparatio longe largior, inter statum naturalem & civilem, nunc instituitur. Sed dum Autor philosophiam Hobbesii *de civ. c. 10. §. 1.* secure nimis sequitur, & veritati & sibi ipsi quodammodo obloquitur, videamus distinctius!

Observ. 460.

In statu naturali quisque propriis tantum viribus protegitur, in civitate, omnium) Sed cur non liceat in statu naturali pacta quoad mutuam defensionem inire? sic sane defensio viribus conjunctis fiet, & licet illa cum defensione, quam civitas bene composita præstare apta est, conferri nequeat, attamen illa repellendis malis, quæ in statu naturali, ante exortas civitates, occurre possunt, sufficit, præterea id etiam observari meretur, quod in civitatibus sæpe omnium viribus singuli opprimantur, quod malum in statu naturali haut metuendum.

Observ. 461.

Ibi fructus ab industria sua nemini certus, heic omnibus) Sed utrumque probandum erit! In statu naturali sæpe securius industriæ suæ fructu quis gaudet, quam civili, in quo non raro per malos Imperantes, ad sanguinem usque, miseri subditi exhauriuntur. Percurramus cætera, inspersâ brevi paraphrasi: *Ibi imperium affectuum*[pravos affectus in statu naturali non penitus esse cessaturos, ex indole hominum facile intelligitur, sed quod ibi sit imperium affectuum, i. e. affectus ibi in summo gradu dominentur, nec tam pravi in statu civili occurrant, illud utique gratis dicitur) *bellum* [sed ex accidenti, nec tam grave sicut exortis civitatibus geri solet, nam statum naturalem, non esse hostilem, sed socialem, ex genuinis

aff-

principiis certum eſt, ac ab ipſo Autore §. *11. b.* aſſeritur latiusque contra ineptas Hobbeſii ſtrophos, deducitur *l. 2. c. 2. §. 5. ſeqq.*) *metus* (ſed ſuppetunt etiam media illum reprimendi, præterea, exortis civitatibus, major metuendi cauſa exiſtit) *paupertas* [quoad ignavos aut prodigos, nam labore & parſimoniâ, neceſſaria vitæ adminicula facile parari & conſervari poterunt) *fœditas, ſolitudo, barbaries, ignorantia, feritas* (hæc ex falſa Hobbeſii hypotheſi, qua ſtatus naturalis, hoſtilis eſſe contenditur, fluunt, qua negata, conſectaria quoque ceſſant, quin interim ex accidenti, illa incommoda ſtatum naturalem infeſtare poſſint & ſoleant, non negatur, ſed nec eadem â ſtatu civili penitus abſunt) *heic imperium rationis* (hoc ſcilicet ambitionis, avaritiæ, voluptatis, injuſtitiæ ac inhumanitatis monſtra, quæ in aulis dominari ſolent, ac inde in ſubditos quoque, maximam partem, deveniunt, oſtendunt!) *pax, ſecuritas* (hoc ex horrendis perſecutionibus, quas nonnunquam ſubditi patiuntur, ex bellis crudeliter geſtis intelligitur!] *divitiæ* [de quibus innumerus mendicorum numerus, ſubditique ad ſanguinem uſque exhauſti, teſtantur!] *ornatus, ſocietas, elegantia, ſcientiæ, benevolentia,* ſed his nomibus ſæpe vanitatem & ſtultitiam, pedantismum, pravos affectus ac ſubtiles fallendi artes tegi, certum eſt, ſi quid autem boni iis ineſt, id à ſtatu naturali etiam non penitus exulat.

2. Hactenus igitur comparatio ſtatus naturalis & civilis, non ſatis recte vel inſtituta, vel explicata videtur. Rectius forſitan eam juxta triplicem quæſtionem expedies (1) *qualis tam naturalis quam civilis ſtatus, ex intentione Dei, eſſe debeat?* uterque ſocialis & felix (2) *qualis juxta malitiam humanam eſſe ſoleat?* uterque inſocialis & infelix (3) *qualis per media humana eſſe queat?* heic fatendum eſt, quod civis, magis ſocialis & felicior eſſe poſſit naturali, cum per imperium civile, malitia humana efficacius reprimi, ac adeo ſocialitas conſervari & felicitas promoveri queat. Sed illa vera ſunt, ſi legitimus imperii civilis ſit uſus, ſi verò ejus occurrat abuſus, qui *ſane* frequentiſſimus eſt, tum ſtatus civilis, naturali longe infelicior cenſeri debet, quod tot bella, calamitates & vitia, ex abuſu illo provenientia, ac â ſtatu naturali abfutura, ſatis demonſtrant.

§. 10. In ſtatu porro naturali, ſi vel quis alteri ultro non præſtet, quæ ex pacto debet, aut ſi injuriam intulit, aut ſi alias controverſiæ quid oriatur.; nemo eſt, qui pro imperio alterum ad præſtandum debitum, reparandamvè injuriam adigere, litemque decidere poſſit; uti in civitatibus, ubi judicis communis auxilium implorare datur. Quia tamen non ob quamvis cauſam natura in bellum ruere permittit, etiam ubi quis de juſtitia

ſuæ

ſuæ cauſæ ampliter ſit perſuaſus: igitur prius tentandum, num molliori via res poſſit componi, diſceptatione ſcilicet partium amica, & puro (non conditionato) compromiſſo, ſeu *provocatione ad arbitros*. Qui arbitri æquos ſeſe utrique parti gerere debent, & in ferenda ſententia nihil odio aut gratiæ dare, ſed unice merita cauſæ reſpicere. Quam ob rationem etiam non ſolet qvis capi arbiter in ea cauſa, in qua ipſi commodi, vel gloriæ peculiaris ſpes major adparet ex victoria unius partis, quam alterius; adeoque ubi ipſius intereſt alterum quocunque modo cauſam obtinere. Hinc & nullum pactum aut promiſſum intercedere debet inter arbitrum & partes, cujus vi pronunciare in gratiam alterius teneatur. Quod ſi arbiter neque ex communi partium confeſſione, neque ex certis inſtrumentis aut indubiis rationibus & ſignis quid in facto ſit cognoſcere valeat, ex effatis *teſtium* id erit cognoſcendum. Quos licet ad verum dicendum lex naturalis, & plerunque juramenti religio adſtringat: tutiſſimum tamen fuerit tales non admittere, qui erga alterutram partem ita ſunt affecti, ut conſcientiæ ipſorum cum gratia, odio, vindictæ libidine, alioque violento animi motu, aut etiam arctiore quadam neceſſitudine ſit

 vel-

velut luctandum: quibus superandis non omnibus sat constantiæ est. Aliquando etiam per communium amicorum interpositionem lites tolluntur; quod merito inter sanctissima officia habetur. Cæterum in hoc statu exsecutionem, ubi ultro ab altero non præstatur, quod debetur, sibi quisque facit.

Observ. 462.

In statu porro naturali) De modo litigandi, juxta præscriptum juris naturalis, tam intuitu status naturalis quam civilis, alio loco agendum erat, sed uti, hujus respectu, nihil omnino proposuit Autor, ita, ejus intuitu, nonnulla hic inserere voluit, quæ potissimum spectant ad civitates, in statu naturali existentes. Id facilè liquet, opus esse modo hoc litigandi, *ortâ controversiâ*, cum enim hanc communis judex decidere nequeat, & tamen regulæ humanitatis in bellum statim ruere prohibeant, hinc de molliori processu prius laborandum §. *10. b. add l. 5. c. 13.* §. *1. 2. 3.*

Observ. 463.

Disceptatione scilicet partium amica) Possunt igitur lites tolli per comunium amicorum interpositionem, quæ uti inter sanctissima Officia merito ab Autore *in fine b.* refertur, *add. d. c. 13.* §. *3.* ita inter Gentes ambitiosas viribusque ac potentià subnixas, raro effectum habet, frequentius verò, postquam armis fuit certatum, ani-

animorumque vigor belli malis est fractus, controversiæ amicorum interventu, per tractatus & transactionem componi solent.

Observ. 464.

Et puro non conditionato compromisso) Deinde etiam per arbitros controversiæ terminari possunt, qui compromisso non conditionato constituendi esse perhibentur, quod eo sensu verum est, quod conditio, sententiam arbitri, à voluntate & ratihabitione compromittentium suspendere non debeat, nam, alio sensu conditiones adjici, nihil prohibet *add. d. c.* 13. *§.* 3.

Observ. 465.

Qui arbitri æquos sese) De officio & potestate arbitrorum, ex prævio compromisso judicandum, quod naturale est & latius diducitur *d. c.* 13. *§.* 4. 5. 6. 7. Potest etiam de possessione arbiter pronunciare, si jus possessionis sit evidens, quod contra Grotium in *Observat. ad Lauterbach.* jam adstruxi *Observ.* 1081. *n.* 2. *add. d. c.* 13. §. 6.

Observ. 466.

Quam ob rationem etiam non solet) Hæc ad regulas prudentiæ pertinent, si quis secus fecerit, ac arbitro suspecto causam suam committat, is imprudenter quidem agit, eam solam tamen ob causam, si dolus ac sordes arbitri non appareant, sententiam latam improbare non potest.

Observ.

Observ. 467.

Hinc & nullum pactum) Tale pactum ſcopo compromiſſi contradicit, adeoque cum eo ſimul conſiſtere nequit. Sed ita ſolent Gentes agere: controverſias majoris momenti arbitrorum ſententiæ non facilè committunt, ac eo forte facto, ſententiam tacitis artibus eludere conantur, aut, ſi hac viâ res non procedat, eam aperte ſpernunt.

Observ. 468.

Quòd ſi arbiter) Inter partes officii, quod arbitro incumbit, quoque eſſe, ut de facti veritate, ac genuina probatione ſit ſollicitus, facile liquet. De cætero probatio, vel confeſſione partium, vel inſtrumentis, vel teſtibus peragitur. Poterit etiam partibus jusjurandum deferri, & quidem, ſi circumſtantiæ & æquitas id exigant, etiam ſine alterius conſenſu, quamvis aliter ſentiat Autor *l. 5. c. 13.* §. 8. ſed de hoc fruſtra forte diſputatur, cum feroces Gentes nec juramentum tale facile ſubeant, nec Arbiter, invitis Partibus, illud temere decernat.

Observ. 469.

Quod licet ad verum dicendum) Quid lex naturalis Teſtibus injungat, aut Prudentia in iis admittendis exigat, de quo *h. add. d. c. 13. §. 9.* id facile intelligitur. Numerum verò quòd attinet, ratio naturalis etiam inſinuare videtur, quod unius teſtimonium non ſufficiat, duorum tamen, non ſuſpectorum, & omni exceptione majorum (quales cenſeri nequeunt,

niſi

nisi etiam de dicenda veritate juraverint) effato fides fieri possit *add. d. c.* 13. §. 9.

Observ. 470.

Cæterum in hoc statu) Executio rei judicatæ, non ab arbitro, sed victore ipso fit; Verum ubi ad vim deventum fuerit, raro intra terminos executionis consistitur, quin potius condemnatus non segnius vim repellit, quam alter infert, ut facile liqueat, inter Gentes bellicosas, raro molliori aliquo remedio controversiam componi, sed Marte judice, omnia ferè peragi *add. d. c.* 13. §. 10.

§. 11. Quanquam autem natura ipsa inter homines aliquam cognationem esse voluerit, cujus vi nefas si alteri homini nocere, & potius fas sit cuivis aliorum commodis sese dispensare: tamen inter eos, qui in naturali libertate invicem vivunt, hæc cognatio sat debiles fere exserit vires, ita ut quivis homo, qui non est noster civis, seu quicum in statu naturali vivimus, non quidem pro hoste, sed tamen pro *amico parum firmo* sit habendus. Cujus rei ratio est, quod homines non solum sibi invicem maxime possint, sed & variis de causis sæpissime velint nocere. Alios quippe pravitas ingenii, aut dominandi & superflua habendi libido ad lædendos alios incitat; alii modesto licet ingenio, studio se conservandi, & ne ab aliis præveniantur, in

arma

arma ruunt. Multos ejusdem rei desiderium, alios ingeniorum contentio committit. Inde in isto statu tantum non perpetuæ vigent suspiciones, diffidentia, studium aliorum vires subruendi, libido alios præveniendi, aut ex aliorum ruina vires suas augendi. Ergo uti probi est hominis rebus suis contentum alios non lacessere, nec aliena adpetere: ita cauti est, suæque salutis amantis ita omnes homines amicos credere, ut tamen iidem mox hostes fieri queant: ita pacem cum omnibus habere, quasi quæ mox bello mutari possit. Qua de causa & felix habetur res publ. quæ etiam in pace de bello cogitat.

Observ. 471.

Quanquam autem natura) Rectius hic Autor de statu naturali philosophatur quam §. *9. b.* Est scilicet status *socialis*, sed *parum tutus*, cujus causa generalis est *malitia humana*, quæ vincula legum facilè perrumpit, nisi præsentaneo aliquo malo reprimatur.

Observ. 472.

Ergo uti probi est hominis) Egregium hoc est socialitatis & prudentiæ monitum, de cætero, pro diverso status naturalis habitu, intenditur aut remittitur, nam si homines in statu naturali dispersos, aut per familias exiguas distributos supponas tum, quia tam validè nocere non possunt tanta circumspectione non sunt obser-

obſervandi, quodſi verò in valida corpora ſeu civitates digeſti ſint, tum in pace ſemper de bello, non inferendo, ſed repellendo, cogitandum eſt *add. l. 2. c. 2.* §. 12.

CAPUT II.

DE OFFICIIS CONJUGALIBUS.

§. I.

INter *ſtatus adventitios*, ſeu in quibus homo facto aliquo humano autecedente conſtituitur, primo loco venit *matrimonium*. Quod ipſum etiam eſt primum velut ſpecimen vitæ ſocialis, ſimulque generis humani ſeminarium.

Obſerv. 473.

Primo loco venit matrimonium) Circa hoc initio obſervandum, quod duplex jus naturæ ſæparari debeat, *commune*, quod inter conjuges læſionem prohibet, ac damnum reſarciri, aut fidem datam ſervari jubet, & *proprium*, ac quod unicè ad propagationem pertinet, explicatu ſatis difficile eſt. Summam retulimus *Obſerv.* 79.

79. n. 5. nempe *homines genus suum propagare debent eo modo, qui & naturæ propagantium sociali convenit, & homines natos ad religiositatem, philautiam temperatam & socialitatem, quam optimè disponit*, ex quo conclusiones speciales hic deducere conabimur.

§. 2. Circa hoc initio constat, ardentem illum sexuum inter se proclivitatem à sapientissimo Creatore institutam non ad inanem voluptatem satiandam; quippe quæ unice spectata summam fœditatem & confusionem in genere humano excitatura erat: sed tum ut eo jucundior inter conjuges esset conversatio, tum ut eo lubentius homines propagationi sobolis operam darent, ac *molestias* tolerarent, quæ istius susceptionem atque educationem comitantur. Ex quo consequitur, naturali legi repugnare omnem usum membrorum genitalium, qui ab hisce finibus abit. Quo nomine etiam vetita libido in diversam speciem, aut eundem sexum ruens; quævis fædæ pollutiones, & denique omnis commixtio sive mutuo consensu suscepta, sive invitæ fœminæ intentata extra matrimonium.

Observ. 474.

Circa hoc initio constat) Primo igitur ex illo præcepto consequi videtur, *libidinem* seu *Venerem inanem jure naturali prohiberi*, ceu Autor *h.*

con-

contendit *add. l. 6. c. 1. §. 2. 4.* nam ex fine, de moralitate medii, videtur judicandum, hinc omnis usus membrorum genitalium, qui *contra & præter* finem propagationis est, jure naturali prohibitus censeri debet, licet alii dissentiant *vid.* Thomas. *J. J. D. l. 3. c. 2. §. 21. seqq.* Habet igitur voluptas Veneri addita, rationem incitamenti vel præmii, quo homines ad molestam Generis sui propagationem eò magis permoveantur, quam adeo seorsim, sine scopo principali, vel obtinendo vel obtento, expetere fas non est.

§. 3. *Obligatio ad contrahendum matrimonium* considerari potest vel in *respectu ad totum genus humanum*, vel *in respectu ad singulos*. *Illa* in eo consistit, quod propagatio speciei humanæ haut quidquam sit instituenda per vagos & solutos concubitus; sed utique legibus connubialibus circumscribenda, adeoque per matrimonium duntaxat exercenda. Citra hoc enim decora & bene disposita inter homines societas, vitæque civilis cultus intelligi nequit. *Singuli* autem ad matrimonium in eundũ tenentur, quando commoda sese ejus occasio offert: quam tamen non sola ætas generandique facultas absolvit; sed ut copia quoque sit decentis conditionis, nec non facultas alendi uxorem & prolem nascituram: ac ut mas quoque sit idone-

us ad gerendam personam patrisfamilias. Nisi tamen aliquis compositus sit ad exigendum castum cælibatum, sentiatque plus se utilitatis posse procurare humano generi, aut civitati cælibem, quam uxoratum; præsertim ubi nulla prolis penuria sit metuenda.

Observ. 475.

Obligatio ad contrahendum matrimonium) Porro ex præcepto præsupposito judicandum, *an* & *quomodo* homines genus suum propagare debeant. Circa primam quæstionem recte quidem Autor monet, quod illa vel *in respectu ad totum genus humanum*, vel *singulos* considerari possit, sed dum eam, juxta primum respectum, decidere vult, quæstionem *an* & *quomodo*, confundit, seu ab illa, ad hanc delabitur.

Observ. 476.

Illa in eo consistit) Hæc â scopo abludere, jam dixi, hoc potius quærebatur, *an homines genus suum propagare debeant?* quod dubio procul asserendum, nam alias genus humanum, contra finem â Deo intentum, interiret, nec etiam hac in parte ulla subest difficultas aut scriptorum dissensus *add. d. l. 6. c. 1.* §. *3.* de altera vero quæstione, *quomodo propagatio facienda sit*, quam Autor hic intempestive immiscuit, mox dicemus.

Observ. 477.

Singuli autem) In quantum singuli ad generis sui propagationem teneantur, satis hic exponitur,

tur, quæ etiam ex fine à Deo intento, eique surrogato præcepto antea relato, facile deduci possunt; Aliquando obligatio propagandi, pro ratione status, in hoc vel illo intenditur *add. l. 6. c. 1. §. 6. 7. 8.* Thomas. *J. J. D. l. 3. c. 3. §. 9. seqq.*

§. 4. Inter eos, qui matrimonium inituri sunt, intervenire solet & debet *pactum*, quod ubi *regulare & perfectum* fuerit, hisce capitibus absolvitur. *Primo*, quia vir, abs quo ut contractus incipiat utriusq; sexus indoli magis congruit, propriam utique sibi sobolem intendit quærere, non suppositi tiam aut adulterinam; igitur *fidem dare viro debet fœmina*, quod nemini præterquam ipsi corporis sui usuram velit concedere. Quod itidem *à marito fœmina vicissim* solet stipulari. *Deinde* cum nihil magis ab indole vitæ socialis & civilis abhorreat, quam vita vaga ac desultoria, incerto lare, nulla fortunarum sede; cumque communis sobolis educatio commodissime instituatur conjunctis utriusque parentis operis; ac cohabitatio continua plurimum contineat jucunditatis inter conjuges bene compositos, per quam etiam marito certius de castitate uxoris constare potest: igitur in id quoque fidem marito dat uxor; quod *viro continuo cohabitare*, adeoque in arctissimam vitæ societatem, eandemque familiam cum ipso

coaleſcere velit. Cui ipſi & mutua promiſſio de tali invicem converſatione, qualem indoles ejus ſocietatis requirit, ineſſe intelligitur. Quia autem non ſolum naturali utriusque ſexus conditioni maxime congruit, ut in matrimonio viri conditio ſit potior, ſed & maritus familiæ, à ſe utique conſtitutæ, caput ſit; conſequitur, ut uxor in negotiis matrimonium ac familiam concernentibus directioni mariti ſit obnoxia. Inde & mariti eſt de domicilio conſtituere; nec uxor iſto invito peregre abire aut ſecubare poteſt. Tale tamen imperium, quod jus vitæ & necis, gravemque coërcitionem, nec non plenam poteſtatem circa quævis bona uxoris diſponendi comprehendat, ad eſſentiam matrimonii neceſſarium non videtur: ſed iſtud ex peculiaribus pactis inter conjuges, aut ex legibus civilibus alicubi conſtituitur.

Obſerv. 478.

Inter, eos qui matrimonium) Poſtea etiam quæritur, *quomodo homines genus ſuum propagare debeant?* Non per vagos & ſolutos concubitus, ceu recte Autor *§.3. h.* dixit, ſed pacto & ſocietate conjugali circumſcriptos *§.4. h. add. l. 6. c. 1. §. 5.* nam pecuina illa propagandi ratio, nec naturæ propagantium rationali & ſociali convenit, nec ſobolem natam, ad legis natura-

ralis obſervantiam, reddit aptam, hinc merito jure naturali prohibita cenſetur.

Obſerv. 479.

Primo quia Vir) Sic ergo, ex præſcripto juris naturalis, futuram propagationem, antecedere debet pactum, quo ſobolem propagaturi, in arctiorem quandam ſocietatem conjungantur. Hoc pactum, uti cum aliis id habet commune, quod verus ad illud requiratur conſenſus, de quo *l. 1. c. 9. h.* generaliter actum *conf. l. 6. c. 1.* §. *26.* Thomaſ. *J. J. D. l. 3. c. 2.* §. 87. *ſeqq.* ita quæ ejus capita eſſentialia ſint, ad quæ ſcilicet conſtituenda, jus naturale, ex hypotheſi pacti ineundi, antecedenter obliget, hic inquirendum eſt.

Obſerv. 480.

Abs quo ut contractus) Hoc ad eſſentialia capita non pertinet, ſed conſuetudinis & ſolennitatis eſt *add. d. l. 6. c. 1.* §. 9. 10. Eſt igitur [1] caput eſſentiale, quo conjuges *corporum conjunctionem ſibi mutuo promittunt*, nam ſine hoc finis intentus obtineri nequit, atque de hoc nullum etiam eſt dubium.

Obſerv. 481.

Propriam utique ſibi) Porro (2) *quo fœmina ſoli marito uſuram corporis pollicetur*) id quod non tantum ex *affectu mariti*, quem Autor hic urget, ſed &, ex *præſcripto juris naturalis antecedente*, fieri debet. An verò vice verſa maritus idem fœminæ promittere debeat, quæſtio-

nis magis dubiæ eſt, ſed utrumque ad *§. 5. h.* diſtinctius paululum expediemus.

Obſerv. 482.

Deinde cum nihil magis) Denique [3] *quo fæmina viro cohabitationem continuam promittit*, quod præcedens conſequitur *add. d. c. 1.* §. 10. Tria hæc capita, per præceptum ab nobis *Obſerv.* 473. præſuppoſitum, requiri omnino videntur, hinc ſi promiſſio accedat, duplici vinculo conjuges obſtringuntur. Interim alii ex ſuis hypotheſibus diſſentiunt, ac duo poſteriora capita eſſentialia negant, *vid.* Thomaſ. *J. J. D. l. 3. c. 2.* §. 100. *ſeqq.* ſed quamdiu principium antea præmiſſum ſubſiſtit, tamdiu de concluſionibus hic allatis non deſpero.

Obſerv. 483.

Qui autem non ſolum) Imperium proprie dictum, conjugalis ſocietas non requirit, directio tamen ut ſit penes conjugem prudentiorem, id naturale eſt, cumque ut plurimum ſexus maſculinus fœminino, animi & corporis robore præſtet, hinc, hoc ſenſu, directio marito tribuitur.

Obſerv. 484.

Tale tamen imperium) Hoc mero jure naturali meritô negatur, *vid. d. l. 6. c. 1.* §. 9. 10. 11. 12, 13. de jure tamen divino poſitivo univerſali, aliquod imperium marito tribui ſolet, *vid.* Thomaſ. *J. J. D. l. 3. c. 3.* §. 35. *ſeqq.* ſed forte hoc nomine nihil aliud innuitur, quam directio, ex præſtantiâ ſexûs reſultans. Illud certum nobis

bis videtur, quod imperium iſtud, non involvat poteſtatem, pro lubitu uxorem inſultandi, aut eam ob delictum, per judicii modum, coercendi, nam ſi uxor ob convitia aliasque injurias marito illatas, ab eodem male habeatur, id jure belli fit, ac ex communi defenſionis jure reſultat, nec ſpecialem permiſſionem præſupponit.

§. 5. Porro uti illud manifeſte legi naturali repugnat, *unam mulierem pluribus viris ſimul* cohabitare: ita ut *unus ſimul duas pluresvè uxores* habeat, apud plurimas gentes, & in ipſo quondam Judaico populo receptum. Nihilominus ſi vel maxime à primæva matrimonii inſtitutione in divinis literis tradita abſtrahamus; ex ipſa tamen recta ratione conſtat, longe decentius juxta atque utilius eſſe, unum una eſſe contentum. Id quod & uſus omnium, quas novimus, gentium Chriſtianarum à tot ſeculis comprobavit.

Obſerv. 485.

Porro uti illud manifeſte) De ſecundo pacti matrimonialis capite, quod *Obſerv. 481.* laudavimus, paulo diſtinctius hic agendum. Quærebatur ſcilicet, *an conjuges ſibi ſolis uſuram corporis promittere debeant?* quæ quæſtio etiam ſic proponi poteſt, *an polygamia ſit prohibita?* nam de venere vagâ & ſolutâ, â conjugibus exercendâ, non opus eſt quærere, cum ea in gene-

re jure naturali sit prohibita, ceu *Observ.* 474. 478. adstruximus.

2. Autor igitur censet, Polyandriam jure naturali esse prohibitam *add. d. c.* 1. §. 15. quod probamus, nam hujus conjunctionis nullus legitimus finis allegari potest, sed fit vel ob solam libidinem, vel propagationem impedit, vel incertam sobolem dat, ac in universum à natura hominis rationali & sociali abhorret, corruptissimosque mores præsupponit.

Observ. 486.

Ita ut unus simul duos) De Polygyniâ nota est controversia, dum eam nonnulli non tantum licitam, sed & præceptam pronunciant. Quod illa multis Gentibus in usu fuerit, imo adhuc sit, hic recte asseritur, ampliusque *d. c.* 1. §. 16. illustratur, sed inde solum patet, quid fiat, non quid fieri debeat.

Observ. 487.

Nihilominus si vel maxime) Communior est sententia, quod, extra casum specialis pacti, Polyginia, jure naturali sit licita *vid. d. c.* 1. §. 17. 18. Thomas. *J. J. D. l.* 3. *c.* 2. §. 200. *seqq.* prohibeatur tamen Jure divino positivo universali, quod ejusdem, cum jure naturali, sit autoritatis & effectus *vid.* Thomas. *d. tr. l.* 3. *c.* 3. §. 76. *seqq.* Hanc sententiam ejusque fundamentum Autor hic innuit, egoque ipsam etiam approbavi in *Specim. Jur. Eccles. l.* 4. *c.* 2. §. 7.

2. De cætero in asserenda illa prohibitione, ob defectum dispositionis expressæ, non levis sub-

ſubeſt difficultas; Mihi alias breviter ſic viſum eſt: Poſtquam Deus *Gen. I.* præceptum naturale, de propagando genere ſuo, hominibus dederat, deinde monogamiam inter Protoplaſtos *Gen. II.* inſtituit, quo ipſo adeo libertatem ineundi Polygamiam, ſuſtuliſſe cenſendus eſt, cum alius finis æque commodus, inſtitutioni monogamiæ, aſſignari non poſſe videatur. Illa vero prohibitio univerſalis, deinceps quoad Judæos limitata fuit, ſed in novo teſtamento, univerſaliter iterum vim ſuam exſeruit, quo referas 1. *Cor. VII.* 2. *Tim. III.* 2.

Obſerv. 488.

Ex ipſa tamen recta ratione conſtat) Non inſubidum eſt, ſi ipſo jure naturali Polyginiam prohibitam dicas, quo collimat doctrina Autoris *h. add. d. c.* 1. §. 19. Nam (1) nullus legitimus Polygyniæ ſcopus allegari poteſt, cum monogamia, conſervando generi humano, abunde ſufficiat (2) repugnat indoli tam arctæ conjunctionis, qualis eſt conjugalis (3) ſuſcipitur ob ſolam libidinem (4) habet originem à Gentibus voluptati deditis, aut quæ aliàs pravis moribus vixerunt, ac penes quas, Tyrannis libertatem & æqualitatem naturalem nimis oppreſſit (5) contraria eſt æqualitati ſexûs, ut non crediderim, ullam erectioris ingenii fœminam, eâ lege marito eſſe nupturam, ſi integrâ illa gaudeat libertate, quæ naturalis inclinatio, juri naturali conveniens

censeri debet, cum ei nihil obstet [6] turbat socialitatem cæterosque fines â Deo intentos, cum unus Pater, educationi tot liberorum non sufficiat, nec eos etiam, sine aliorum injuriâ, alere possit, sed civitatem vel mendicabulis repleat, vel aliorum bona, sub specie recti, ad se trahat, quo tam numerosa proles laute vivere queat. Juxta hæc igitur, tam concubitus fœminæ, quam mariti, juxta jus naturale, in crimen adulterii incidit, sicut etiam consensus mariti in uxoris concubitum, lenocinii notam incurrit, nam hæc res ejus arbitrio non subest, licet alii aliter sentiant *vid.* Thomas. *J. J. D. l. 3. c. 2.* §. 218.

§. 6. Nec minus natura tam arctæ conjunctionis ostendit, ***matrimonium debere esse perpetuum***, & non nisi alterutrius conjugum morte finiendum: nisi principalis pacti matrimonialis capita fuerint violata per adulterium, & malitiosam desertionem. Ob mores autem male compositos, & qui cum malitiosa desertione eundem non producunt effectum, separatio duntaxat quoad thorum & mensam inter Christianos recepta est, sine permissione ad secunda vota transeundi. Cujus inter alias etiam hæc ratio est, ne facultas divortii contumaciam morum alat; sed potius alterius conditionis desperatio ad commoditatem morum, mutuamque tolerantiam con-

conjuges incitet. Cœterum ob violata pacti matrimonialis capita pars læſa tantum vinculo exſolvitur; quod in altero continuatur, ſiquidem pars læſa velit, & cum altero in gratiam redire dignetur.

Obſerv. 489.

Nec minus natura tam arcta) Illud quoque diſputatur, *an pactum & ſocietas conjugalis ſint indiſſolubilia?* Utplurimum hoc mero jure naturali negatur, ac divortium i. e. *conjugii legitime contracti, ac per copulam quoque carnalem conſummati, utroque conjugum ſuperſtite, plena ſolutio,* eodem aſſeritur. Prohibitio vero ejus ex jure divino poſitivo univerſali iterum repetitur *vid.* Thomaſ. *d. l.* 3. *c.* 2. §. 124. *c.* 3. §. 49. *ſeqq.* quam ſententiam hactenus ſemper ſecutus ſum, eamque in *ſpecim. Eccleſ. l.* 4. *c.* 2. §. 46. *c.* 4. §. 16. propoſui.

2. Verum ſicut, juxta comunem pactorum naturam, unius diſſenſu matrimoniale pactum, ſi ſuis illud conſtet requiſitis, naturaliter ſolvi nequit, ita non improbabile eſt, ſi ne quidem mutuo diſſenſu, ob nullas vel leves cauſas, illud dirimi poſſe dicamus, modo concubitu illud conſummatum fuerit, nam levitas illa naturæ hominum ſociali haut convenit, præterea adulteriis locum facit, quam facile enim fuerit, cum uxore dimiſſa & alii juncta, antiquos repetere amores denique bonum aliquem finem iſti divertendi licentiæ non temere aſſignaveris *add. l.* 6. *c.* 1. §. 20.

Obſerv.

Observ. 490.

Nisi principalis pacti) Si capita essentialia pacti matrimonialis fuerint violata, tum læso facultas recedendi dubio procul competit, id autem non tantum contingit per adulterium & malitiosam desertionem, sed etiam aliis modis, quos retuli in *Specim. Jur. Eccles. l. 4. c. 4.* §. 17. 18. 19. 20. qui ad jus naturale omninò etiam referri possunt, imo mores intolerabiles, si nulla emendationis spes, morali æstimatione, supersit, dirimendo matrimonio sufficere possunt *add. d. l. 6. c.* 1. §. 21. 22. 23. 24.

Observ. 491.

Ob mores autem male compositos) Si leviores causæ intercedant, separatio â thoro & *mensa* conceditur, quæ hactenus rationem habet, quatenus per eam majora mala impediuntur, ac conjuges ad concordiam revocantur, de qua plura dixi in *Specim. Jur. Eccles. d. c. 4.* §. 23. *seqq.*

Observ. 492.

Cæterum ob violata) Hoc ex generali pactorum natura fluit, nam absurdum foret, si quis suo delicto, ab obligatione legitimè constituta, se liberare posset, hinc ea res ab arbitrio læsi dependet.

§. 7. Contrahere licite matrimonium, ubi lex civilis non obstat, potest *quilibet cum qualibet*, si ætas corporisque constitutio matrimonio habilis adsit; *nisi impedimentum aliquod*

aliquod morale obſtet. Moraliter impeditur aliam conjugem adſciſcere, qvi, quævé alteri jam conjugi junctus, junctavé eſt.

Obſerv. 493.

Contrahere licitè matrimonium) In perſonis paciſcentibus requiritur (1) *aptitudo generandi*, hinc Eunuchis matrimonium inire non licet *vid. d. c. 1. §. 25.* Thomaſ. *J. J. D. l. 3. c. 2. §. 174.* quamvis alii diſſentiant *vid.* Brückner. *Deciſ. matrimon. c. 11.* (2) *uſus rationis, ejusque liberum ſeriumque exercitium vid. d. c. 1. §. 26.* (3) *facultas moralis*, quam leges tam divinæ quam humanæ definiunt.

Obſerv. 494.

Moraliter impeditur) Hoc impedimentum, imprimis quoad maritum, vulgò ex jure divino poſitivo univerſali repetunt, ſed ego id nunc ex jure naturali dependere exiſtimo, per ea, quæ *Obſerv. 488.* admonui *add. d. c. 1. §. 27.*

§. 8. Sed & pro morali legitimarum nuptiarum impedimento habetur *arcta nimis ſangvinis aut affinitatis conjunctio.* Quo nomine etiam naturali lege nefariæ judicantur nuptiæ inter adſcendentes & deſcendentes in infinitum. Reliquæ autem nuptiæ in limite transverſo, puta cum amita & matertera, cum ſorore, item in affinitate cum noverca, ſocro, privigna, non ſolum lex divina, ſed & cultarum leges gentium, & Chriſtianorum con-

consensus detestatur. Quin & multorum populorum leges civiles remotiores quosdam gradus prohibuerunt, ad objiciendam velut sepem prius dictis gradibus sanctioribꝰ, ne ad hos temerandos ita facile rueretur.

Observ. 495.

Sed & pro morali) Arctior consanguinitas & Affinitas, est etiam morale matrimonii impedimentum. Illa est *communio sanguinis inter eas personas, quarum una alteram generavit, vel quæ ab eâdem stirpe dependent.* Hæc verò est *consanguinitatis ad conjugem applicatio, ex concubitu orta*, dum enim mas cum fœmina per concubitum, una velut caro fit, hinc unusquisque conjugum alterius cognationi quasi inseritur, adeoque omnes uxoris cognati, maritum quoque nunc attinent, & vice versa, quæ consanguinitatis extensio, affinitatis nomine venit, de quo latius disserui in *Specim. Jur. Eccles. l. 4. c. 3. §. 1. seqq.*

Observ. 496.

Quo nomine etiam naturali lege) An vero aliqua prohibitio, quoad consanguineos & affines, ex jure naturali deduci possit, valde controversum est? Autor quoad lineam consanguinitatis rectam prohibitionem adstruit, cætera ad jus positivum, divinum & humanum refert *h.* de quo latius disputat *d. l. 6. c. 1.* §. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35.

2. Alii censent, ex jure naturali nullam prohibitio-

tionem posse repeti *vid.* Thomas. *J. J. D. l. 3. c. 2. §. 220. seqq.* sed ad jus divinum positivum universale *Levit. XVIII.* in philosophia generali, unice recurrendum esse, hoc verò prohibere (1) *nuptias inter parentes & liberos in infinitum* (2) *inter fratres & sorores tam bilaterales, quam unilaterales*, (3) *inter fratrem aut sororem, alteriusque fratris vel sororis descendentes in infinitum, ac* denique (4) *inter affines, inter quos memorati tres respectus occurrant*; reliqua ad jus humanum pertinere, quamvis circa regulas allatas, multiplex etiam Scriptorum sit concertatio *vid.* Thomas. *J. J. D. l. 3. c. 3. §. 99. seqq.*

3. Istam interim sententiam hactenus secutus sum, ac in specie eam proposui *in Specim. Jur. Eccles. l. 4. c. 3. §. 40. seqq.* sed non videtur improbabile, si quatuor illas regulas ad jus naturale referamus, nam [1] inter personas illas prohibitas est aliqua unitas, jam verò naturæ repugnat, ut quis secum ipso velut coëat, ac hac ratione genus humanum propaget (2) â natura sociali abhorret, ut cognatio vix incepta, in sua statim redeat initia, cum indoli vitæ socialis magis conveniat, ut illa latius spargatur [3] admissa concumbendi licentia adulteriis & stupris ansam præbet, denique [4] nullus legitimus finis nominari posse videtur, ob quem ejusmodi matrimonia appetenda sint. Non obstat, quod, admissâ nostrâ sententia quoad fratres & sorores, totum genus

nus humanum ex incestu natum esse oporteat, nam ad casum necessitatis, prohibitiones non pertinere, tralatitium est.

Observ. 497.

Quin & multorum populorum leges) De hoc non dubitandum, sed sunt illæ leges extra sphæram Jurisprudentiæ universalis, easdemque latius explicat Jurisprudentia particularis ac privata cujusvis Reipublicæ, de quo aliqua proposui in *Specim. Jur. Eccl. l. 4. c. 3. § 45. 50. seqq.*

2. Ex dictis hæc, juxta jus naturale, fluit matrimonii definitio. Est *pactum, quo mas & fœmina, usu rationis gaudentes, ad generandum habiles ac nimia consanguinitate aut affinitate non conjuncti, in procreationem sobolis ac indissolubilem vitæ societatem, vere consentiunt.* Si autem matrimonium pro societate vel statu accipiatur, tum est *societas maris & fœminæ habilium, ad fines modo memoratos conjunctorum.*

3. Facit igitur matrimonium *consensus*, ad ejus vero consummationem pertinet *concubitus*, quanquam hunc præcisè necessarium judicaverim ad hoc, ut matrimonium sit indissolubile *vid. Observ.* 489. *n.* 2. quemadmodum etiam sine eo, nulla vera affinitas inter conjuges conjugumque cognatos, contrahitur *add.* Op. Maj. *l. 6. c. 1. §. 14.*

4. Est porro in arbitrio paciscentium positum, gradus circa consensum matrimonialem distinguere, ac requisita ejus determinare.

Hinc

Hinc mero jure naturali, modo obtinebit discrimen sponsaliorum & nuptiarum, aut matrimonii solennis & minus solennis *vid. l. 6. c. 1. §. 36.* modo non, prout scilicet paciscentibus visum fuerit, quanquam in Civitatibus illa certius definiat lex positiva. Porro cum matrimonium tam arcta imò insolubilis sit societas, ideo quoq; id naturale velut est, ut non quemvis consensum pro matrimoniali habeamus, sed illum demum, qui aperto & irrefragabili indicio sit declaratus, id quod itidem lex civilis amplius determinat.

§. 9. Cæterum uti aliis contractibus atq; negotiis certa quædam requisita sueverunt addere leges civiles, quæ si observata non fuerint, in foro civili pro validis non habentur: ita & circa matrimonium contingit, dum alicubi per leges civiles honestatis & boni ordinis causa *solennia* quædam requiruntur. Quæ licet extra jus naturale sint; citra illa tamen, qui legibus civilibus subjiciuntur, legitimum matrimonium non contrahent; aut saltem ejusmodi conjunctio effectus justi matrimonii in civitate non habebit.

Observ. 498.

Cæterum uti aliis contractibus) Legem civilem varia circa matrimonium disponere posse, dubitandum non est. De cætero dispositiones civiles vel respiciunt *personas paciscentes*, dum consanguinitatis & affinitatis prohibitio latius ex-

tenditur, vel *modum paciſcendi*, dum proclamatio, hierologia, conſenſus Parentum, velut pars actûs, ſimiliaque requiruntur. Exinde etiam diſcrimen ſponſaliorum & nuptiarum, matrimonii ſolennis, & minus ſolennis, in civitatibus repetendum eſt. De cætero leges illas civiles explicat Jurisprudentia, Particularis, de quo egi in *Specim. Jur. Eccl. l.* 4. *c.* 1, 2. 3. 4.

Obſerv. 499.


Quæ licet extra jus naturale) Uti ſine dubio ſubditi legibus civilibus obſequi debent, ita, ſi eædem de facto negligantur, pœnam nullitatis Legislatori ſtatuere licet, ita ut matrimonium, ſine juris civilis præſcripto initum, penitus nullum ſit, nec effectus legis divinæ, actum conſenſualem præſupponentes, ſequantur. Raro tamen tam rigidè Imperans hic verſatur, ſed potius, ſalvo matrimonio, in transgreſſores aliter animadvertit.

§. 10. *Officium mariti* eſt uxorem diligere nutrire, regere, atque defendere: *Uxoris* maritum amare, honorare, adjutorio eſſe ei non ſolum in generanda & educanda ſobole, ſed & in parte curarum domeſticarum capeſſenda. *Utrinque* autem indoles tam arctæ conjunctionis requirit, ut conjuges tam proſperæ quam adverſæ fortunæ ſint ſocii, & ſi qua alterutri calamitas obtingat, ab altero ſuble-

ſublevetur; nec minus ut prudenter mores ad concordiam invicem tolerandam attemperent; qua tamen in parte concedere magis uxoris eſt.

Obſerv. 500.

Officium mariti eſt) Officia conjugum, aut generalius, quæ circa propagationem uſumque Veneris occurrunt, ex tractatu præcedente intelligi debent. In genere id ſaltem hic admonendum, quod ex quatuor fontibus illa repeti queant (1) *ex jure naturali, huic negotio proprio*, quæ vel *veneris uſum in genere*, vel *ſocietatem matrimonialem ineundam*, vel *initam & contractam* reſpiciunt, ad ultimam claſſem pertinent, quæ Autor §. *10. h.* retulit (2) ex communibus ſocialitatis decretis, *vid. Obſerv.* 473. (3) ex *jure divino poſitivo univerſali*, quo referunt prohibitionem Polygamiæ, divortii & graduum nonnullorum in conſanguinitate & affinitate, ſed illa juri naturali heic adſcripſimus, quod ſi admittas, tertius fons exareſcit (4) *ex jure humano*, circa quod ſatagit Juriſprudentia particularis.



CAPUT III.

DE

OFFICIIS PARENTUM ET LIBERORUM

§. I.

EX matrimonio provenit proles, in quam constituta est *potestas patria*, antiquissimum juxta ac sanctissimum genus imperii, quo parentum jussa venerari, eorundemque præ se eminentiam agnoscere liberi tenentur.

Observ. 501.

Potestas patria) Non hæc tantum circa sobolem natam occurrit, sed generalius potius, *reciprocum aliquod jus & obligatio*, nam Parentes obligantur liberis, cui adeo obligationi in his jus respondet, & vice versa Parentibus competit aliquod jus vel imperium, quod in liberis obligationem necessario requirit. Interim loquendi compendio, totus ille nexus moralis, nomine potestatis patriæ exprimitur.

§. 2. *Oritur* imperium parentum in liberos *duplici* potissimum de *causa: primo* quia ipsa lex naturalis, dum sociabilem esse hominem jussit, *parentibus curam liberorum* injun-

junxit; quæ ut eo minus negligeretur, tenerrimum simul affectum in prolem natura iisdem implantavit. Isti curæ exercendæ requiritur potestas liberorum actiones dirigendi ad ipsorum salutem, quam ipsi propter judicii defectum nondum intelligunt. Deinde id imperium *tacito quoque consensu prolis* nititur. Nam recte præsumitur, si infans eo, quo sublatus est, tempore usum rationis habuisset, ac perspexisset, vitam se citra parentum curam ac junctum ipsi imperium servare non posse, lubenter illam in id consensuram, commodamque sibi educationem ab iisdem vicissim fuisse stipulaturam. *Actu* autem parentibus imperium in prolem constituitur, quando illam tollunt, nutriuntque & in commodum humanæ societatis membrum pro virili formandam suscipiunt.

Observ. 502.

Oritur imperium Parentum) Sicut erga sobolem tam nascituram quàm natam, non tantum Parentes, sed & alii homines communia socialitatis præcepta observare tenentur, ita proles, nata, ad observantiam legis naturalis apta reddenda, adeoque sollicitè educanda est, hoc onus autem lex naturalis meritò imponit parentibus, quia sobolem generando, in illud consenserunt. Cum porro educatio rite peragi nequeat, nisi aliquod imperium Parentibus

bus tribuatur, hinc ex eodem fonte illud fluere, manifestum est, recte igitur, cum Grotio *de J. B. P. l. 2. c. 5. §. 1.* dixeris, imperium parentum oriri ex generatione.

Observ. 503.

Duplici potissimum de causa) Frustra illam sententiam vellicat, Autor *h.* & *l. 6. c. 2. §. 1. 4.* dum *solam generationem ad titulum imperii, in sobolem humanam constituendi non sufficere* censet, ac cum *proles abeat in personam nobis similem, & quæ, quantum ad jura, hominibus naturaliter competentia, nobis est æqualis, inde ut nobis fiat inæqualis, seu ut nostro imperio subjiciatur, alio utique titulo opus esse* arbitratur, nam proles, homo quidem est, sed judicio proprio destitutus, ac sollicite operâ aliorum educandus, quo respectu Parentibus est inæqualis, ob eamq; conditionem, illorum imperium subire tenetur.

Observ. 504.

Primo quia ipsa lex naturalis) Nec etiam meliora afferre potest Autor, dicit: *imperium Parentibus competere ob necessitatem educandi*, ita est, sed utrumque ipsis competit ob consensum ex generatione colligendum.

Observ. 505.

Deinde id imperium) Alter titulus est *consensus tacitus vel præsumtus ipsius infantis.* Verum uti tacitum & præsumtum hic confunditur, ita ad asserendam obligationem, frustra ejus præsumitur consensus, qui dissentire nec potest nec debet, *add. Observ. 205.*

Ob-

Observ. 506.

Actu autem parentibus) Hoc ex præcedentibus fluit, si enim imperium, ad explendam obligationem, Parentibus conceditur, facile liquet, quod illud tum demum sequatur, si ii hanc actu subeant.

§. 3. Cum autem ad generationem sobolis *non mater minus*, *quam pater* concurrat, adeoque physice proles utrique sit communis, disquirendum: *utrius jus in prolem sit potius*. Super qua re distincte pronunciandum. Si enim *extra matrimonium* proles sit generata, illa primo matris erit; quia pater heic nisi indicio matris cognosci neqvit. Inter eos quoque, qui *in libertate naturali & supra leges civiles* degunt, pacto conveniri potest, ut non patris, sed matris jus potius sit. Sed *in civitatibus*, utique per mares constitutis, cum regulariter contractus matrimonii à mare incipiat, & is caput familiæ sit, potius erit jus patris: sicut licet proles matri utiq; reverentiam, gratumque animum debeat, jussis tamen matris non obligetur, quæ quidem non iniquis patris præceptis repugnant. Defuncto tamen patre jus ipsius in prolem, saltem nondum adultam, *matri* videtur *accrescere*; & hac ad secundas nuptias transeunte, *vitrico*, siquidem ipse in fidem & curam na-

turalis parentis ſuccedat. Et qui deſertum, aut orbatum parentibus liberaliter educandum ſuſcipit, jure ſuo ab eo filialem obſervantiam exigere poteſt.

Obſerv. 507.

Cum autem ad generationem) Cui imperium partium naturaliter competat, quæri etiam ſolet? Hobbeſius *de Civ. c. 9.* ex inſanis ſuis hypotheſibus primævum jus matri tribuit, â qua illud in Patrem aliosque derivetur, ceu refert Autor *l. 6. c. 2. §. 2. 3.* ſed iis immorari, operæ vix eſt pretium.

Obſerv. 508.

Super qua re diſtinctè) Ex ſententia Autoris, ſi extra matrimonium verſemur, matri jus *potius* in prolem competit, in ſobolem verò ex legitimo matrimonio natam jus æquale eſt, niſi pacto vel lege poſitiva aliud cautum *add. d. c. 2. §. 5.* Sed non apparet ratio, cur Patri, ſi de eo conſtet, in ſobolem illegitimam non ſit tantum juris concedendum, quantum matri, hinc malim in genere æqualitatem aſſerere, quamdiu pacto aut lege aliud conſtitutum non eſt, quæ ultima, in civitatibus, frequentiſſima eſt, ac ita jus patrium formare ſolet, ut matri illud plane non competat.

Obſerv. 509.

Defuncto tamen Patre) Transmiſſio juris patrii, quæ hic aſſeritur, admitti poteſt, ſi juxta ſolum jus naturæ, illud ſpectetur, aſt ſi id conſi-

de-

deres, quatenus lege civili variis effectibus auctum est, transmissio non obtinet, nisi diserte lex hoc velit, quod exemplo juris Romani intelligitur.

§. 4. Ut autem accurate intelligatur, quanta *parentum* sit *in liberos potestas*, distinguendum est tum inter *patresfamilias segreges*, & *qui in civitatem subierunt*; tum inter *potestatem, quam habet genitor ut talis*, & quam habet, *ut est Caput suæ familiæ. Patri ut tali*, cum sit à natura injunctum, ut liberos bene educet, quo in commoda hnmanæ societatis membra evadant, quousque ipsi sibi prospicere queant: inde tanta eidem in liberos potestas concessa intelligitur, quanta ad hunc finem sufficit. Quæ hautqvaqvam eousqve se extendit, ut parentes prolem intra materna viscera latentem elidere, aut editam abjicere, necareqve possint. Nam excitatur qvidem ex substantia parentum soboles; ut tamen in æqualem conditionem humanam cum illis locetur, & injuriæ etiam ab ipsis parentibus capax sit. Neqve etiam hæc potestas ad jus vitæ & necis ex occasione delicti exercendum videtur porrigi, sed ad modicam duntaxat castigationem; quippe quæ versatur circa ætatem teneram, in quam tam atrocia delicta, quæ morte sint expianda, vix cadunt. Sed si tamen, citra spem emendationis, o-

mnem disciplinam pertinaciter adspernetur puer, poterit domo patria ejici, atque abdicari.

Observ. 510.

Ut autem accurate) Ad indolem patriæ potestatis penitius intelligendam, recte, distinguitur inter statum *naturalem* & *civilem*. In illo *patrium jus*, *presse dictum*, & *imperium civile* amplius discernitur, in quo vero illud consistat, tum positive, tum negative hic declaratur *add. d. c. 2. §. 6.*

§. 5. Isthæc porro potestas, ita presse accepta, considerari potest *juxta diversitatem ætatis in liberis*. Nam *in prima ætate*, ubi immaturus adhuc rationis usus est, omnes liberorum actiones directioni parentum subjacent. Quo tempore, si qvid bonorum ab aliis in impuberem transferatur, id parens loco filii acceptare, & administrare debet, ut tamen dominium ipsi filio adqviratur: etsi ut fructus patri cedant ad plenam usque filii ætatem æqvissimum sit. Sic & qvod ex filii labore lucri aut emolumenti provenit, id merito sibi pater vindicat; cui ex adverso filii nutritio & educatio incumbit.

Observ. 511.

Isthæc porro potestas) Intelligendæ patriæ potestati, presse dictæ, cum Grotio *l. 2. c. 5. §. 2.* censet Autor diversam liberorum ætatem distinguen-

guendam esse *add. l. 6. c. 2.* §. 7. sed uti illa distinctio quoad liberorum *res* non est necessaria, cum earum respectu, potestas sit uniformis, ita, licet quoad *actiones*, crescente liberorum judicio, directio Parentum velut attenuetur & decrescat, attamen cum ea res in puncto non consistat, sed magnam habeat laxitatem, ideo in universum distinctio illa non valde est necessaria.

Observ. 512.

Quo tempore si quid bonorum) De liberorum rebus, sive propria industria sive aliorum liberalitate obvenientibus, planissime dici potest, quod earum dominium ad liberos pertineat, Pater tamen, pro ratione alimentorum præstitorum, sibi illas asserere possit, nam dominium aut usumfructum, alimenta excedentem, ipsi tribuere mero jure naturali non licet, sed illa res â lege civili dependet *add. d. c. 2. §. 8.*

§. 6. *In adulta ætate*, ubi liberi pleno quidem judicio præditi sunt, pars tamen adhuc familiæ paternæ existunt, distincte considerari potest, potestas qvam pater habet *ut genitor*, & qvam habet *ut caput familiæ. Illa* cum commodam educationem & gubernationem liberorum pro scopo habeat, patet, adultos quoque liberos autoritatem parentum tanquam prudentiorum sequi debere. Et qvi vult ex paternis bonis sustentari, ac in ea deinceps

ceps ſuccedere, neceſſum eſt, ut ad familiæ paternæ rationes ſeſe attemperet; quam moderari utiqve penes patrem eſt.

Obſerv. 513.

In adulta ætate) Ut circa liberos adultos, poteſtatem, quam Pater habet ut *genitor*, & ut *caput familiæ*, demum diſtinguamus, ceu hic præcipi videtur, illud quidem opus non eſt, cum potius generaliter utraque illa poteſtas in ſtatu naturali occurrat, quanquam poſterior, circa liberos teneros tam frequenter ſe exſerere non videatur, quam adultos.

Obſerv. 514.

Illa cum commodam) Patriam poteſtatem ad *res* liberorum relatam, eſſe eandem jam diximus *Obſerv.* 511. nulla enim ratio alio ducit, ſi verò eadem ad *actiones* referatur, tum quoad adultos eſt quidem remiſſior, gradus tamen accurate determinare non licet, ut diſtinctionem ætatis non valde neceſſariam videri, *d. Obſerv.* 511. jam etiam admonitum ſit.

§. 7. Cœterum *patresfamilias*, qui nondum in civitates ſucceſſerant, in domo ſua aliquod inſtar principum gerebant. Inde & liberi, in eorum familia adhuc hærentes ipſorum imperium tanquam ſummum venerari debebant. Verum poſtea imperium iſtud familiare, (uti & alia jura,) ad uſum & decus civitatum fuit atemperatum; & alicubi multum

tum, alicubi parum de eo patribus fuit relictum. Inde observamus, in quibusdam civitatibus patres jus vitæ & necis, ex causa delicti exercendum, in liberos obtinuisse: in aliis id ipsum iis ademtum, ne forte parentes sua in liberos potestate in fraudem boni publici, aut ad iniquam istorum oppressionem abuterentur; aut ne ob mollitiem paterni affectus dissimularentur vitia, in exitium publicum eruptura, aut ne patri tam tristis sententiæ pronunciandæ necessitas imponeretur.

Observ. 515.

Cæterum patresfamilias) Hactenus de patria potestate presse dicta. Deinde in statu naturali, etiam occurrit *imperium familiare*, quod rationem alicujus imperii civilis habet *add. d. c.* 2. §. 11.

Observ. 516.

Verum postea imperium familiare) In statu civili *vid. Observ. 510.* imperium familiare, ad usum & decus civitatum, fuisse attemperatum docetur *h. add. l. 6. c. 2. §. 12.* Distinctius ita dicendum (1) in statu civili potestas, quam pater, ut genitor, &, ut caput familiæ, habeat, non amplius distinguitur, sed potius (2) quicquid Patri per legem civilem vel relictum, vel concessum est, id promiscue juris patrii nomine venit, solet, etiam (3) potestas patria ejusmodi effectibus per legem civilem donari, qui

neque

neque juri patrio, neque imperio familiari, in ſtatu naturali, formaliter inſunt.

§. 8. Sed ubi *proles familia paterna plane excesſit*, & vel novam ſibi familiam conſtituit, vel alteri adjungitur; poteſtas quidem patria ſolvitur, ut tamen ſemper pietatis & obſervantiæ debitum maneat; quippe fundatum in meritis parentum, quibuscum paria facere liberi nunquam aut rariſſime creduntur. Et iſta merita non in eo tantum conſiſtunt, quod parentibus liberi vitam debeant, occaſionem omnium bonorum; ſed & quod laborioſam ac ſumtuoſam educationem eorum ſuſceperint, qua eos in commoda humanæ ſocietatis membra formarunt, ac ſæpe de mediis vitam commode & copioſe exigendi iisdem proſpexerunt.

Obſerv. 517.

Sed ubi proles) Juri patrio reſpondet in liberis obligatio, qua non tantum exercitium imperii paterni admittere, ſed &, ob beneficia ſibi collata, gratitudinem, quavis occaſione, ipſis exhibere tenentur *§. 8. h. add. l. 6. c. 2.* §. *10.* utrum vero generatio an educatio, ſit majus beneficium, de quo *d.* §. *10.* quædam recenſentur, ea diſquiſitio, eſt argumentum declamationis ſcholaſticæ, in vita civili autem ejus nullus uſus, ut, eam ad ſeria referre velle, ineptum fuerit.

Obſerv.

Observ. 518.

Potestas quidem patria solvitur) Verius est, quod potestas patria, naturaliter spectata, quamdiu Pater vivit, nec delicto atrociori se eâdem indignum facit, plane non solvatur, sed saltem pro diverso liberorum statu, alteretur, imminuatur, ac ejus exercitium quandoque suspendatur: mutatio igitur familiæ, de qua hic sermo est, tollit in statu naturali, imperium familiare, in civili, patriam potestatem à lege civili dependentem, quæ etiam modos solvendi magis determinat.

§. 9. Etsi autem parentibus obligatio educendi prolem à natura sit injuncta; id tamen non obstat, quo minus, utilitate prolis aut necessitate id exigente ejusdem *administratio alteri commendetur*; ita tamen ut inspectionem sibi in istum delegatum parens reservet. Unde & pater non solum præceptoribus idoneis filii informationem recte committit; sed & eundem alteri adoptandum dare potest, siquidem exinde in filium aliquod sit emolumentum redundaturum. Et si nulla alia ratio sit prolem alendi, potius quam inopia extinguatur, pater eam oppignorare, aut vendere in tolerabilem servitutem potest, saltem sub lege retractus, ubi pater ad lautiorem fortunam pervenerit, aut quispiam ex cognatis istum redimere velit.

Quod

Quod si autem parens per inhumanitatem prolem exposuerit & abjecerit, is, qui eandem sustulerit atque educaverit, in paternum quoque jus succedet; ita ut iste alumnus filialem observantiam educatori suo debeat.

Observ. 519.

Etsi autem parentibus) Obligatio Parentum est, ut liberos probe educent, quam aliquando etiam *mediatè* possunt, imo debent explere, ex quo nonnulla consectaria hic ducuntur *add. d. l. 6. c. 2. §. 9.* quibus hoc adjiciendum, quod ob justam causam, mater sobolem aliis lactandam committere possit, nam si id fiat eo saltem fine, ne voluptatibus & vanitatibus quid decedat, tum id corruptos arguere mores, ac obligationi matris naturali repugnare, satis quidem certum videtur.

Observ. 520.

Quodsi autem parens per inhumanitatem] Per expositionem, nunquam liberorum cura in alios recte transfertur, licet illa satit tuta sit, ac ad ædes, in populosis urbibus nonnunquam eo fine exstructas, fiat, nam semper suppetunt, media tutiora, adeoque expositio prohibita censeri debet. Quo sensu autem is, qui expositum, alendum suscipit, in parentum jus succedat, quod Autor iterum *h.* admonet, id *Obs. 509.* ostensum.

§. 10. Uti autem *pater prolem familia sua ejicere non debet*, educatione & auxilio istius

ad-

adhuc indigentem, citra graviſſimas cauſas: ita & proles non niſi cum bona patris venia ex ipſius familia excedet. Cæterum cum liberi matrimonii fere contrahendi occaſione paternam familiam relinqvant; & vero parentum utique interſit, cui proles ſua jungatur,& ex quibus nepotes ſibi proveniant: inde officium filiale utique requirit, ut *patris conſenſum heic ſequantur liberi*, nec eo invito conjugi ſocientur. Quod ſi tamen de facto invitis parentibus matrimonium contraxerint, & conſummaverint liberi, jure quidem naturali id irritum non videtur; præſertim ubi familiam paternam non amplius iſti onerare velint, & alias conditio non ſit indecora. Inde ſi alicubi ejusmodi matrimonia habentur irrita, aut illegitima, id ex legibus civilibus eſt.

Obſerv. 521.

Uti autem Pater) Obligatio Parentum eique ſurrogatum imperium, non tantum adeſt, ſed & actu ſe exſerit, quamdiu liberi auxilio Parentum indigent, ſi verò illi in eum perveniant ſtatum, ut ſe ipſos alere, actionesque proprias dirigere queant, tum ſive in familia maneant, ſive eam deſerant, obligatio illa quieſcit, imperiumque ſuſpenditur ac imminuitur, utrumque tamen ferente ſic occaſione, ſe iterum exſerit. Quodſi liberi enormiter de-

linquant, jure ſuo penitus privari poſſunt, in ſtatu quidem naturali, arbitrio Parentum, in civili, Imperantis *add. d. c. 2. §. 12. in fin.*

Obſerv. 522.

Ita & proles non niſi) Solutionem juris patrii, non pertinere ad poteſtatem patriam, naturaliter ſpectatam, ſed ad imperium familiare, aut poteſtatem, ex jure civili dependentem, jam *Obſerv. 518.* diximus. De cætero ſolutionem illam non niſi conſenſu utriusque partis fieri poſſe, ex communi jurium ſocietatumque indole fluit ac, in civitatibus, per legem civilem magis determinatur *add. d. c. 2. §. 13.*

Obſerv. 523.

Cæterum cum liberi) Rectè ait Autor, liberos, *matrimonia* contracturos, conſenſum Parentum, ex lege gratitudinis, requirere teneri, pœnam tamen obligationis violatæ, & neglecti conſensûs, non eſſe ex lege naturali, ſed civili §. *10. h. add. d. c. 2. §. 14.* nam, in genere illa nullam pœnam definit.

§. 11. *Officium parentum* in hoc præcipue conſiſtit, ut liberos commode alant, corpusque & animum per dextram & cordatam educationem ita forment, quo idonea & utilia membra ſocietatis humanæ & civilis fiant, probi, cordati, & bene morati. Item ut eosdem ad idoneum & honeſtum vitæ genus adplicent, & quantum ratio & occaſio

fert

fert, fortunam ipsorum fundent & promoveant.

Observ. 524.

Officium parentum) Hoc ex præcedentibus intelligitur; In summa ita dicendum: Officium est vel *commune*, quod ex generali socialitatis fonte fluit, ac alios quoque homines afficit, vel *proprium*, vi cujus, Parentes *ita liberos educare tenentur*, *quo Deo, sibi ipsis & proximo, recte inservire qveant*, ex quo præstationes speciales fluunt §. 11. *h.* Neqve tamen cura liberorum, in præjudicium socialitatis, seu aliorum injuriam & læsionem, est extendenda, cui abusui, in vitâ civili frequentissimo, memorata obligatio sæpe prætexitur.

§. 12. *Liberorum* contra *debitum* est parentes honorare, i. e. reverentiam illis exhibere non externis tantum signis, sed multo magis interna æstimatione, tanquam autoribus vitæ, ac tantorum aliorum beneficiorum; iisdem obedire; pro viribus inservire, inprimis senio aut egestate confectis; sine consilio & autoritate eorum nihil magni momenti suscipere; & denique eorum morositatem, aut vitia, si qua inveniuntur, patienter ferre.

Observ. 525.

Liberorum contra) Officium liberorum est, ut *exercitium imperii paterni admittant*, quod ex reli-

giositate, philautia & socialitate repeti potest, ac *gratitudinem erga parentes exerceant*, quod ex socialitate fluit, utrumque plures conclusiones continet §. 12. *b*.

CAPUT. IV.

DE

OFFICIIS DOMINORUM ET SERVORUM.

§. I.

POstquam genus humanum multiplicari cœpisset, atque deprehensum fuisset, quam commode res domesticæ aliorum ministerio curari possent; mature introductum fuit, ut ad operas domesticas obeundas *in familiam adsciscerentur servi*. Quos *ab initio ultro* sese obtulisse probabile est, inopia adactos, aut propriæ hebetudinis sensu; stipulatosque sibi perpetuam alimentorum & aliarum necessitatum præbitionem, in perpetuum hero sua ministeria addixisse. Dein cum bella passim increbescerent, apud plurimos populos receptum, ut quibus *bello captis* vita donata esset, servitio addicerentur, una

cum

cum prole, quæ deinceps ex ipsis esset proventura. Etsi apud multos populos nulla ejusmodi servitus in usu, sed omnia munia domestica per mercenarios ad tempus conductos expediuntur.

Observ. 526.

Postquam genus humanum) Societatem herilem, non esse immediate â naturâ, ex inæqualitate domini & servi liquet *vid. l. 6. c. 3.* §. 1. 2. hinc ejus origo omninò â *facto humano* repeti debet, quo ipso tamen *lex naturalis* non excluditur, cum hæ potius, ut *occasio* & *causa*, conjungi debeant. De cætero â captivitate, origo præcise non est deducenda, quemadmodum etiam absurdum est, imperium herile, civili æquale existimare, cum ejus quantitas, juxta mensuram facti præcedentis sit constituenda *vid. d. c. 3. §. 3.*

Observ. 527.

Quos ab initio) Quando, aut in qua gente, primum cœperit servitus, illud forte ostendi non potest. In universum tamen, ex indole generis humani, casibusque in eodem obvenientibus, probabile est, quod ad eam impulerit *indigentia* & *capitivas*, proximè verò eam produxerit *pactum* & *lex positiva*, ut adeò summatim servitus sit vel *pactitia* vel *legalis*. An vero illa hâc sit antiquior, ac ab initio servi perpetuas operas addixerint dominis, quod utrumq; Autor hîc asserit, de eo in neutram partem certo

pronunciari potest, nec etiam hujus rei definitio, necessaria aut alicujus usus est. *add. l. 6. c. 3. §. 4. 5.*

§. 2. Prout autem sunt *diversi* velut *gradus servitutis;* ita & potestas herorum, & servorum conditio variat. *Mercenario temporario* dominus conventam mercedem; iste huic vicissim conventam operam debet. Et quia in eo contractu domini melior est conditio, ideo etiam ejusmodi minister domino pro ratione dignitatis reverentiam exhibere tenetur; & ubi malitiose aut negligenter opus fecerit, ejusdem coercitioni est obnoxius; quæ tamen ad gravem corporis afflictionem, multo minus ad mortem, propria autoritate sumendam, procedere nequit.

Observ. 528.

Prout autem sint diversi) Indoles igitur servitutis pactitiæ, ex pacto præcedente ejusque fine, intelligi debet, nam uti illud, nihil aliud est, quam species locationis, ita, juxta ejus modum, legem naturalem jura & obligationes introducere, manifestum est §. *2. h. add. d. c. 3.* §. *4.*

Observ. 529.

Ejusdem coercitioni est obnoxius) In statu civili, ac servis merè mercenariis, hoc vix obtinet, neque etiam finis societatis herilis hoc exigit, cum servus delinquens reparationi damni saltem

tem sit naturaliter obnoxius, pœna autem, si quam meruit, Magistratus arbitrio relinqui debeat, quodsi vero servus injuriis domini iram provocet, ab eoque plagas accipiat, id jus coërcendi non infert, sed ea mala per modum belli imponuntur, etiam licite, si modus servatus sit.

§. 3. Ejusmodi autem *servo, qui sese ultro alicui in perpetuum servitium addixit*, dominus perpetua alimenta, & quæ alia vitæ necessaria sunt; ille huic vicissim perpetuas operas, quascunque dominus præscripserit, præstare debet, & quicquid ex illis provenit, domino fideliter consignare. In quibus tamen virium & dexteritatis servi humaniter rationem habebit dominus, ne vires ipsius excedentem laborem cum asperitate exigat. Castigationi quoque domini iste subest non solum ad expellendam negligentiam in opere exsequendo; sed & ut ipsius mores ad decus & tranqvillitatem familiæ componantur. Non tamen invitus alteri vendi talis potest, quia ultro hunc & non alium dominum adscivit; & ipsius interest, utri serviat. Si atrox delictum in alium extra familiam admiserit, in civitatibus pœnæ potestatis civilis subjacet; ubi familia segrex fuerit, expelli inde poterit. Sed ubi delictum in ipsam familiam segre-

gem sit admissum, à domino etiam per extrema coerceri poterit.

Observ. 530.

Ejusmodi autem servo) Si societas herilis sit perpetua, tum eadem jura & obligationes obtinent, quæ casu altero, quo ad tempus inita est, occurrunt, nisi quod hôc, temporaria, illo verò perpetua sint. Sed de hoc disquirere, forte vix operæ est pretium, cum non facile perpetuas operas quis alteri addicat, sed saltem mancipia, & qui ex his descendunt, ea conditione vivere soleant.

Observ. 531.

Castigationi quoque domini) Sed hoc jus, ex indole servitutis perpetuæ, non fluit, sed vel ad imperium familiare, in statu naturali, pertinet, vel in civitatib9, ex speciali legis civilis permissione, repetendum est.

Observ. 532.

Non tamen invitus] Hoc ex conventione initâ resultat, ceu Autor ipse admonet, sed si jus castigandi domino competit, quod in verbis præcedentibus asseritur, jus invitum servum vendendi, ei negari non posse videtur, sunt enim illa jura ferè æqualia, imo in pœnam posset talis venditio fieri!

Observ. 533.

Si atrox delictum) Distinctio, utrum servus *extra*, an *in familiam* deliquerit, hic omninò otiosa est, cum hoc solum attendendum sit, utrum

utrum dominus in *statu naturali*, an *civili* vivat, nam illo casu, atrociter delinquentem servum, vi imperii familiaris, punire, ob quodvis delictum, poterit, hoc verò pœna à Magistratu erit imponenda *add. d. c. 3. §. 4.*

§. 4. In istos autem *servos, qui bello capti* fuerant, à plerisque durius agi cœptum, quod hostilis adhuc iræ quid in eos superesset, & quia ipsi extrema nobis nostrisque fortunis intentaverant. Quamprimum tamen inter ejusmodi victorem victumque mutua fides circa consociationem in familiam intercessit, omnis antegressa hostilitas remissa censetur. Et tunc utiq; injuriam etiam taliter adquisito servo facit dominus, si vel necessaria ad victum non suppeditet, vel citra rationem in eum sæviat, multoque magis si citra condignum delictum eundem occidat.

Observ. 534.

In istos autem servos) Servitus, occasione captivitatis introducta, alterâ durior est, si mores Gentium spectes, quod ex sequentibus magis apparebit, *add. l. 6. c. 3. §. 5.* de cætero tamen mores illi saltem ostendunt, quid fiat, non quid fieri debeat, ac in plerisque improbari debent, de quo postea.

Observ. 535.

Quamprimum tamen) De cætero servitus illa constitui potest vel per *actum §. 4. h.* quod tamen non statim, simplici vitæ condonatione,

initum censetur *vid. d. c. 3. §. 6.* vel, quod frequentius puto, per *legem civilem*, quæ, cum pluribus Gentibus observari soleat, *jus Genitum* vulgo dici solet, revera autem nihil aliud est, quam *jus civile nonnullarum gentium*, exinde autem sequitur, quod hæc servitus, rectè *legalis* dicatur.

Observ. 536.

Et tunc utique) Sive autem pacto sive lege, servitus illa introducta sit, certum utique est, quod dominus, si limites positos transiliat, servo injuriam faciat *h.* quod frustra negat Hobbes *vid. d. l. 6. c. 3. §. 8.* Eò facilius autem quis illud concesserit, si expendat, quod tota illa servitus, prout â plerisque gentibus observata fuit, aut adhuc observatur, sit mera injuria & immanitas.

§. 5. Circa illos quoque servos, qui bellica vi in eam conditionem fuerant abstracti, nec non qui pretio emuntur, receptum, ut non secus ac aliæ res nostræ in quemcunque placeret transferri, & ad instar mercium venire possent. Sic ut ipsum *corpus servi, domini esse* intelligeretur. Ubi tamen humanitas jubet, ut nunquam obliviscamur, servum utique hominem esse; adeoque nequaquam eum ita tractemus velut alias res nostras, quibus pro lubitu uti abutique, easque destruere possumus. Et ubi talem servum alie-

nare

nare placet, ne iis data opera aut præter meritum addicatur, apud quos inhumana ipsum tractatio est mansura.

Observ. 537.

Circa illos quoque servos) Servitus hæc legalis ab eâ, quæ ultroneo pacto initur, longe differtq; nam (1) ipsa serviendi conditio longe est durior (2) servos libertate civili ac existimatione humana privat, eosque ad conditionem brutorum redigit (3) illos eorumque res, dominorum proprietati subjicit *add. d. c. 3. §. 7.*

§. 6. Denique & id passim receptum; ut quæ ex servis parentibus nascitur *proles*, servilis & ipsa sit conditionis, pertineatque tanquam mancipium ad dominum matris. Id quod isthoc argumento defenditur, quod cujus est corpus, ejus quoque par sit fructum esse, qui ex eo corpore provenit. Et quia ista proles nascitura plane non erat, si dominus jure belli in parentem usus fuisset. Et quia parens nihil habet proprii, nulla ratio prolem ejusmodi alendi superest, nisi ex bonis herilibus. Cum igitur dominus alimenta præbeat ejusmodi proli diu ante, quam ipsius opera utilis esse queat, & sequentes operæ sui temporis alimenta non multum fere excedant; effugere eidem servitutem invito domino non licebit. Manifestum tamen est, cum ejusmodi vernæ nulla sua culpa in servitutem

vitutem perveniant, nullum esse prætextum, quare isti durius debeant tractari, quam conditio perpetuorum mercenariorum admittit.

Observ. 538.

Denique & id passim receptum) Tandem servitus illa (4) ad liberos quoque transmittitur, quæ transmissio, autoritate legis civilis facta, quibus rationibus aut prætextibus defendi soleat, Autor hic commemorat, *add. d. c. 3. §. 9.*

2\. Præter hæc, alia nonnulla hic annotari debent [1] miseriam hujus servitutis, in libertatis & existimationis defectu, præcipuè consistere *vid. d. c. 3. §. 10.* (2) servitutem illam, cum sit a lege civili, non posse tolli, nisi permissu Imperantis, qui adeo in civitatibus, varios manumittendi modos introducere, vel introductos limitare, eorumque effectum amplius determinare solet *add. d. c. 3. §. 11.* (3) Servitutem, pacto inter victorem & victum constitutam, non statim tolli, si dominus servo diffisus, vincula physica ei injiciat, licet cum Hobbesio, ita persuasum videatur Autori *d. c. 3. §. 6. in fin. §. 11. n. 5. conf.* Cumberland. *de leg. natur. c. 9. §. 14*

3\. In genere quæri potest, an servitus illa, non dicam, cum regulis christianismi, sed communis socialitatis, conciliari nequeat? Circa quod distinctè pronunciandum, si enim quis bello injusto in servitutem rapiat homines innocentes, tum servitus illa, injuriæ continuatio est, adeoque dubio procul juri naturali repugnat. Idem, dicendum si bellum quidem justum

justum sit, sed mancipia, brutorum instar, a dominis occidi queant. Si vero servitus, justo bello introducta, intra illos limites constringatur, ad quos, quoad privatos, in civitata Romanâ, eam revocavit Imperator Antoninus, tum illa communiter licita existimatur, sed si rem penitius consideres, nec hoc respectu illa defendi potest, nam hoc utique humanitati repugnat, ut homo brutis, ad effectum commercii, comparetur, ac, ad operas duriores præstandas, rigide adstringatur, ut non dubitem, servitutem illam esse emortuæ socialitatis certissimum indicium.

4. Quæ cum ita sint, meritò servitus illa inter Christianos est sublata, cessat etiam quæstio, an illam reduci, utile sit? imo etiamsi eam admittas, nulla tamen utilitas ejus reductionem suadet, nam qui sciscunt, *sublatam, apud plerosque Christianorum, servitutem, inter causas esse, quare tanta collavies furum vagabundorum & validorum mendicorum passim occurrat vid. d. c. 3. §. 10.* illi mali hujus causam & remedium non intelligunt.



CAPUT

CAPUT V.

DE
CAUSA IMPULSIVA CONSTITUENDÆ CIVITATIS.

§. I.

QUanquam vix ſit jucunditatis quid atque commoditatis, quod per hactenus enumerata officia, ſtatusque obtineri non poſſe videatur; quare tamen mortales non contenti parvis illis, primisque ſocietatibus magnas ſocietates, quæ *civitatum* nomine veniunt, conſtituerint, jam inveſtigandum reſtat. Ex hiſce enim fundamentis deducenda eſt ratio officiorum, quæ ſtatum hominum civilem comitantur.

Obſerv. 539.

Quanquam vix ſit jucunditatis) Tres ſocietates, hactenus expoſitæ, ſi cohæreant, *Familiæ* nomen aſſumunt, de qua tamen peculiariter agendum non videtur, quia ſi Patremfamilias, ad uxorem, liberos & ſervos referas, officia illorum ex præcedentibus patent, ſi verò illum,

lum, ut Principem, consideres, eadem Ejus, quæ summorum Imperantium, sunt jura, de quibus deinde agendum erit. Porro non opus est, ut de *Pagis, Vicis, Oppidis* vel *Municipiis* seorsim agatur, nam uti incertum est, an per illos gradus, præcisè ad civitates perventum fuerit, ita, eo posito, manifestum est, corpora illa, in statu naturali, Civitatum instar fuisse, hinc non opus est, ut tractationem, mox instituendam, hic occupemus. Quodsi autem illa corpora considerentur, prout hodie in statu civili occurrunt, tum liquidum est, eorum expositionem, pertinere ad tractatum de subditis, hi enim, præter vinculum subjectionis generale, variis nexibus conjuncti ac per peculiaria ejusmodi corpora distributi esse solent. Quæ cum ita sint, Autor ad Civitates statim pergit §. *1. h.* in qua quidem tractatione summatim tria spectari debent [1] causa impellens (2) aptitudo coëuntium & (3) ipsa civitatum structura.

§. 2. Heic igitur *non sufficit dixisse; hominem per naturam ipsam rapi ad societatem civilem*, ut citra eam nec possit, nec velit vivere. Sane enim cum apertum sit, hominem esse tale animal, quod seipsum & suam utilitatem quam maxime amat; necessum est, ut dum ultro societatem civilem affectat, aliquam utilitatem inde sibi proventuram respexerit. Et quanquam extra societatem cum

sui

ſui ſimilibus homo erat futurus animal longe miſerrimum; tamen cum naturalibus deſideriis & neceſſaribus hominis per primas ſocietates, & per officia ex humanitate, aut pactis præſtita abunde potuerit ſatisfieri; non ſtatim ex ſocialitate hominis inferri poteſt, ejus indolem præciſe ad ſocietatem civilem ferri.

Obſerv. 540.

Heic igitur non ſufficit) Primum quod attinet, hominem ad civitatem non rapuit *natura*, i. e. homo per naturam, ſepoſitis objectis moventibus ſocietatem civilem neceſſariò non appetiit §. *2. h.* quemadmodum ejusmodi appetitus, quoad diverſum ſexum occurrit, qui non tantum objectis præſentibus moveri, *ſed &* abſentia ultro velut quærere ſolet, quod quidem vel Ariſtoteles, vel Ejus ſectatores, exiſtimaſſe cenſentur *vid. l. 7. c. 1. §. 1. 2. 3.* de quo tamen mox amplius videbimus.

§. 3. Id quod planius fiet, ſi conſideremus, quænam *conditio ex conſtitutis civitatibus* apud homines proveniat: quid requiratur, ut quis *vere* dici queat *animal politicum, i. e. bonus civis*: quid denique deprehendatur *in natura hominis, indoli vitæ civilis repugnans.*

§. 4. Qui *civis* fit, libertatis naturalis jacturam facit, ac imperio ſe ſubjicit, quod jus vitæ & necis complectitur; & cujus juſſu plurima facienda, abs quibus quis alias abhor-

horrebat; & omittenda, quæ vehementer adpetebat. Pleræque etiam actiones ad bonum societatis referendæ, quod sæpe à bono singulorum videtur discrepare. Atqui ad hoc per inclinationes jam congenitas fertur homo, nt nemini subjectus esse, ut omnia suo agere arbitrio, ut proprio commodo in omnibus velificari velit.

§. 5. *Animal vere politicum*, i.e. *bonum civem* illum dicimus, qui jussis imperantium promte paret, qui ad bonum publicum omnibus viribus connititur, ac post illud privatum bonum lubenter habet; imo qui nihil sibi bonum credit, nisi idem bonum quoque sit civitati; qui denique adversus alios cives commodum sese gerit. Atqui paucorum ingenia ultro ad hunc finem attemperata inveniuntur; maxima pars metu pœnæ utcunque continetur; multi per totam vitam mali cives, & animalia non politica manent.

§. 6. Denique *nullum homine animal ferocius* aut indomitum magis, & quod in plura vitia, pacem societatis perturbare apta, sit proclive. Præter desideria enim cibi, venerisque, quibus bruta quoque solent committi, multis homo agitatur vitiis, quæ bruta ignorant, uti est superfluarum rerum insatiabilis cupido, & sævissimum malorum ambitio.

bitio. Vivax item nimis injuriarum memoria, & vindictæ ardor, longo post tempore adhuc gliſcens. Nec non infinita diſſimilitudo inclinationum & adpetituum, & cuique pro ſtudio ſuo extollendo pervicacia. Accedit, quod eo furore in proprium genus ſævire gaudeat homo, ut maxima pars malorum, quibus humana conditio vivit obnoxia, ab ipſo homine proficiſcatur.

Obſerv. 541.

Id quod planius fiet) De cætero ratio illi ſententiæ conſtat, ſive naturam hominis *integram*, quam ex S. literis credunt Chriſtiani, ſive *corruptam* ſupponas, nam *illa* civitatibus haut indiguiſſet, ſed homines integrâ naturâ præditi, legem naturalem, ſine illis exactiſſimè ſervare potuiſſent, in hac vero obſervantiâ, vera felicitas hujus vitæ eſt poſita, ut nulla appareat ratio, quare ejusmodi appetitus, naturæ integræ, fuerit velut implantandus, *hanc* verò ſi reſpicias, homines corruptos, & civitates, aut potius ſubjectionem averſari, nec, ad ſubeundam conditionem civilem, ſatis aptos eſſe, pluribus hic oſtendere voluit Autor §. *3. 4. 5. 6. add. d. l. 7. c. 1.* §. *4.* hoc autem poſito, perinde abſurdum eſt dicere, hominem per naturam ad civitates rapi, ac ſi contendas, claudum, innatâ quadam & immutabili proclivitate, ad curſum ferri.

§. 7.

§. 7. Genuina igitur & principalis causa, quare patresfamilias, deserta naturali libertate, ad civitates constituendas descenderint, fuit; *ut præsidia sibi circumponerent contra mala, quæ homini ab homine imminent.* Nam uti post Deum O. M. homo homini plurimum prodesse; sic & idem non minus obesse potest. Et recte malitiam hominum, ejusq; remedium æstimant, qui in proverbii vicem receperunt: nisi judicia essent unus alterum devoraret. Postquam autem per civitates in talem sunt digesti ordinem homines, ut à mutuis læsionibus tuti esse possent, ultro deinde consecutum fuit, ut eo uberius fruerentur commodis, quæ ex hominibus in homines provenire apta sunt; puta, ut moribus à puero imbuerentur commodioribus, & varias invenirent, atque excolerent artes, quibus vita humana copiosa & commoda fuit reddita.

Observ. 542.

Genuina igitur & principalis causa) Ulterius igitur progrediendum ac ostendendum est, quid civitatem homini fecerit *appetibilem*, quæque adeò causa humanam naturam instigaverit? Alii censent, civitatem esse opus naturæ, quod naturali ordine & consecutione sit productum, quod à scopo aberrare, Autor ostendit *d. l. 7. c. 1. §. 5.* alii per indigentiam homines, ad constituendas civitates, fuisse permotos, arbi-

trantur, quod itidem rejicit *d.c.1.* §.*6.* ac Ipse existimat, ob *metum malorum, extra civitatem futurorum*, ac *spem securitatis in civitate obtinendæ*, homines in societates civiles concessisse §.*7. h. add. d. l.7.c.1.* §.*7.*

Observ. 543.

Postquam autem per civitates) Occurritur hic tacitè iis, qui indigentiam, pro causa impellente, habent asseriturque quod vita cultior, ejusque spes, non fuerit *causa* civitatum constituendarum, sed constitutarum *consectarium*, cui sententiæ quivis pro suo arbitrio pretium statuat, neque enim vel hanc, vel Autoris opinionem sequor.

§. 8. Illustrior adhuc fiet causa constituendæ civitatis, si consideremus, *alia media non fuisse suffectura* reprimendæ hominum malitiæ. Quanquam enim *lex naturalis* præcipiat, ut ab omnibus injuriis inferendis homines sese abstineant: tamen ejus legis reverentia id præstare non potest hominibus, ut in libertate naturali satis tuto degere qveant. Etsi enim forte dentur homines animo ita modesto, ut ne impunitate quidem data alios violare velint; alii quoque metu proventuri inde mali cupiditates suas utcunque compescant: magna tamen ex adverso eorum turba datur, quibus omne jus vile est, quotiens spes lucri arriserit, & fiducia propriarum virium,

virium, aut solertiæ, qua repellere aut eludere læsos sese posse sperent. Quos uti nemo non cavere nititur, qui salutem suam amat: ita cautio illa commodius, quam ope civitatum obtineri neqvit. Nam utut aliqui mutuo fidem dederint de auxiliis invicem ferendis; ni tamen adsit aliquid, quo & judicia eorum uniantur, & voluntates firmiter adstringantur ad explendam fidem, frustra ab iisdem certum auxilium sibi quis promittit.

Observ. 544.

Illustrior adhuc fiet causa) Veritatem suæ sententiæ magis, persuasurus Autor, contendit, nihil præter civitates, procurandæ securitati suffecisse, non (1) *legem naturalem*, quod facilè quis concesserit, nam licet homines legem illam observare debeant, attamen per malitiam non observant, ut in ea persuasione securitatem suam collocare velle, nimis simplex fuerit *add. d. c. 1. §. 8. 9. 10.*

Observ. 545.

Nam utut aliqui mutuo fidem dederint) Amplius censet, nec (2) *fœdera suffecisse, cum deficiente imperio civili, ad fidem explendam, paciscentes adigi satis nequeant*, verum hoc gratis dici & utique fœdera, pro isto rerum statu securitatem præstare potuisse, deinde ostendam.

§. 9. Denique licet lex naturalis hominibus satis insinuet, non impune laturos, qui

alios injuria affecerint: tamen neqve *metus divini Numinis*, neque *conscientiæ morsus* sat validam deprehenduntur vim habere, quorumvis hominum malitiæ coërcendæ. Nam apud multos educationis & consuetudinis vitio vis rationis velut obsurdescit. Unde fit, ut illa præsentibus tantum immineant, futurorum parum curiosi; ac non nisi iis moveantur, quæ in sensus incurrunt. Cum autem vindicta divina lento fere pede soleat incedere; inde pravis mortalium præbetur occasio ad alias causas impiorum mala referendi; præsertim cum sæpe videant, improbis affatim adesse, queis vulgus felicitatem metitur. Accedit, quod stimuli conscientiæ, quæ facinus antecedunt, non ita validi videantur, quam qui idem subseqvuntur; quando id, quod factum est, infectum amplius fieri nequit. Enimvero pravis cupidinibus reprimendis præsentaneum, & ad indolem hominum probe, attemperatum remedium in civitatibus reperitur.

Observ. 546.

Denique licet lex naturalis) Tandem (3) *nec metum divini Numinis, nec conscientiæ morsus reprimendæ hominum malitiæ suffecisse add. d. c. 1. §. 11.* quod non novum argumentum, sed primi potius pars est, ac adeo cum eo conjungi debet, nam

nam uti lex naturalis non tantum ostendit, quid sit agendum vel omittendum, sed & poenam divinam simul minatur, ita, si mens humana illorum cognitione imbuatur, inde Conscientia exoritur.

Observ. 547.

Nam apud multos) De cætero facile quis etiam illam probationis partem admiserit, nam poena divina non statim urget, præterea in multis conscientia vel plane deficit, vel affectuum intemperie vincitur, quæ Autor hic inculcat, ut illorum quidem consideratio homines securos præstare non possit.

2. Hæc est Pufendorfii sententia, quæ licet Scriptoribus recentioribus plerumque probari soleat, mihi tamen rationi & veritati parum convenire, videtur, nam primo eadem, sententiæ ab initio rejectæ, si hæc recte intelligatur, non est contraria, qui enim hominem naturâ ad societatem civilem ferri docent, illi objecta externa, naturam moventia, non excludunt, sed potius præsupponunt *vid.* Jacob. Thomas. *Phil. Pract. Tab. 39. n. IV. V.* dum igitur ista Pufendorfius enucleatius tradere vult, tantum abest, ut sententiæ Peripateticorum contradicat, ut potius eam magis explicet. Illi bonum, quod naturam hominis ad civitatem impulerit, in genere allegant, Autor illud in specie nominat, inter quæ nullam esse contradictionem, facile liquet.

3. Sed secundò tota illa philosophia, quæ universalem aliquam ac uniformem causam impellentem adstruit, ac eo nomine metum indigentiam vel simile quid allegat, â veritate abire videtur, nam præsupponit, quasi ingens hominum multitudo convenerit, ac de construendis civitatibus deliberaverit, tandemque, post maturam deliberationem, decreverit, civitates esse erigendas eam ob causam, quod alias vita parum secura vel culta sit futura. Atqui talis hypothesis ab omni verisimilitudine est aliena, cum omnia instituta humana â tenuibus oriri soleant initiis, & solennis ejusmodi conventus probari nequeat, imo nec primi homines, etiamsi illos congregatos fuisse concedas, exactam civitatis, & bonorum vel malorum, eam comitantium, cognitionem habuerint, utpote quæ longâ experientiâ hominibus, post constitutas civitates demum advenire solet, negata vero illâ notitiâ, decretum quoque eam præsupponens corruit.

4. Tertiò quod metum in specie attinet, nolim quidem eum negare, contra quod disputat Autor *d.l. 7.1.c.* §.7. hoc tamen contendo, eum non fuisse tantum, ut ideo necessariò in Civitates fuerit coëundum, nam ab hominibus, vel fortuito concurrentibus, vel pacto aliquo consociatis, mala, quæ metuebantur, inferri debuerunt, hinc non apparet ratio, quare eadem ab hominibus, simili nexus genere conjunctis,

junctis, non potuerint repelli, & quare adeo fœdera securitatem hominibus, in statu naturali, ante civitates, præstare non potuerint, de quo *Observ.* 545. jam dictum, licet enim imperium civile paciscentes, ad servanda fœdera, non adegerit, attamen utilitas valide satis eos impellere potuit, cum illa fœdera sanctissimè servari soleant, quæ mutua utilitate sanciuntur, ceu ipse Autor *d. l.* 7. *c.* 1. §. 9. recte docet. Facile igitur liquet, illos, qui metum, pro causa impellente, venditant, ejusmodi mala, quæ â civitatibus bene compositis, inferri possunt & solent, in oculis habere, eademque ad illum generis humani statum, in quo civitates nondum erant, transferre, quo ipso philosophiæ hujus inconcinnitas apparet.

5. Magis seriò igitur, si de causâ impulsiva constitutarum civitatum, philosophandum sit, dicerem, homines naturà ad societatem civilem ferri, ob *appetitum boni*, quæ est sententia Peripateticorum, bonum verò neque certum, neque uniforme quoad omnes homines, nominari posse, sed hunc huj9, illum alterius consideratione, fuisse permotum, ut in civitatem concederet, quare is etiam, qui per vim imperio subjectus fuit, appetitu boni permotus dici potest, nam, pro isto rerum statu, maluit esse civis, quam mori, aut graviora mala pati, seu, ex duobus malis minus elegit.

6. Quodsi tamen magis definitè pronuncian-

dum ſit, non improbabile eſt, ſi prima civitatũ initia, ab *ambitione*, repetas, dum callidi & ambitioſi, coadunatis utcunque hominibus, ſimpliciores & imbelles oppreſſere, in eoſque dominatum ſumſerunt, hoc enim ex indole hominum, quid ſcilicet illi appetere vel averſari ſoleant, imo ex certaminibus, quæ circa imperia conſtituta occurrunt, non male forſitan colligas.

7. Jactis ita fundamentis, alii variis de cauſis acceſſere, aut etiam nova corpora civilia condere, vel evitando dominatui, respublicas polyarchicas inſtituere cœperunt. Poſtquam vero ûnum & alterum ejusmodi corpus validum inter homines exſtitit, tum non abnuerem, alios *metu malorum* præcipuè fuiſſe impulſos, ut in ſimilia corpora coirent, ne ab aliis, arctiori vinculo conjunctis, opprimerentur, ſed quod metus prima fuerit cauſa, quæ magnum hominum numerum, ad ſolennem deliberationem, ac civitatis conſtituendæ decretum ejusque executionem compulerit, id utique fabuloſum videtur.

8. Illud interim manifeſtum eſt, quamcunque demum cauſam conſtitutarum civitatum adſtruere velis, quod Civitatum exiſtentia hominum *naturam ex parte malam* præſupponat, nam vel â malitiâ, vel in remedium malitiæ, illæ ſunt introductæ; quod ſi autem hominum natura penitus *recta* & *integra* foret, tum nihil

eſ-

esset quod civitatem homini facere potuerit appetibilem.

CAPUT VI.

DE INTERNA CIVITATUM STRUCTURA.

§. I.

PRoximum est, ut investigemus, qua ratitione civitates sint extructæ, earundemque *interna compages* cohæreat. Ubi illud primo manifestum est, adversus mala ab hominum pravitate imminentia singulis hominibus neque locum aliquem, neque arma, neque animantia bruta commodius & efficacius præsidium potuisse suppeditare, quam *alii homines*, eorum autem vis cum in longe distantia non feratur, necessum erat *conjungi*, per quos finis iste obtinendus erat.

Observ. 548.

Proximum est.) Pergit Antor ad civitatum *structuram*, sed debebat præcedere disquisitio de *aptitudine coëuntium vid. Observ.* 539. de qua paucis ita dicendum. Homines ad civitates sunt apti, ob *usum rationis*, quo structuram civitatis

tis intelligunt & efficere possunt *vid. l. 7. c. 1. §. 3.* deinde ob *residuam naturæ bonitatem*, cui si accedat debita cultura, homines utique animalia politica, aut boni cives esse vel evadere possunt.

Observ. 549.

Ubi illud primo manifestum) Circa Civitatum structuram spectari poterit *materia* & *forma*, illam constituere homines, facile liquet, nec opus est, ut ex metu malorum, cum Autore, hoc repetamus, *§. 1. h. add. l. 7. c. 2. §. 1.*

Observ. 550.

Eorum autem vis) Forma consistit in legitima hominum conjunctione, cujus necessitatem Autor hic iterum ex sua, de metu, hypothesi, repetit, sed non opus est, ut ad causam impellentem præcise respiciamus, cum finis vel ultro, vel variis de causis assumtus, illa omnia determinet. Id potius observandum, quod unio voluntatum moralis, quæ consensu fit, dupliciter fieri possit, vel enim plures ita uniuntur, ut maneant æquales ac singulis competat potestas de iis, quæ ad utilitatem totius coetus necessaria existimantur, statuendi, vel ita, ut sublata æqualitate, uni saltem vel quibusdam, illa facultas, cum imperio in reliquos, competat; Prior nexus, doctrinæ gratià, dici poterit *simplicis obligationis*, posterior *imperii*, homines *pacto* & *imperio* connecti docet Autor *l. 7. c. 4. §. 9.* sed inter hæc non est justa op-

oppositio *conf.* Specim. jur. publ. Romano-German. *l. 6. c. 7. §. 13. 14. 15.*

§. 2. Nec minus constat, ejusmodi securitatem adversus alios homines præstare non posse duorum vel trium consensionem. Quia facile est, ut ad paucos hosce opprimendos tot conspirent, quot certissimam sibi de illis victoriam spondere possint; quibus spes successus & impunitatis fiduciam ad aggrediendum est datura. Igitur ad istum finem necessarium est, *insignem hominum multitudinem* sese conjungere; ut paucorum hominum ad hostes accessio non sit ipsis conspicui momenti ad victoriam.

Observ. 551.

Nec minus constat) Requirit porrò Autor ad civitatem *homines multos* §. 2. *h. add. l. 7. c. 2. §. 2.* sed ex sua iterum hypothesi, qua ob metum malorum, homines primò coiisse arbitratur, quam si neges, etiam hic aliter erit pronunciandum, mihi sic videtur: Si civitatem ex sola autonomia æstimes, tum familia, in statu naturali exstistens, civitas est, illiusque adeo numerus ad hanc sufficit, si vero civitatem, vel ut majus quid, â familia distinguas, tum numerus, hac major, ad illam requiritur, qui deinceps, ex comparatione cum Rebuspublicis, vicinis, amplius determinandus est.

§. 3. Inter multos istos, hoc fine coëuntes,

tes, oportet, ut ſit *conſenſus circa adbibenda media ad eundem finem idonea.* Nam etiam multi, ni conſentiant inter ſe, ſed diſtracti ſententiis in diverſa tendant, nihil efficient. Aut licet ad tempus conſentiant, impellente aliquo affectu: mox tamen, prout mutabilia ſunt hominum ingenia & inclinationes, in diverſa abibunt. Et quamvis pacto inter ſe promittant, quod ad defenſionem communen vires ſuas ſint adplicaturi: tamen ne hoc quidem modo ad diuturnitatem iſti multitudini ſat cautum erit. Sed oportet, ut quid amplius accedat, ut qui ſemel ad pacem & mutuum auxilium cauſa communis boni conſenſerint, prohibeantur, ne poſtea, cum bonum ſuum privatum à publico diſcrepare viſum fuerit, iterum diſſentiant.

Obſerv. 552.

Inter multos iſtos) Ut penitius conſtet, quo nexus genere civitates conſtruantur, præſupponendum eſt, quod civitas ſit vel *ſimplex* ſ. *una*, vel *compoſita*, quæ ex nonnullis conſtat, ac Syſtema civitatum etiam dici ſolet. Hoc præſuppoſito Autor rectè, quoad Civitatem ſimplicem, requirit *unionem*, recte etiam *nexum ſimplicis obligationis*, velut inſufficientem, removet §. *3. h. add. l. 7. c.* 2. §. *3. 4.*

§. 4. Cæterum in humano ingenio *duo*

po-

potissimum occurrunt *vitia*, quæ impediunt, quo minus multi, sui juris & abs se invicem non dependentes, diu in communem aliquem finem possint conspirare. Unum est *diversitas inclinationum & judicii* circa discernendum, quod ad finem est utilissimum: cui in multis est conjuncta *hebetudo* ad dispiciendum, quæ sententia ex pluribus sit magis proficua, & *pervicacia* mordicus defendendi, quod semel utcunque arriserit. Alterum est *torpor & aversatio* ultro faciendi, quod utile est, ubi desit aliqua necessitas, quæ tergiversantes, velint, nolint, ad officium faciendum subigat. Priori vitio occurritur, unitis in perpetuum voluntatibus omnium. Posteriori autem, si constituatur aliqua potestas, quæ præsens & in sensus incurrens malum infligere possit communi utilitati reluctantibus.

§. 5. *Uniri multorum hominum voluntates* nulla alia ratione possunt, quam si unusquisque suam voluntatem voluntati unius hominis, aut unius consilii subjiciat, ita ut deinceps pro voluntate omnium & singulorum sit habendum, quicquid de rebus ad securitatem communem necessariis ille voluerit.

§. 6. *Potestas* autem talis, quæ omnibus sit *metuenda*, itidem inter multos homines

nulla

nulla alia ratione constitui potest, quam si omnes & singuli sese obligaverint, quod eo modo vires suas sint adplicaturi, sicut ille voluerit, in quem omnes virium suarum directionem resignarunt. Ubi autem & voluntatum & virium unio facta fuerit, tunc demum multitudo hominum in validissimum corpus, civitatem nimirum animatur.

Observ. 553.

Cæterum in humano ingenio) Recte etiam Autor, commemoratis vitiis, quæ cœtus humanos facilè solvere soleant, arctiorem nexum, quem *imperii* diximus, requirit §. 4. *h.* ejusque indolem in *submissione voluntatum & virium, uni vel paucis facta*, consistere docet §. 5. 6. *add. d. l. 7. c. 2. §. 5. 6.*

§. 7. Porro ut civitas *regulari modo* coalescat, requiruntur *duo pacta*, & *unum decretum*. *Primo* enim omnium illi multi, qui in libertate naturali constituti intelliguntur, ubi ad civitatem faciendam congregantur, inter se *singuli cum singulis pactum* ineunt, quod in unum & perpetuum cœtum coire velint, suæque salutis ac securitatis rationes communi consilio ac ductu administrare; uno verbo, quod velint concives mutuo fieri. In quod pactum omnes & singuli ut consentiant, necessum est; & qui non consenserit, is extra futuram civitatem manet.

Observ.

Observ. 554.

ut civitas) Non novus nexus innuitur, pro-
quidem videri poterat, ſed quomodo ne-
s imperii, antea delineatus, producatur, ex-
nitur. Nimirum, ex ſententia Autoris, ut
bditi, Imperanti, nexu imperii arctiori ob-
ingantur, primo quidem inter ipſos pactum,
o ſimplex obligatio producatur, intercede-
debet §. 7. *h*.

8. *Post* iſthoc pactum oportet, ut *decre-*
fiat, *qualis forma regiminis* ſit introdu-
la. De hac enim antequam conſtitutum
ihil conſtanter poterit expediri, quod ad
mmunem ſalutem faciat.

9. Poſt decretum circa formam regi-
is *altero pacto* opus eſt, quando conſtitu-
ur ille vel illi, in quem vel quos regimen
entis civitatis confertur; quo quidem
o hi ad curam communis ſecuritatis &
tis reliqui ad obſequium his præſtandum
obſtringunt; quo ipſo etiam omnes ſu-
voluntatem ſubjiciunt voluntati iſtius vel
rum, ſimulque ſuarum virium uſum & ad-
ationem ad communem defenſionem ei-
n vel iisdem deferunt. Atque hoc pactum
rite fuerit exſecutioni datum, tunc de-
m perfecta & regularis civitas inde pro-
iit,

Observ. 555.

Post isthoc pactum) Postquam multitudo simplici illo pacto, in aliquem coetum, utcunque digesta est, facilé deprehendit, unionem illam, ad procurandam salutem publicam, non sufficere, nec diu durare posse, hinc de arctiori conjunctione, deliberat & decernit §. *8. b.* post quod decretum, sequitur secundum pactum, quo subditi voluntates & vires, designato Imperanti submittunt, atque ita nexum imperii producunt §. *9. b. add. d. l. 7. c. 2.* §. *7. 8. 9. 10. 11. 12.*

2. Cæterum ista Pufendorfii philosophia, recentioribus licet nonnullis *vid.* Kulpis *Monzamb. p. 2. c. 6.* §. *7. pag. 226. n. 2.* probata, partim ex falsis hypothesibus (quasi ingens hominum multitudo, civitatis condendæ causa convenerit, aut omnes, vel primæ saltem civitates, libero consensu constructæ sint, quarum neutra tamen veritati est consentanea] resultat, partim, iis licet admissis, in se falsa est.

3. Nimirum primum pactum, illudque insecutum decretum, quod Autor loquebatur, vel ad fabulas pertinet, vel ita simpliciter non est admittendum, nam si quis imperium, per vim in alios sibi sumat (quæ civitatum origo valde probabilis est) tum manifestum est, quod primum illud pactum & decretum cessent, & licet illi coetui deinceps alii accedant, quia tamen Imperans jam adest, cnm eo saltem, non etiam concivibus, pactum initur.

4. Si

4. Si verò hominum multitudo ultrò civitatem constituere velit (qui casus, post prima civitatum initia, dabilis omnino est) tum quia nondum adest Imperans, cum quo pactum inire queat, hactenus utique primum illud pactum, idque secutum decretum, erit admittendum, quo per ea, multitudo, ad pactum cum Imperante celebrandum, habilis reddatur, interim primum illud pactum, magis re ipsa seu facto, quam expresso consensu fiet, & post pactum, cum Imperante deinceps initum, exspirabit, nam, constituta civitate, nullus ejus effectus amplius apparet.

5. Breviter: Si imperans sibi facit subditos, tum unicum pactum adest, si subditi Imperantem quærunt, tum duplex quidem occurrit, sed primum saltem temporarium est, & efficiendo secundo interim confectum, non secus ac pulpita vel contignationes, ædium exstruendarum causa, confici solent, quæ his exstructis, iterum tolluntur.

6. Absolvitur igitur omnis Civitatum structura, *unico pacto*, quod inter *Imperantem* & *futuros subditos* initur. Hoc *reciprocum* est, ac subditos *nexu imperii*, Imperantem verò *simplici obligatione* obstringit, ac non simul sed *successive* celebratur, vel saltem pacto primævo, successu temporis, alii accedunt.

§. 10. Civitas ita constituta ad modum *unius personæ* concipitur, unoque *nomine* ab

omnibus particularibus hominibus distinguitur, atque dignoscitur; habetque peculiaria *jura*, ac *res* proprias, quæ neque singuli, neque multi, neque adeo omnes simul citra eum, qui summum habet imperium, seu cui regimen civitatis commissum, sibi asserere possunt. Unde civitas *definitur*, quod sit persona moralis composita, cujus voluntas ex plurimum pactis implicita & unita, pro voluntate omnium habetur, ut singulorum viribus & facultatibus ad pacem & securitatem communem uti possit.

Observ. 556.

Civitas ita constituta) Poterit Civitas considerari vel in ordine ad *Imperantem & subditos*, vel *alios*, illo respectu per modum *status* concipitur, in quo Imperantes & subditi existunt, hoc vero, ad modum *personæ moralis compositæ* §.10. *h. add. l.7. c.2. §. 13.*

Observ. 557.

Unde civitas definitur) Desumta est hæc definitio ex Hobbesio *de civ. c. 5. §. 9.* nec valde laudari debet, cum Civitatem & Imperantem confundat, àc licet de illâ auspicetur, in hujus tamen definitionem revera desinat; Facienda quidem, in definitione Civitatis, mentio Imperantis est, sed non ideo hic, in ejus locum substituendus, quod tamen aperte heic fit. Aliam & forte meliorem, definitionem dedi in Specim. Jur. publ. Romano-germ. *l. 6. c.* 7. §.16.

§. 16. ubi etiam in ſequentibus oſtendi, in quo civitatis *perfectio* & *unitas* conſiſtat, quæ huc transſcribere non attinet.

§. II. Exſerit autem ſeſe *voluntas civitatis*, tanquam principium actionum publicarum vel *per unum hominum*, vel *per unum concilium*, prout in illum aut hoc ſumma rerum fuit collata. Ubi penes unum hominem eſt regimen civitatis, civitas velle intelligitur, quodcunque iſti homini, [cui ſanam rationem conſtare præſupponitur,] placuerit, & quidem circa negotia, quæ ad finem civitatum ſpectant.

Obſerv. 558.

Exſerit autem ſeſe voluntas) Conſtituta civitate, exiſtunt *Imperantes* & *ſubditi*. Illi ſunt *per quorum voluntatem phyſicam, voluntas totius civitatis ſe exſerit*, ſeu *qui ea omnia, quæ utilitas civitatis requirit, ac quæ arbitrio humano effici poſſunt, facere, ſubditorumque actiones & vires, independenti imperio, eò dirigere poſſunt & debent.*

Obſerv. 559.

Ubi penes unum hominem] Si penes unum hominem imperium ſit, tum Civitas quidem per ejus voluntatem celerrimè operari poteſt, ſed non quævis hujus voluntas, pro illius voluntate haberi debet, ſed tum demum, ſi homini illi (1) ſana ratio conſtet (2) ſciens & prudens ille agat, [3] circa negotia ad finem ci-

vitatis ſpectantia & quidem (4) juxta præſcriptum legum fundamentalium, aliquid velit *add. l. 7. c. 2. §. 14.* ſed ubi illa in tantâ libertate obſervantur? ut facile liqueat, quanto periculo, vita & fortunæ ſubditorum, imò & vicinorum imbellium, hoc rerum ſtatu, ſint expoſitæ.

§. 12. Verum ubi regimen civitatis collatum eſt concilium, ex pluribus hominibus conſtans, quorum quisque ſuam retinet voluntatem naturalem; regulariter illud habetur pro voluntate civitatis, in quod conſenſerit *major pars* hominum, ex quibus concilium componitur; niſi expreſſe ſtatutum *ſit*, quota pars concilii conſentiens requiratur ad repræſentandam voluntatem univerſitatis. Ubi autem duæ ſententiæ diſcrepantes, pares ſint, nihil agetur, ſed res in priori ſtatu manebit. Inter plures ſententias diſcrepantes illa prævalebit, quæ ſingulis diſſentientibus major eſt; modo in ea tot conſpirent, quot alias voluntatem univerſitatis per ſanctiones publicas repræſentare poſſunt.

Obſerv. 560.

Verum ubi regimen) Si imperium pluribus ſit collatum, tum quia multiplex eſt voluntas, per quam actiones publicæ ſuſcipi debent, adeoque diſſenſus oriri poteſt, hinc utile eſt, ut plures illi *nexu imperii* ita uniantur per leges fun-

da-

damentales, quo majora valeant, ac plures conſpirantes pro imperio decernere, ac pauciores diſſentientes, ad ſervandum placitum, adigere queant, per quas leges ipſa etiam majoritas, ejusque effectus amplius determinatur, quod Autor §. *12. h.* indicat, ac amplius *l. 7. c. 2.* §. 15. 16. 17. 18. 19. illuſtrat. An verò in hac aut illâ Republicâ polyarchicâ, majora valeant, tum quæ majoritatis ratio eſſe debeat, illud ex pactis fundamentalibus cujusvis civitatis repetendum eſt; Interim ſi aliud expreſſe non ſit conſtitutum, in rebuspublicis ſimplicibus (ſecus in compoſitis) pro autoritate majorum votorum præſumendum eſt, de quo pluribus egi in *Vindic. Vitriar. caſtigat. annot. 299. ſeqq.*

§. 13. Civitate iſta conſtituta, ille, in quem imperium eſt collatum, prout eſt vel unus homo, vel unum concilium paucorum aut univerſorum, *monarcha*, *ſenatus*, aut *populus liber* dicitur; reliqui ſubditi audiunt, aut *cives*, vocabulo hoc *latius* accepto. Etſi presſius illi quibusdam duntaxat cives ſoleant dici, quorum coitione & conſenſu primo civitas coaluit, aut qui in horum locum ſucceſſerunt; nempe patresfamilias. Sunt porro *cives* vel *originarii* vel *adſcititii*. Illi ſunt, qui vel initio civitati naſcenti interfuerunt, vel qui ex hiſce ſunt geniti; quos etiam *indigenas* ad-

pellari mos est. Hi autem sunt, qui civitati jam constitutæ extrinsecus accedunt eo fine, ut fortunarum ibi sedem figant. Nam qui tantum ad tempus commorandi causa in civitate versantur, etsi tantisper ipsius imperio subjiciantur; cives tamen non habentur sed peregrini aut inquilini vocantur.

Observ. 561.

Civitate ita constituta) Circa nomina Imperantium, quæ hic referuntur, illud observandum, quod Respublica sui juris, uti formam, ita etiam titulum mutare, ac v. gr. Ducem liberum, Regem dicere possit, eo effectu, ut ab subditis pro tali haberi debeat, exteris tamen *liberum* quoque erit, an eundem titulum *eidem* tribuere velint necne, licet dissentire videatur Autor *l.* 7. *c.* 3. §. 9. nam cum ab ejusmodi titulo, major existimatio aliæque prærogativæ dependere soleant, non poterit sane quis, regii nominis usurpatione, ad eas sibi tribuendas, invitas Gentes adigere, aut denegationem earum, injuriam interpretari.

Observ. 562.

Reliqui subditi audiunt) Hos alteram personarum classem constituere, jam *Observ.* 558. admonui. Est autem subditus, *qui Civitati & Imperanti, quoad vitam & fortunas subest, in iis, quæ ad utilitatem Reipublicæ pertinent, ac imperio humano obtineri possunt.*

Observ.

Observ. 563.

Aut cives, vocabula hoc latius accepta) Civium nomen ambiguum est, poterit enim civis accipi [1] pro subdito (2) pro eo, cujus consensu civitas coaluit (3) pro eo, qui de imperio civili participat [4] qui jurium alicujus Reipublicæ [5] alicujus municipii capax & particeps est *add. l.* 7. *c.* 2. §. 20. Primus & ultimus significatus, usitatissimi sunt, secundi exiguus videtur usus, tertius ad democratias pertinet, quartus olim in Republica Romana obtinuit.

Observ. 564.

Sunt porro cives) Cives sive subditi (1) sunt vel *perpetui* vel *temporarii*, illi vel *originarii* vel *adscititii* §. 13 *h.* 2) à *vario statu & existimatione*, varie quoque distingui possunt *vid. d. c.* 2. §. 21. 22. 23, 24. quæ discrimina, ex habitu cujusvis Reipublicæ, specialius cognoscenda sunt.

Observ. 565.

Illi sunt, qui vel initio) Sed quis hoc ostendet post aliquot seculorum, per quæ Respublica stetit, decursum? Non opus est, ut in definiendis civibus originariis & adscititiis, tam altè ascendamus, ac primas sollicitemus origines, videtur cum hoc discrimine comparatum esse, sicut cum antiquitate & novitate, quicquid ante centum annos v. gr. novum fuit, id hodie jure optimo rebus antiquis annumerabitur, ita qui, per tempus satis longum, indige-

natum in aliqua civitate obtinuit, ille civibus originariis adſcribi poterit, ſed qui nuper eum conſecutus eſt, is ad claſſem adſcititiorum remittendus erit. Forte etiam totius illius diſcriminis non magnus eſt uſus.

§. 14. Iſta tamen, quæ ſuper origine civitatum tradita ſunt, non obſtant, quo minus *imperium civile à Deo* eſſe recte dicatur. Cum enim idem legem naturalem ab omnibus hominibus exerceri velit; & vero poſt multiplicatum genus humanum tam horrida vita inter homines proventura fuerit, ut legi naturali vix ullus relinqueretur locus; cujus tamen exercitinm per inſtitutas civitates egregie promovetur; ergo, cum qui jubet finem, jubere etiam cenſeatur media ad finem neceſſaria,) Deus quoque mediante dictamine rationis antecedenter præcepiſſe humano generi multiplicato intelligitur, ut civitates, quæ ſummo imperio velut animantur, conſtituerentur. Quarum ordinem quoque in divinis literis expreſſe adprobat, ejusque ſanctimoniam peculiaribus legibus ſancit, ſibique illud peculiariter curæ eſſe teſtatur.

Obſerv. 566.

Iſta tamen, quæ ſuper origine) Inter Imperantem & ſubditos eſt nexus moralis reciprocus, *illi* inhæret jus & obligatio publicam promovendi utilitatem, quibus in *his* obligatio ac jus reſpon-

spondet. Jus Imperantis, notissimo termino, *Majestas* dicitur, de cujus *origine* varie disputatur.

Observ. 567.

Cum enim idem legem) Autor censet, eo sensu imperium civile esse â Deo, quod *ejus constitutionem antecedenter Deus praeceperit*, sed uti hoc non adeo liquidum, certe non generale est, nec ad omnes civitatum formas, multo minus ad imperii civilis abusum, pravis Imperantibus usitatum, pertinet, ita, licet suo modo admittatur, ad rem tamen nihil facile videtur, cum Deus ita saltem sit causa *moralis* imperii civilis, non autem *efficiens*, de qua tamen unice quæstio est.

Observ. 568.

Quarum ordinem quoque) Deinde, *quod constitutum approbet* add. *l.* 7. *c.* 3. §. 2. sed ita non est *originis*, sed *approbationis* saltem divinæ. Alii censent Majestatem eo sensu esse immediatè â Deo, quod Idem eam, velut ens aliquod physicum, creet, ac Regi, voluntate populi designato, infundat, quas nænias solide & eleganter refellit Autor *l.* 7. *c.* 3. §. 3. 4. *seqq. add.* Thomas. *J. J. D. l.* 3. *c.* 6. §. 66. *seqq.* Vitriar. *J. J. P. l.* 3. *tit.* 13. §. 9. *in fin.*

2. Non difficile erit, veram Majestatis originem ostendere, modo pueriles conceptus ac parasitorum principia seponas. Nimirum sicut alia jura, occasione pacti per legem naturalem constituuntur, ita quoque Majestas, juxta men-

mensuram pacti inter Imperantem & subditos initi, de quo *Observ. 555. n. 6.* voluntate divina, illi tribuitur ac simul subditis obligatio, imperio respondens, imponitur. Est igitur Majestas, ad modum aliorum jurium seu entium moralium, immediate à Deo, ut non intercurrat intermedia causa *efficiens*, pactum verò præcedens, est *causa sine qua non* vel *occasionalis*, quâ remotâ, Deus illud jus non largitur, in quem sensum philosophia Autoris *d. l. 7. c. 3.* §. 1. etiam accipi potest, utut terminis aliter paulo se habentibus, eam proponat.

CAPUT VII.

DE

PARTIBUS SUMMI IMPERII.

§. I.

QUæ *partes* sint summi imperii, & quibus modis ejusdem sese vis in civitatibus exserat, ex natura & fine earundem liquido potest colligi.

Observ. 569.

Quæ partes sint summi imperii) Majestas est *summa & independens potestas, ob mutuum futuri Impe-*

Imperantis & Subditorum consensum, lege naturali Imperanti tributa, qua, ad obtinendam beatitudinem civilem, quosvis actus cum Exteris suscipere, subditorumque actiones & vires dirigere potest, quam definitionem pluribus exposui in *Specim. Jur. publ. l. 6. c. 8. §. 14. seqq.*

2. Mensura igitur Majestetatis, est *utilitas civitatis*, ex hoc adeo fine, singulas etiam partes posse & debere judicari, Autor recte dicit §. *1. h.* De cætero planissime Majestas pro *complexu variorum jurium* habetur, quorum singula, partes ejus constituunt. Alii censent, Majestatem esse rem indivisibilem, quæ circa quodvis objectum tota occurrat, & pro ratione peculiaris objecti, peculiare saltem sortiatur nomen *vid.* Vitriar. *J. J. P. l. 1. tit. 7. §. 5.* sed manifestum est, quod illa doctrina ex ignorantiâ rerum moralium oriatur, seu sit falsæ hypotheseos, qua Majestas, Ens aliquod physicum esse existimatur, consectarium, ut mirer, ab illa philosophia sibi non temperasse Autorem l. *7. c. 4. §. 1.*

3. Dicuntur etiam partes Majestatis, *Regalia*, quæ in *Majora* & *Minora*, ut & in ea, quæ *pacis* aut *belli* tempore obtineant, aut *utrique* sint communia, à nonnullis discernuntur *vid.* Thomas. *J. J. D. l. 3. c. 6. §. 144.* Sed incertæ & parum constantes sunt illæ divisiones, hinc optime Majestas distinguitur in *immanentem*, quæ Rempublicam ipsam, & *Transeuntem*,

quæ

quæ Exteros reſpicit *vid.* Jacob. Thomaſ. *Philoſ. Pract. tab. 49. ibique annot.*

4. Immanens Majeſtas ſummatim *libertate* & *imperio* conſtat, ac vel circa *ſacra* vel *profana* occupatur, ab objectis vero magis ſpecialibus, ſpecialius diſtinguitur, quod in hypotheſi oſtendi in *Specim. Jur. public. l. 3. c. 1. 2.* Tranſiens vero, *libertas* ſaltem eſt, ac in *pacificam* & *bellicam* diſcernitur, illa, ſi mediate exerceatur, *jus legationum* dicitur, quod circa *negotia concilianda*, *fœdera pangenda* ac *civilitatem explicandam* ſummatim occupari videtur, qua de re, iterum in hypotheſi nonnihil explicatius egi *d. tr. l. 3. c. 4.*

5. Circa ſingulas autem imperii civilis partes, obligatio occurrit, qua Imperans earum exercitium, ad utilitatem Civitatis, referre tenetur, hoc igitur quo recte exequatur, probitate & prudentia politica opus eſt, quæ ex accurata tum propriæ, tum vicinarum civitatum cognitione, advenit.

§. 2. In civitate omnes ſuam voluntatem ſubmiſerunt voluntati imperantium circa negotia ad ſalutem civitatis facientia, qvod velint facere, quidquid illi voluerint. Hoc ut fieri poſſit, neceſſum eſt, ut *imperantes civibus ſignificent, quæ ipſorum circa talia ſit voluntas.* Iſtud igitur faciunt non ſolum *per mandata ad ſingulos* directa circa negotia particularia; ſed etiam *per generales regulas,* unde

unde omnibus in perpetuum de agendis omittendisvè constet. Per quas etiam definiri solet, quid cuique suum, quid alienum censeri debeat; quid in civitate pro licito, quid pro illicito; quid pro honesto aut inhonesto habendum; quid cuique ex libertate naturali supersit, aut quomodo quisque usum suorum jurium ad tranqvillitatem civitatis temperare debeat; quid denique & quo modo quisque suo jure ab altero exigere queat. Hæc omnia enim liquido definita esse, ad decus & tranquillitatem civitatis plurimum facit.

Observ. 570.

In civitate omnes) Autor promiscuè nonnullas Imperii partes recenset, quæ tamen neque totam Majestatem exhauriunt, neque accurate satis ubique sibi opponuntur. Primo occurrit *Potestas Legislatoria*, quæ recte pro parte habetur, quatenus normam agendi, subditis præscribit.

Observ. 571.

Per quas etiam definiri solet) Sed illa facultas definiendi, intelligenda est *salvis legibus divinis*, nam utut Autor, crassioris philosophiæ Hobbesianæ, omne honestum & turpe, â legis humanæ definitione suspendentis, *de civ. c. 6. §. 9. 16.* verba usurpet, hoc tamen eum sano sensu fecisse, existimandum est, cum ex aliis locis hoc satis

ſatis appareat *add. l. 7. c. 4. §. 2. l. 8. c. 1. §. 2 ſeqq.*

§. 3. Is porro potiſſimus civitatum finis eſt, ut homines mutua conſpiratione & ope tuti ſint adverſus damna & injurias, quæ ab hominibus invicem inferri poſſunt & ſolent. Id ut obtineatur ab hominibus, quibuscum in eandem ſocitatem conjungimur, non ſufficit, ut mutuo inter ſe paciſcantur de injuriis non inferendis; neqve etiam ut nuda ſuperioris voluntas civibus innoteſcat: ſed opus eſt *metu pœnæ, & facultate eandem repræſentandi.* Quæ pœna, ut huic fini ſufficiat, ita eſt temperanda; ut aperte majus malum ſit leges violaſſe, quam obſervaſſe; utque adeo pœnæ acerbitas voluptati aut lucro, quod ex injuria capitur aut ſperatur, præponderet. Nam non poſſunt homines non ex duobus malis minus eligere. Licet autem multi per imminentem pœnam ab injuriis non reprimantur, id tamen inter minus frequentia habendum eſt; quæ plane evitare conditio humana non patitur.

Obſerv. 572.

Is porro potiſſimus) Deinde *poteſtas puniendi* adducitur, quam ita exercendam eſſe, ut ſcopum propoſitum, in quantum indoles vitæ humanæ hoc admittit, illa aſſequatur, Autor hic præcipit *add. l. 7. c. 4. §. 3.* qua de re *c. 13.* amplius diſpiciendum erit. *Obſerv.*

Observ. 573.

Ut aperte majus malum sit, leges violasse, quam observasse) Sed estne malum leges observare? Est, non juxta *rei veritatem*, sed *delinquentis opinionem*, quæ hic respicitur, cum per pœnam sit corrigenda.

§. 4. Quia etiam sæpe controversiæ super recta legum adplicatione ad facta singularia oriri solent, ac multa accurate expendenda occurrant, si quid contra leges factum esse dicatur: inde, ut inter cives tranquillitas constet, summi imperii est *lites civium cognoscere & decidere*, singulorumque facta, quæ legibus contraria arguuntur, examinare ac pœnam legibus convenientem dictitare & exsequi.

§. 5. Ut autem, qui in civitatem coiverunt, adversus extraneos tuti sint, summi imperii est *congregare*, *unire & armare*, aut ejus loco conducere, quot pro incerto numero, & viribus hostium ad communem defensionem opus visum fuerit; rursusque ubi expedierit pacem facere. Cumque & belli & pacis temporibus inserviant *fœdera*, ut & commoda diversarum civitatum melius communicari possint, & validior hostis junctis viribus repelli, aut in ordinem redigi queat; penes summum quoque imperium erit, utrique

temporiinservientia fœdera inire, universosque subditos ad ea servanda obstringere, simulque exinde redundantia commoda in civitatem derivare.

§. 6. Cum etiam civitatis amplæ negotia, tam belli quam pacis tempore occurrentia ab uno homine sine *ministris* & *magistratibus* exsecutioni dari nequeant; opus erit ab summo imperio constitui homines, qui ipsius vice controversias civium examinent, vicinorum consilia explorent, milites gubernent, opes civitatis colligant, & dispensent, ac denique utilitati civitatis undique prospiciant. Quos ipsos summus imperans ad officium faciendum compellere, gestorumque rationes poscere potest ac debet.

§. 7. Quia porro nec belli nec pacis tempore civitatis negotia sine *sumtibus* geri possunt, summi imperii est adigere cives, ut eosdem suppeditent. Id quod variis modis contingit; puta, si vel cives aliquam bonorum aut proventuum regionis abs se insessæ partem ad hos usus seponant, vel singuli cives de suis bonis conferant, simulque ubi opus sit operas suas præbeant; vel si vectigalia imponantur mercibus, quæ importantur, & exportantur, (quorum illud tamen magis cives,

hoc

hoc externos onerat,) aut si de pretio rerum, quæ consumuntur, modica pars decidatur.

Observ. 574.

Quia etiam sæpe) Ulterius sub imperio civili continetur *potestas judiciaria* §. 4. jus *belli* & *pacis* nec non *fœderum* §. 5. (sub quo jus *Guarantiæ*, *neutralitatis*, similiaque jura comprehenduntur) *mediationis* & *civilitatis publicæ exhibendæ* (quæ tria jura, mediate exercita, nomine *juris legationum* venire *Observ. 569. n. 4.* jam dixi] Denique *jus constituendi ministros & Magistratus* §. 6. ac *jus exigendi sumtos publicos* §. 7. *add. d. l. 7. c. 4. seqq.*

§. 8. Denique cum singulorum actiones à sua cujusque opinione regantur; plerique autem de rebus ita soleant judicare, prout assueverunt, & prout communiter judicari vident; paucissimi proprio ingenio vera & honesta dispicere queant; inde civitati expedit, ut publice ejusmodi *doctrinis* personet, quæ cum recto fine & usu civitatum congruunt, simulque animi civium à puero istis imbuantur. Ejusmodi igitur doctrinas, qui publice doceant, summi imperii est constituere.

Observ. 575.

Denique cum singulorum) Ad imperium etiam pertinet *Jus Scholarum & cura religionis*. Sub illo continetur (1) *Jus instituendi scholas*

(2) *promovendi veram ſanamque doctrinam, noxiamque excludendi* §. 8. h. (3) *impediendi, ne diverſæ ſententiæ, in odia & rixas erumpant, ac pacem civilem turbent add. l. 7. c. 4. §. 8.*

2. Cura religionis involvit (1) *jus proſpiciendi, ne, prætextu religionis, ſocialitas turbetur, ac vel Reſpublica, vel ſinguli, in juribus ſuis, immerito lædantur,* quod Imperantes magna ſollicitudine exercere debebant, ſed eo fere res rediit, ut, in ejus neglectu vel uſu contrario, ſalutem ſuam contineri exiſtiment. Quoad ipſam religionem (2) *non habet Imperans jus religionem comminiſcendi, imperandi, aut, ob non admiſſam, vel rejectam, puniendi.* Poſita vero religione, vel *conſenſus* vel *diſſenſus* adeſt, illo caſu (3) *habet jus ea omnia agendi, quo religio debitè inſtituatur & conſervetur,* ex quo varia jura ſpecialia fluunt.

3. In caſu diſſenſus habet (4) *jus diſſentientibus emigrationem injungendi, citra ullam tamen læſionem, aut eos non recipiendi,* quod facilius procedit, non minus tamen ipſi competit (5) *jus eos recipiendi vel tolerandi.* Poſita autem tolerantia amplius habet (6) *jus à ſuæ Eccleſiæ cœtu diſſentientes excludendi,* fidei formulis eo fine compoſitis, ad quas tamen non temere ruendum (7) *conciliationem tentandi,* per amicas collationes ſine ulla vi, vel directa vel indirecta (8) *cultum publicum circumſcribendi,* vel *plane prohibendi,* denique (9) *cultum publicum*

ad-

admissum dirigendi, in quantum id indoles religionis, conscientia Imperantis, & eorum, qui religionem istam sectantur, admittit. De cætero, pro diversitate dissensûs, hoc jus aliquando sibi asserunt imperantes, aliquando negligunt, ac curam religionis ordinandæ, dissentientibus ipsis relinqunt.

4. Quæ autem de receptione vel tolerantia dissentientium dicta sunt, illi procedunt, si ipsorum religio non sit insociabilis, nec statui civili repugnet, alioquin non consultum fuerit, hostes in Rempublicam recipere, vel in eâdem tolerare. Sed illa delibasse sufficiat, nam ex generalibus illis principiis ritè probatis, speciales conclusiones deducere, ac quomodo hypocritæ, conscientiarumque tortores, contra eas peccare soleant, ostendere, id instituti angustia prohibet.

§. 9. Sunt autem istæ partes summi imperii naturaliter ita *connexæ*, ut siquidem regularis forma civitati constare debeat, omnes & singulæ penes unum radicaliter esse debeant. Nam si una vel altera plane abfuerit, mancum erit imperium, nec ad finem civitatis procurandum idoneum. Sin autem istæ dividantur, ita ut quædam radicaliter sint penes unum, reliquæ penes alium, irregularem remp. & male cohærentem emergere necessum est.

Observ. 576.

Sunt autem istæ partes summmi imperii naturaliter ita connexæ) Nempe ex hypothesi finis intenti, si enim illi, qui civitatem constituunt, felicitatem civilem intendunt, naturale utique est, ut imperium civile ita efforment, quo habeat omnes partes, ad producendum illum finem necessarias, easque ita dispositas, ut operatio publica commode possit suscipi.

Observ. 577.

Omnes & singulæ penes unum radicaliter esse debeant) Tum radicaliter & independenter, penes unum omnes imperii civilis partes sunt, si in subjecto, vel *physice uno*, vel *nexu imperii unito*, existant, si autem pluribꝰ ita concedantur, vel divisim vel indivisim, aut illi *simplici saltem obligatione* sint conjuncti, tum penes plures independenter & radicaliter reperiuntur.

Observ. 578.

Nam si una vel altera) In se igitur partium Majestatis separatio vel divisio, non est impossibilis, sed, si fiat, operatur saltem vel imperium mancum vel Rempublicam male cohærentem, quod Autor *h.* rectè agnoscit, quamvis *l. 7. c. 4. §. 9. seqq.* divisionis possibilitatem penitus negare videatur, nisi forte ita accipiendus est; *unius partis distractionem non esse possibilem*, vel *divisionem sæpe jactari, ubi tamen revera omne imperium sit penes unum, ejus verò exercitium aliis delegetur*, vel *divisionem in universum esse inutilem*, de quo alii curatius dispiciant.

CAPUT

CAPUT IIX.

DE FORMIS RERUMPUBL.

§. I.

Summum imperium, prout vel in *uno homine*, vel *in uno concilio ex paucis*, *aut universis constante* reperitur, diversas formas rerumpublicarum producere solet.

Observ. 579.

Summum imperium) Postea expenditur Majestas, quatenus civitatem format, nimirum pro diversitate *Subjecti proprii*, cui illa inhæret, diversam, in Republica simplici, producit *formam essentialem* §. 1. h. antequam igitur subjectum illud proprium adsit, civitas perfecta non adest, quod contra Kulpisium pluribus ostendi in *Specim. jur. publ. l. 6. c. 7. §. 20. seqq.* Quodsi Majestas bene vel male in actum deducatur, exinde oritur diversa *forma accidentalis*. Idem contingit, si imperii civilis exercitium, vel arbitrio & conscientiæ Imperantis relinquatur, vel legibus fundamentalibus circumscribatur, *vid. l. 7. c. 5. §. 1.*

§. 2. Sunt autem *formæ civitatis* vel *regulares* vel *irregulares*. Illæ sunt ubi imperium summum in uno subjecto ita est unitum, ut illud indivisum & inconvulsum ab una voluntate per omnes civitatis partes atque negotia sese dispenset. Ubi hoc non deprehenditur, irregularis forma civitatis erit.

Observ. 580.

Sunt autem formæ) Hæc doctrina hactenus eſt reſtringenda ad Reſpublicas *ſimplices*, de his enim hucuſque actum eſt, de cætero tamen diſcrimen Reipublicæ regularis & irregularis, etiam ad *compoſitas* pertinet, ut mox videbimus.

Obſerv. 581.

Illæ ſunt, ubi imperium) Hæc Reipublicæ regularis definitio *add. d. l. 7. c. 5. §. 2.* nimis generalis eſt, nam quando imperium *ita unitum* cenſeri debeat, ut *indiviſum & inconvulſum ab una voluntate exerceatur*, id oſtendendum erat. Mihi ſic videtur: Civitas *perfecta, una & regularis* [ut hæc conjungam) eſt, *ubi à ſubjecto, vel phyſicè uno vel nexu imperii unito, tota Majeſtas, per veram poteſtatum ſubordinationem, in eundem cœtum, aut nomine ejus, erga exteros exercetur; vid. Specim. Jur. publ. l. 6. c. 7. §. 26. 31.*

§. 3. Civitatis *regularis tres* ſunt *formæ*; prima quando ſummum imperium eſt penes unum hominem; & dicitur *monarchia*. Altera quando ſummum imperium eſt penes concilium ex ſelectis duntaxat civibus conſtans; & vocatur *ariſtocratia*. Tertia, quando ſummum imperium eſt penes concilium ex univerſis patribusfamilias conſtans; & appellatur *democratia*. Imprim is, qui rerum potitur, dicitur *monarcha* in ſecunda *optimates*, in tertia *populus*.

Obſerv.

Observ. 582.

Civitatis regularis tres sunt formæ) Monarchia, si reverà talis sit, semper est regularis, subjectum enim Majestatis, physice unum est, adeoque arctius uniri nequit, sed Aristocratia & Democratia, pro diverso unionis modo, regularis & irregularis est, *add.* Op. Maj. *l.* 7. *c.* 5. §. 3.

§. 4. In omnibus hisce formis potestas quidem est eadem. Sed in eo insignem habet *commoditatem* monarchia præ reliquis formis, quod in ea ut deliberetur & decernatur, id est, ut imperium actu exerceatur, non opus sit temporibus & locis condictis, sed quovis loco & tempore deliberari & decerni possit; sic ut monarcha semper in proxima sit potentia ad actus imperii exercendos. Sed ut optimates & populus, qui non sunt una persona naturalis, decernant, necessum est, ut certo loco & tempore conveniant, ibique super negotiis publicis deliberent & decernant: cum alio modo voluntas senatus ac populi, quæ ex conspirantibus majoris partis sententiis resultat, cognosci nequeat.

Observ. 583.

In omnibus hisce formis potestas quidem est eadem) Ex tribus illis speciebus, Democratia habetur pro antiquissima *d. c.* 5. §. 4. sed ex hypothesi dubiâ, quod liberâ voluntate civitates sint consti-

ſtitutæ, hinc ſi ſequaris id, quod *Obſerv. 547. n. 6.* adſtruxi, pro Monarchia potius pronunciandum erit, eſt tamen hujus diſquiſitionis, nulla vel exigua utilitas. Dæ cætero non minus in Ariſtocratiâ ac Democratiâ, quam Monarchiâ, verum imperium civile occurrere, recte dici videtur, ac amplius aſſeritur *d. c. 5. §. 5.*

Obſerv. 584.

Sed in eo inſignem.) De habitu ſingularum ſpecierum, ex generalibus principiis, *Obſerv. 555. n. 2. ſeqq.* inculcatis, judicandum eſt *add. d. l. 7. c. 5. §. 6. 7. 8. 9.* Quæ autem de prærogativa Monarchiæ, quoad celeritatem operandi, heic dicit Autor, illa pertinent ad Monarchiam *abſolutam*, non *limitatam*, præterea non evincunt, quod ideo monarchia, cæteris civitatum formis præferri debeat.

§. 5. Cæterum uti circa alia jura, ita & circa ſummum imperium contingit, ut id alicubi bene, alicubi prave & imprudenter adminiſtretur. Unde fit, ut aliæ civitates *ſanæ*, aliæ *morbidæ* & *corruptæ* dicantur: etſi propter iſtiusmodi morbos peculiares formas aut ſpecies rerumpublicarum comminiſci neceſſum non ſit. Eorum autem morborum, quibus civitates infeſtantur, alii *in hominibus*, alii *in ipſo ſtatu* hærent. Inde alia *vitia hominum*, alia *vitia ſtatus* audiunt.

§. 6.

§. 6. *Vitia hominum in monarchia* ſunt, ſi, qui ſolium obtinet, regnandi artibus deſtituitur, nullaque aut non ſufficiente reipubl. cura tangitur, eamq; pravorum miniſtrorum ambitioni aut avaritiæ lacerandam proſtituit; ſi ſævitia & iracundia idem eſt terribilis; ſi etiam citra neceſſitatem remp. in caſum dare gaudet; ſi quæ ad tolerandos ſumtus reip. conferuntur luxu, aut per inconſultas largitiones diſſipat; ſi pecunias civibus extortas præter rationem accumulat; ſi contumelioſus, ſi injuſtus eſt; & ſi quæ ſunt alia, per quæ mali nomen principis comparatur.

§. 7. *Vitia hominum in ariſtocratia* ſunt, ſi per ambitum, pravasque artes via in ſenatum patet viris improbis aut ineptis, excluſis melioribus, ſi optimates factionibus diſtrahuntur; ſi plebe tanquam mancipiis abuti, & bona civitatis, augendo privato patrimonio, intervertere ſtudent.

§. 8. *Vitia hominum in democratia* ſunt, ſi inepti & turbulenti homines turbulenter & importune ſententias ſuas tueri ſolent; ſi egregiæ & reip. non prægraves virtutes opprimuntur; ſi per levitatem leges temere figuntur, atq; refiguntur & quæ modo placuerunt; mox citra rationem diſplicent: ſi ſordidi & inepti homines rebus gerendis præficiuntur.

§. 9.

§. 9. *Vitia hominum*, quæ *in quamvis civitatis speciem* cadunt, sunt; si quibus imperii administratio incumbit, officio suo negligenter aut prave funguntur, & si cives, quibus sola obsequii gloria relicta est, frænum mordeant.

§. 10. Ast *vitia status* sunt, ubi leges aut instituta civitatis non sunt attemperata ad genium populi, aut regionis; aut ubi eadem cives disponunt ad turbas internas, aut ad justa vicinorum odia incurrenda; aut si eosdem ineptos reddunt ad obeundas functiones, quæ reip. servandæ sunt necessariæ; puta, si per leges civitatis non possint non in imbellem segnitiem resolvi, aut inidonei ad pacem ferendam reddi: aut si leges fundamentales ita sint dispositæ, ut per eas negotia publica non possint non tarde aut difficulter expediri.

§. 11. Morbidis ejusmodi rebuspubl. multi peculiaria quoque vocabula adplicant; ita ut *vitiosa monarchia* vocetur *tyrannis*; *vitiosus status paucorum*, *oligarchia*; *vitiosus status popularis*, *ochlocratia*. Etsi frequenter contingat, ut multi per isthæc vocabula *non tam morbum reip. quam suum affectum aut displicentiam* in præsentem statum, imperantesvè exprimant. Sæpe enim, cui vel rex vel status monarchicus displicet, tyrannum aut dominum

num ſolet vocare etiam legitimum & bonum principem, præſertim ubi is leges ſevere exſequitur. Sic & cui dolet ſenatu ſe excludi, cum tamen aliis ſenatoribus inferiorem ſeſe haut quidquam arbitretur, per contemtum & invidiam ὀλήγȣς illos vocat, q. d. paucos quosdam, qui cum nulla re cæteros emineant, in pares tamen aut meliores non ſine faſtu imperium exerceant. Denique ſuperbo homines ingenio, & quibus æqualitas popularis inviſa eſt, ubi in democratia pari omnes jure de republ. ſuffragia ferre vident, cum tamen in qvavis civitate plebis maximus ſit numerus, ochlocratiam id vocant, q. d. ſtatum, ubi vilis turba rerum potitur, nec egregiis viris, quales ipſi ſe ducunt, aliqua prærogativa relinquitur.

Obſerv. 585.

Cæterum uti circa alia jura) Omnes illas ſpecies, modo eſſe ſanas, modos morbidas, heic ſatis deducitur *add. d. c. 5.* §. 10. 11. nos duo ſaltem adjicimus (1) morbos illos magis ab Imperantibus, quam ſubditis dependere, nam illi, ob ſummam libertatem, limites officii ſæpe & enormiter tranſiliunt (2) vitia ſtatus, quæ in ipſa civitatis ſtructura occurrunt, de quibus §. *10. in fin.* cum irregularitate coincidere.

§. 12. *Reſpublica irregularis* eſt, in qua non

ita

ita perfecte unio illa, in qua essentia civitatis consistit, deprehenditur: idque non per modum morbi, aut vitii in administratione reip. hærentis; sed ut publica lege aut consuetudine ea velut legitima sit recepta. Cum autem aberrationum à rectitudine infiniti esse modi queant, non possunt etiã irregularium rerump. certæ & definitæ species constitui. Indoles tamen ejus ex uno aut altero exemplo plane potest intelligi, v. g. Si in aliqua republica senatus & populus summo utrinque jure negotia publica tractent, ita ut neuter alteri obnoxius sit. Aut si in regno aliquo procerum potentia ita invaluerit, ut regi deinceps non alio modo, quam inæquales fœderati subsint.

Observ. 586.

Respublica irregularis est, in qua) Cum Autor non satis ostenderit naturam Reipublicæ regularis, de quo *Observ.* 581. actum, ideo, per ejus remotionem, irregularitas quoque non satis explicatur, nec solidius quid proponitur *d. c.* 5. §. 14. 15. Paucis sic dicendum: Respublica simplex, tum est *irregularis, si Majestas pluribus, simplici saltem obligatione connexis. divisim vel indivisim competat. vid.* Specim. Jur. publ. *l. 6. c. 7.* §. 31. 32. 33.

Observ. 587.

Cum autem aberrationum) Non penitus vaga irregu-

gularium rerum publicarum natura eſt, nam in univerſum irregularitas vel occurrit in civitatibus *ſimplicibus*, vel *compoſitis*, de qua mox dicemus, in illis verò ſemper conſiſtit in *defectu nexus imperii*, diverſa tamen hujus defectꝰ poſſunt eſſe exempla.

Obſerv. 588.

Aut ſi in regno aliquo) Hoc exemplum, quod, ſpecialiori Reipublicæ Germanicæ exemplo, amplius illuſtrare voluit Monzambano, huc non quadrat, ſed pertinet ad Rempublicam compoſitam irregularem.

§. 13. *Syſtemata civitatum* vocamus, ubi plures perfectæ civitates aliquo peculiari vinculo ita connectuntur, ut ipſarum vires fere pro unius civitatis viribus haberi queant. Exſurgunt autem ſyſtemata *duplici* potiſſimum *modo*: uno per communem regem, altero per fœdus.

Obſerv. 589.

Syſtemata civitatum vocamus) Hactenus de rebusbuplicis ſimplicibus *vid. Obſerv.* 552. Circa compoſitas, vel civitatum ſyſtemata, id initio ſtatim obſervandum, quod ſint etiam vel *regularia* vel *irregularia*. Illa hic definire voluit Autor *add. l.* 7. *c.* 5. §. 16. ſed iterum definitio nimis generalis eſt, nec formam conjunctionis ſyſtematicæ ſatis exprimit. Mihi in *Specim. Jur. public. l.* 6. *c.* 7. §. 34. ſic viſum eſt: Syſtema civitatum eſt *Corpus civile, ex pluribus*

civi-

civitatibus ita compositum, ut unaquæque civitas summum ac plerumque etiam plenum imperium habeat, sed ita limitatum, ut quædam ejus partes conjunctim ab omnibus sint exercendæ. Exinde facilè differentia civitatis simplicis & compositæ apparet.

§. 14. *Mediante communi rege systema* emergit, quando plura separata regna vel ex conventione, vel ex occasione matrimonii, hæreditatis, aut victoriæ unum & eundem habent regem; ita tamen, ut ideo id unum regnum non coalescant, sed singula juxta suas leges fundamentales à communi rege administrentur.

Observ. 590.

Mediante communi Rege) Mediante eodem Capite, plures civitates, variâ occasione, in systema posse coalescere cetrum est *add. l. 7. c. 5. §. 17.* sed non statim id factum censeri debet, hinc tres casus videntur esse distinguendi, vel (1) una Respublica alteri subjicitur, aut simpliciter duæ pluresve civitates conjunguntur, unoque regimine summo administrantur, hoc casu non fit systema, sed civitas una, vel (2) plures Respublicæ unum saltem habent caput, ut tamen rationes earum prorsus maneant separatæ, tum nulla conjunctio, ne quidem systematica, adest, vel (3) ita sub uno capite coalescunt, unaquæque juxta leges suas fundamentales administretur, omnes tamen, in exerci-

ercitio nonnullarum imperii partium, concurrant, hoc casu demum systema adest.

§. 15. *Altera species systematum* provenit, quando plures civitates vicinæ *perpetuo fœdere* ita connectuntur, ut aliquas partes summi imperii, quæ præcipue defensionem contra extraneos spectant, non nisi ex consensu omnium exercere velint, salva manente de cœtero singulorum civitatum libertate, & independentia.

Observ. 591.

Altera species) Expresso fœdere in systema coire solent Respublicæ vicinæ & minus validæ, *vid. l. 7. c. 5. §. 18.* Est ejusmodi pactum regulariter *expressum*, *perpetuum* ac *simplici saltem obligatione membra systematica, ad communis imperii exercitium, connectit vid. d. c. 5. §. 19. 20. 21.* sed illa omnia, salva systematum essentia, â pacto systematico, abesse possunt.

2. Systemata irregularia sunt, quando *majoris alicujus Reipublicæ, imprimis Monarchiæ, vinculum sensim ita laxatur, ut provinciæ sui juris fiant, sub antiquis tamen schematibus, ut civitates sociæ, tam cum suo Capite, quam inter se, utcunque connectantur*, de quo pluscula adduxi in Specim. Jur. Public. *l. 6. c. 7. §. 38. seqq.* Irregularitas vero consistit, tum in *pravo Provinciarum habitu*, quo sæpe nec sibi ipsis sufficiunt, nec ad sufficiendum validum Systema aptæ sunt, tum *in vinculi communis incertitudine & laxitate*, quæ

ex *modo conjungendi* & ex *habitu corporum conjunctorum* resultat, de quo itidem plenius paululum egi in *d.* Specim. *l.6. c.* 7. §. *46. seq. c. 9.* §. *26. seq.*

3. Sunt, qui distinctionem civitatum *regularium* & *irregularium* plane rejiciunt, quibus respondi in *d.* Specim. *l. 6. c. 7.* §. *62. 63.* circa terminos tamen majori jure quid moneri potest, ceu ostendi *d. c.* 7. 53. 54. sed quoties res ipsa admitti debet, in terminis faciles nos esse oportet. Multi etiam asserunt Respublicas *mixtas*, de quib9 Autor *in* Op. Maj. *l. 7. c. 4.* §. *13. c. 5.* §. *12. 13.* sed eo nomine nullam novam Reipublicæ formam, hactenus expositis addendam, significari, in *d.* Specim. *l. 6. c. 7.* §. *55. seqq.* fortè probavi. Quomodo autem generalia illa, de formis Rerumpublicarum, principia, ad hypothesin transferri, seu, ad hoc vel illud Civitatis individuum, applicari debeant, illud in *d.* Specim. *c.* 7. §. *64. seqq.* pluribus deduxi.

4. Utra autem Reipublicæ forma, alteri præferenda sit, disputari etiam solet? Plerosque pro Monarchia calculum ponere, ait Autor *l. 7. c. 5.* §. *22.* Ex comparatione commodorum & incommodorum, quæ singulas formas comitantur, heic esse formandum judicium, facile liquet, ex hoc vero principio, pro Rebuspublicis polyarchicis, contra imperia absoluta, pronunciandum esse, plane arbitror.

CAPUT

CAPUT IX.

DE

AFFECTIONIBUS IMPERII CIVILIS.

§. I.

HAbet hoc omne imperium, quo universa aliqua civitas regitur, in qualibet reip. forma, ut sit *summum*, i. e. in sui exercitio à nullo homine tanquam superiore dependens, sed ex proprio judicio & arbitrio sese exserens, sic ut ejusdem actus à nemine tanquam superiore queant irriti reddi.

Observ. 592.

Habet hoc omne imperium) Majestas, quatenus notat jus subditis imperandi, vel cum Exteris civitatis nomine, agendi, per modum *substantiæ* concipitur, hæc vero *attributa* sua, vel *affectiones* quoque habet.

Observ. 593.

Ut sit summum) Summitas seu Independentia, non hoc notat, quasi imperium civile â voluntate humana non habeat originem, sed, quod semel constitutum, â nemine, velut superiore, dependeat ejusque nomine exerceatur, *add. l.*

7. c. 6. §. 1. Aliquando per ſummitatem intelligitur ſumma exiſtimatio, quæ imperium civile comitatur adeoque recte etiam pro ejus attributo habetur.

§. 2. Inde etiam eſt, qvod idem imperium ſit ἀνυπεύθυνον, ſeu ***nemini mortalium obſtrictum ad reddendas rationes*** eo cum effectu, ut ſi eas alteri non adprobaverit, pœnis humanis aut coërcitioni, velut à ſuperiore profectis, eo nomine ſit obnoxium.

Obſerv. 594.

Inde etiam eſt, quod idem imperium ſit ἀνυπεύθυνον) Hæc affectio ex prima reſultat, ſi enim ſuperior non adeſt, nemini etiam, velut ſuperiori, ratio reddi poteſt. Simplex tamen ad rationes reddendas obligatio, cum imperio civili conſiſtere poteſt *vid. l. 7. c. 6. §. 2.* quanquam, cum illa obligatio, ad excludendum imperii abuſum pertineat, pravis Imperantibus, dubio procul, futura ſit moleſtiſſima.

2. Cæterum, cum dubio procul imperium civile, ſit nomen legitimum, nec adeo notet jus, quævis patrandi flagitia, ſed ſaltem ea faciendi, quæ utilitas civitatis requirit, hinc quæri poteſt, ***an ſalva imperii ſummitate, in caſu delicti, Imperans judicem habere queat?*** Videtur hoc dicendum, nam delinquens extra metas imperii conſtitutus eſt, adeoque, non ut Imperans, ſed ut delinquens, judicatur,

3. Sed mihi tamen diſtinguendum videtur, inter

ter *delicta leviora ac dubia*, & *atrociora ac evidentia*, (quæ ostendere non sane est impossibile) Illorum respectu, Imperium civile Judicem non admittit, nam hoc admisso, de quibusvis actionibus dubiis ratio reddenda foret, atque ita necessariò summitas destrueretur, licet igitur Imperium civile non involvat jus etiam modicè saltem delinquendi, attamen, cum inter homines nihil sit perfectum, ac lubrica actionum humanarum æstimatio, hinc indoles rerum humanarum exigit, ut sub Ejus velut clypeo, licentia modice delinquendi, tuta sit.

4. Ast in delictis gravioribus habere judicem, ipsi imperio civili non repugnat, fatendum tamen est, quod, utut natura imperii eum admittat, attamen in rebuspublicis *simplicibus* judex constitui nequeat, neque enim id munus vel populo vel Extraneo deferri, morali rerum æstimatione, potest. At in *compositis*, quoad singula membra systematica, judex occurrere potest & solet, quo respicit philosophia, quam *in* Specim. Jur. public, *l.6. c. 8.* §. *34. seqq.* proposui.

5. Interim cum ejusmodi Judex regulariter desit, ac pravi Imperantes graviter & impune delinquant, hinc, præcinente Parasitorum choro, eò fere deventum est, ut verum imperium civile libidine peccandi, tantum non vulgò metiantur.

§. 3. Cui conjunctum est, ut idem summum imperium *legibus humanis & civilibus*, ut talibus, *sit superius*, iisdemq; adeo directe non obstringatur. Istæ enim leges à summo imperio tam in origine, quam in duratione dependent. Inde fieri non potest, ut per istas idem obligetur; cum alias idem seipso superius foret. Etsi ubi summus imperans quædam civibus lege injunxerit, qvorum materia in ipsum qvoqve cadit, decorum sit, & ad autoritatem legi addendam proficuum, ut ad eadem iste ultro sese componat.

Observ. 595.

1. *Cui conjunctum est*) Imperium civile legibus civilibus quoque solutum esse, facile patet *add. l. 7. c. 6. §. 3.* nihil autem aliud hoc involvit, quam imperantem, in actionibus suis decreta legis civilis non debere observare, minimè vero, eum legum vim, quoad actus subditorum jam susceptos, pro lubitu elidere posse. De cætero Imperans legibus positivis uti *potest*, aliquando etiam, vel ex præscripto juris naturalis, vel prudentiæ, *tenetur*.

2. Quæ de summitate imperii civilis dicta sunt, illa dubio procul ad Monarchias quoque pertinent, nam si Rex in exercitio juris sui, â Populo, velut superiore, dependeret, tum revera non Rex, sed, sub splendido nomine regio, Magistratus esset, quamobrem si veram Monar-

narchiam constitui placeat, verum utique & summum imperium Regi tribuendum est, cum alias constituentes sibi ipsis contradicant, ut hactenus distinctio Majestatis personalis & realis, locum haut inveniat *vid. l.* 7. *c.* 6. §. 4. 5. 6. cum summo tamen imperio, etiam hîc posse consistere ea, quæ *Observ. prac.* diximus, arbitramur.

§. 4. Habet denique & peculiarem *sanctimonium* summum imperium, ut non solum ejus jussis legitimis resistere nefas sit; sed & ejusdem asperitas, non secus atque à probis liberis parentum morositas, à civibus sit patienter ferenda. Quin & ubi atrocissimas injurias intentaverit, singuli potius fuga sibi consulent, aut quantamcunque calamitatem sustinebunt, quam ferrum in durum quidem, sed tamen parentem patriæ stringent.

Observ. 596.

Habet denique & peculiarem sanctimoniam) Sanctitas & inviolabilitas hoc efficit, ut Imperans â subditis non sit lædendus, non tantum si suo recte fungatur officio *vid. l.* 7. *c.* 8. §. 1. sed etiam, sit in subditos, vel ut homo, vel ut Imperans, si injurius *d. c.* 8. §. 2. 3. 4. nam sub clypeo imperii, ejusmodi peccandi licentiam, tutam esse debere, *Observ.* 594. *n.* 3. diximus *conf. d. c.* 8. §. 5.

Observ. 597.

Quin & ubi atrocissimas) Quodsi verò Imperans

 ho-

hostilem penitus animum vel erga singulos, vel totam rempublicam induat, tum ei, velut hosti, posse resisti, ex indole factæ delationis, facile liquet *vid. d. c. 8. §. 5. 6. 7. 8.* sed in regnis absolutis, miseros subditos, spes & facultas exequendi destituit, at in limitatis citius, improbum Imperantem, amoliri illi possunt. Illud dubium non habet, quin Principi, Officii metas transilienti, preces & rationes opponere liceat, & debebant sæpe Reipublicæ Proceres, officii sui, isto rerum statu, esse observantiores, quam quidem fieri solet, nec dubitandum, quin his mediis, cordatè & unanimiter adhibitis, ad saniora consilia Imperans revocari queat, cum crebrò non propriâ, sed alienâ libidine, in Reipublicæ perniciem, animetur.

§. 5. Præterea summum imperium, in monarchiis potissimum & aristocratiis, alicubi *absolutum*, alicubi *limitatum* deprehenditur. *Absolutum imperium* monarcha habere dicitur, qui illud administrare potest proprio ex judicio, non ad normam certorum ac perpetuorum statutorum, sed prout præsens rerum conditio videtur exigere, quique adeo proprium ad arbitrium salutem republ, prout ejusdem tempora postulaverint procurat.

Observ. 598.

Præterea summum imperium) Exerit se aliquando im-

imperium civile ſub habitu eodem, quo penes Imperantem exiſtit, tum *forma* & *modus adminiſtrandi* conſpirant, aliquando ſub diverſo tum *forma* & *modus laudatus*, differunt. Iſta omnibus ſimplicis Reipublicæ formis accidere poſſunt, ſed ſi imperium ad unum vel paucos, adminiſtratio verò, aliquando ad ipſos, aliquando ad plures pertineat, evitando imperii civilis abuſui, cum hæc ſpecialior diverſitas, diſcrimen regni *abſoluti* & *limitati* producit, quod ad Monarchias & Ariſtocratias tantum quadrat.

Obſerv. 599.

Abſolutum imperium) Hoc ſatis Autor explicat, eleganterque amplius illuſtrat *l. 7. c. 6. §. 8. 9.* ex quo patet, abſolutum imperium non dici, quaſi *nullos habeat limites*, ſed quod *peculiaris adminiſtrandi ratio*, expreſſe non ſit præſcrita.

§. 6. Verum quia unius hominis judicium ab erroribus non eſt immune, & voluntas in prava flexilis, in tanta cumprimis libertate; quibusdam populis conſultum viſum, ejus *imperii exercitium certis limitibus circumſcribere*. Id quod factum, dum ad certas leges circa adminiſtrationem partium imperii in delatione regni regem adſtrinxerunt; & ſi quando negotia ſummam rerum ſpectantia, quæque in anteceſſum definiri nequeunt, inciderent, voluerunt ea ſuſcipi non niſi præ-

ſciente & conſentiente populo, aut ejusdem deputatis in comitia convocatis, ut eo minor occaſio regi præbeatur à ſalute regni aberrandi.

Obſerv. 600.

Verum quia unius hominis] Evitando imperii civilis abuſui, exercitium certis limitibus circumſcribi ſolet, unde oritur *regnum limitatum*, quod licitè fieri poſſe, contra inſulſas nonnullorum rationes, ſatis oſtenditur *d. l.* 7. *c.* 6. §. 9.

Obſerv. 601.

Id quod factum) De cætero non' quævis Regum promiſſa, limitationem ejusmodi involvunt, ſed ea demum, quibus expreſſe & adæquatè illa conſtituitur *vid. d. c.* 6. §. 10. pro diverſitate autem negotiorum, vel pactis perpetuis, vel adjuncto concilio exercitium imperii civilis circumſcribitur *d. c.* 6. §. 11. 12. ſed niſi maſculâ prudentiâ exceſſibus tempeſtivè occurratur, illa omnia callidis hominibus eludere haut fuerit difficile.

2. De cætero, uti falſus eſt Hobbeſius, quando diſcrimen regni abſoluti & limitati, in dubium vocat, aut non plus cautionis ab imperii abuſu eſſe, ſive hoc, ſive illud concedatur, contendit *vid. d. c.* 6. §. 13. ita ex hactenus dictis conſtat, regna abſoluta & limitata, non differre *poteſtate legitima*, quæ utrobique eadem eſt, ſed *modo eam exercendi.*

3. De cætero præſtat quidem regnum abſolutum limi-

limitato, quoad *celeritatem operandi*, ſed cum hæc in abuſus nimis pateat, ideo inde ejus prærogativa non eſt aſſerenda, ſed dicendum potius, quod limitatum, rebus humanis melius conveniat, ut forte aſſerendum ſit, nunquam regnum aliquod abſolutum libera voluntate, niſi forte ab aliquo arcadici ingenii populo eſſe conſtitutum, ſed ejus generis imperia violentis, & callidis machinationibus eſſe introducta.

§. 7. Solet denique in regnis occurrere aliquod diſcrimen circa *modum habendi* regnum, qui non in omnibus æqualis deprehenditur. Quidam enim reges dicuntur regnum ſuum habere *in patrimonio*, ita ut illud pro lubitu dividere, alienare, transferre poſſint, in quemcunque voluerint. Quod potiſſimum contingit illis, qui armis regnum ſibi quæſivere, ac ſuum ſibi populum ipſi fecerunt. Reliqui autem reges, qui ultro à populo ſunt adſciti, etſi ſummo jure imperium exerceant; regnum tamen pro lubitu dividere, alienare, aut transferre neqveunt; ſed in eo ad ſucceſſores demittendo legem fundamentalem, aut conſuetudinem in populo receptam ſequi tenentur; eoque à quibusdam certo reſpectu cum *uſufructuariis* comparantur.

Obſerv.

Observ. 602.

Solet denique) Quoad *modum habendi* regna, sic breviter dicendum: Quidam habent regnum in patrimonio i.e. cum *libera alienandi potestate*, ut qui bello eadem sibi acquisiverunt [nisi pace secuta aliud actum sit] vel in quos eâ lege illa sunt collata, quod tamen non facilè præsumendum, quidam sine *alienandi jure*, idque iterum vel *ad tempus*, vel *quamdiu vivunt*, & hoc vel simpliciter *intuitu personæ suæ*, vel cum *jure transmittendi ad posteros vid. l. 7. c. 6. §. 14. 15. 16. 17.* Omnibus illis casibus verum quidem adest imperium, sed diversum habendi modum, illius autoritatem ac splendorem intendere vel elevare, certum quoque est.

Observ. 603.

Certo respectu cum usufructuariis comparantur) Tertium comparationis in eo consistit, quod sicut usufructuarius jus suum alienare nequit, ita nec talis Rex imperium, Eousque autem comparatio non est extendenda, ut Populum proprietatis velut jure frui, adeoque Rege esse superiorem, contendamus.



CAPUT

CAUT X.

DE

MODIS ADQUIRENDI IMPERIUM, INPRIMIS MONARCHICUM.

§. I.

QUanquam ad quodvis imperium legitimum conſtituendum *conſenſus* ſubjectorum requiratur; is tamen non ubique pari modo elicitur. Interdum enim *per violentiam bellicam* aliqui adiguntur in victoris imperium conſentire; interdum *ultro* ad aliquem principem conſtituendum cives accedunt.

Obſerv. 604.

Quanquam ad quodvis) Acquiſitionis fundamentum eſt *Conſenſus*, qui tamen non eodem ſemper modo ſe habet, hinc diverſi acquirendi modi diſtingui ſolent. Eſt autem modus ille non tantum *ultroneus* & *violentus*, quod §. *1.h.* inculcatur, ſed & *mixtus*, quando Imperanti ſceptrum vi quidem excutitur, novus vero Imperans libera voluntate à Populo aſſumitur.

2. Cæterum non quævis Majeſtas, in Republica conſti-

constituta, istis modis acquiritur, quod, velut per modum prolegomenorum, paucis hic tractare liceat. Quod igitur attinet Majestatem *Democraticam*, illa istis modis, præsupposita Democratiâ, non obtinetur, quia ejus Subjectum est perpetuum & invariabile, isto rerum statu, sed præsupposita Aristocratiâ, non Monarchiâ, acquiri eadem potest *modo ultroneo*, si optimates aut Monarcha, Populo imperium resignent, nec non *mixto*, si optimatibus vel Rege vi expulsis, Democratia introducatur, quæ libertas democratica, legitima est, si vis fuerit justa, vel prior Imperans in amissionem sui juris consenserit *vid. l. 7. c. 7. §. 5.* non etiam *violento* neque enim populus in se ipsum, vi imperium acquisivisse, dici potest *d. c. 7.* §. 1. licet aliter sentire videatur *Dn.* Thomas. *J. J. D. l. 3. c. 6.* §. 92.

3. Majestas *Aristocratica*, præsuppositâ Aristocratiâ, regulariter etiam perpetua est, nec de successione quæritur. Poterit tamen locum aliquando habere modus *ultroneus*, si Optimatibus omnibus extinctis, alii eligantur, *violentus*, si prioribus pulsis, alii per vim in populum sibi imperium arrogent, & *mixtus*, si, prioribus per vim ejectis, victores ultrò â populo assumantur. Præsupposita autem Democratiâ, locum aliquando invenit modus *ultroneus*, populo optimatibus imperium deferente, *violentus*, si aliqui per vim sibi imperium asserant, non etiam *mixtus*, nam idem populus, non potest simul cogi & libere agere. Præsuppo-

siti

ſitâ denique Monarchiâ, locus eſt nonnunquam modo *ultroneo*, ſi Monarcha, populi conſenſu, Optimatibus imperium deferat, *violento*, ſi, Monarchâ per vim ejecto, in populum, eodem modo, aliqui ſibi imperium acquirant, & *mixto*, ſi, Imperante pulſo, ultro â populo victores aſſumantur *add. d. c.* 7. §. 2. ſed cum ſucceſſio in democratiis plane locum non habeat, in Ariſtocratiis rara ſit, præterea rariſſimè aliæ civitates, in Democratias aut Ariſtocratias mutentur, ideo quæ de acquiſitione & translatione imperii civilis docentur, potiſſimum ad Majeſtatem *Monarchicam* pertinent.

§. 2. *Modus* adquirendi imperii *violentus* ſolet vocari *occupatio*, quando ſcilicet aliquis, juſta bellandi cauſa ſubnixus, favente vi armorum ac fortuna populum aliquem eo redigit, ut ipſius deinceps imperio ſeſe ſubjicere cogatur. Cujus imperii legitimus titulus non inde ſolum deducitur, quod victor, ſi rigore belli voluiſſet uti, vitam plane victis adimere potuiſſet, atque ſic, dum minore iſtos incommodo defungi patitur, clementiæ inſuper laudem nanciſcatur: ſed & quod cum altero in bellum deſcendens, quem ipſe antea læſerat, & cui æquam ſatisfactionem præbere tenuit, omnes ſuas fortunas aleæ martis exponat, ſic ut jam in anteceſſum tacite conſenſerit in quamcunque conditionem, quam eventus belli ipſi eſt aſſignaturus. *Obſerv.*

Observ. 605.

Modus acquirendi imperium violentus) Acquiritur ergo Imperium monarchicum (1) modo *violento*, seu *occupatione*, quæ quidem ex hypothesi belli justi, titulus legitimus est §. 2. *b.* de cætero differt ab occupatione, qua res nullius acquiruntur *d. c.* 7. §. 3. nihil autem refert, sive civitas Democratica, Aristocratica, an Monarchica occupetur. Quod si autem injustus invasor Democratiam opprimat, imperium Ejus, oon nisi habili populi consensu, fit legitimum *vid. l.* 7. *c.* 7. §. 4. si vero Aristocratiam aut Monarchiam, invasionis iniquitas demum purgatur, si pristini Imperantes extincti sint, vel eo nomine transegerint, interim populus injusto invasori, etiam contra antiquos dominos, parere posse videtur *vid. d. c.* 7. §. 4. *l.* 7. *c.* 8. §. 9. 10. (2) modo *mixto*, qui juxta priorem doctrinam, titulus legitimus est, & quadrat ad Aristocratiam & Monarchiam, de injusto autem invasore eadem hic dicenda, quæ proxime diximus.

§. 3. *Ultroneo* autem *consensu* populi paratur regnum interveniente *electione*, qua populus constituendus, ut jam constitnr, ultro certum hominem, suo judicio imperii capacem, designat; cui quando decretum populi fuerit significatum, idque ille acceptaverit, promisso populi obsequio, imperium confertur.

Observ.

Observ. 606.

Ultroneo autem consensu) Denique imperium monarchicum acquiritur (3) modo *spontaneo* seu *electione latius supposita*, hæc autem est vel *specialis*, quâ una saltem persona, vel *generalis*, qua persona cum sua posteritate, imo aliquando etiam exteris, successivè admittendis, eligitur.

Observ. 607.

Interveniente electione) Ex electione speciali oriuntur *Regna Electitia*, cum toties repetenda sit, quoties subjectum proprium mutatur. In genere autem respicit illa vel civitatem *constituendam* vel quod frequentius est, *constitutam*, §. *3. b.* ubi quidem Democratia, Aristocratia [in Monarchiam scilicet per electionem convertendæ) & Monarchia (electione continuanda) præsupponi possunt, sed ultimus casus præcipue huc pertinet, præcedentes enim rarissimi sunt *add. l. 7, c*, 7. §. 6.

§. 4. Electionem in civitate jam constituta, siquidem illa suscipiatur rege priore defuncto, antecedere solet *interregnum*. In quo licet ad imperfectam formam recidat civitas, dum cives primo tantum pacto inter se connectuntur: multum tamen firmitatis ei adhuc addit nomen & affectus communis patriæ, civiumque plerorumque fortunæ isti loco fere affixæ; quæ bonos cives subigunt, ut ultro tantisper pacem inter se colant, &

quantocyus ad plenum imperium instaurandum incumbant. Etsi magnopere ad incommoda ex interregnis oriri apta, evitanda faciat, si in antecessum constituantur, penes quos solio vacante interim reip. administratio esse debeat.

Observ. 608.

Electionem in civitate jam constituta) In Monarchia constituta, si in eventum Regis deficientis, successor non jam sit electus, Rege deficiente, existit *Interregnum*, i. e. status civitatis extraordinarius, in subsidium saltem ad certum tempus duraturus.

Observ. 609.

In quo licet ad imperfectam) De forma civitatis, in interregni tempore, quæritur. Non repræsentat interregnum, *statum dissolutæ multitudinis*, cum vel sola cohabitatio continuata aliquam conjunctionem innuat. *vid. l. 7. c. 7. §. 9.* sed, si de subjecto Majestatis vicario, nihil in antecessum constitutum sit, *civitatem imperfectam*, in qua simplici saltem obligatione cives connectuntur, ac per corpora minora, in quæ antea distributi fuerunt, utcunque agunt, dantur tamen causæ, quæ vinculo isti, eo rerum statu, firmitatem addant §. *4. h. add. l. 7. c. 7. §. 7.* Cæterum uti casus ille rarissimus erit, cum tanta socordia, qua nihil, in eventum Regis deficientis, quoad formam administrationis, caveatur, in aliqua Gente non temere occurrat,

currat,ita eo posito,non approbamus *primum pactum*, quod Autor loquitur, nam hoc frustra asseri *Observ.555.* ostendimus. Dicendum igitur,quod tempore interregni, tale pactum demum, expressè vel tacite,& ipso facto,ineatur, non autem ex veteri formula supersit.

Observ. 610.

Etsi magnopere] Utplurimum tempore interregni est *Aristocratia* aut *Democratia*, eaque vel simplex vel Monarchicè aut Aristocraticè gubernata, aliquando etiam, si Respublica plures complectatur provincias, *Systema plurium corporum, hactenus liberorum vid. d. c.* 7. §. 7. 8.

§. 5. Cæterum alicubi qvidem singulis monarchis defunctis nova instituitur electio. Alicubi autem regnum ea lege in alterum confertur, ut citra novam intervenientem electionem in alios per successionem transeat. Illud jus successionis constituitur vel *arbitrio ipsius regis*, vel *arbitrio populi.*

Observ. 611.

Cæterum alicubi quidem) Quibusdam Gentibus placet electio *specialis*, de qua hactenꝰ,aliis vero probatur, vel probari debet *Generalis*, quam successivè designati acceptant, quæ acceptandi ratio, *successio* dicitur, ac regna inde *successiva* audiunt. Quodsi adeo acquisitionem imperii voluntariam, propus consideremus, ea differentia occurrit. In regnis electitiis electio specialis, *delationem* & *acce-*

ptationem ſimultaneam involvit, ſed in ſucceſſivis electio generalis, *delationem pluribus factam* & *acceptationem ſucceſſivam*, continet, ibi denominantur regna à *delatione*, hic ab *acceptatione*, quia in illis, *illa*, in his, *hæc* plus difficultatis habet, ac magis conſpicua eſt. Utrum vero conſultus ſit, ſpecialiter & ſingulis vicibus, an generaliter & per quandam velut occupationem Reges eligere, ſeu, ut vulgo dicitur, *an electio præſtet ſucceſſione* vel *vice verſa*, ea prudentiæ quæſtio eſt, quam aliis expediendam relinquimus.

Obſerv. 612.

Illud jus ſucceſſionis conſtituitur) Electio generalis, cum ſucceſſivè ſit acceptanda, hinc opus, ut *ordo* ſucceſſorum deſignetur, quod fieri poſſe, vel arbitrio ultimi Regis, vel ipſius populi, manifeſtum eſt, & hic recte aſſeritur, ſæpe tamen ille ordo, ob defectum neceſſariæ definitionis, eſt perincertus, nonnunquam etiam inter arma leges & jura ſilent.

§. 6. *Reges*, qui regnum ſuum habent in patrimonio, pro lubitu *ſuper ſucceſſione* poſſunt *diſponere*; quorum diſpoſitio æque ac privatorum teſtamentum obſervabitur, præſertim ubi abs aliquo regnum fuerit conditum, ac partum. Ubi licebit ipſis, ſi placuerit, regnum inter plures liberos dividere, etiam filiabus non excluſis; imo & hæredem in-

instituere filium adoptivum, naturalem, aut qui nulla plane cognatione ipsi est junctus.

§. 7. Verum ubi ejusmodi rex super sua successione nihil peculiariter disposuit, *præsumitur* primo, eum nequaquam regnum suum secum expirare velle, sed ut omnino in liberos suos, propter communem mortalium affectum, id devolvatur. Dein ut post ipsum monarchica forma conservetur, quippe quam ipse suo exemplo comprobavit. Tum ut regnum maneat indivisum, quippe cum divisio cum regni juxta & familiæ regiæ convulsione sit conjuncta. Præterea ut inter pares gradu mas præferatur fœminæ, primogenitus deinceps genitis. Denique ut liberis deficientibus ad proximum quemque sanguine regnum devolvatur.

Observ. 613.

Reges qui regnum) Si penes Regem sit jus designandi successorem, vel bello partum, vel libera concessione acquisitum, tum ille tam inter vivos, quam in eventum mortis, idque vel voluntate expressa §. *6. h.* vel præsumta, §. 7. successorem designare potest *add. l.* 7. *c.* 7. §. 11. sed voluntas præsumta, si verum fateri velimus, hic est fere inane nomen, & raro ex conjecturis certum aliquod jus, quis sibi asserere potest, sed utplurimum beati erunt possiden-

tes, aut qui potentiâ cæteris præstant *add.* Thomas. *J. J. D. l. 3. c. 6. §. 110.*

§. 8. In illis autem regnis, quæ ab initio ultronea populi voluntate sunt constituta, *ordo successionis originarie ab ejusdem populi voluntate* dependet. Qui ubi in regem una cum imperio jus quoque successoris constituendi contulerit, succedet, quem hic voluerit. Ubi hoc non fuit factum, id jus populus sibi reservasse intelligitur. Cui si placuit in electum regem hæreditario jure regnum conferre, *ordinem succedendi* vel *simplicibus hæreditatibus consimilem*, quantum salus regni admittit, effecit, vel *peculiari* ipsum *ratione* temperavit.

§. 9. Ubi *simpliciter populus regem jusserit hæreditario jure regnum obtinere*, nec quid peculiariter addiderit; voluit qvidem, ut regnum eo ordine devolvatur, quo privatæ hæreditates, sed non sine aliquo temperamento. Nam in hisce fere ut à privatis hæreditatibus discedat successio in regnis, salus civitatum requirit. 1. ut regnum sit individuum. 2. ut successio stet intra eos, qui à primo rege descendunt. 3. ne succedant, nisi qui nati sunt secundum leges patriæ, non nothi tantum, sed & adoptivi. 4. ut in pari gradu mares præferantur fœminis etiam majoribus natu.

5. ut

5. ut ſucceſſor regnum agnoſcat tanquam beneficium populi, non tanquam beneficium anteceſſoris.

§. 10. Verum quia facile inextricabiles controverſiæ oriri poterant, uter ex familia regnatrice nuper defunctum proxima cognatione contingeret, ubi ab autore ſtirpis longius diſceſſum fuerat: inde multos apud populos *ſucceſſio linealis* introducta eſt. Quæ in hoc conſiſtit, ut prout quisque ab autore ſtirpis regnatricis deſcendit, ita lineam velut perpendicularem conſtituat; & inde quilibet ad regnum vocetur, prout ipſorum linea alias præcedit, nec de una linea in alteram fiat tranſitus, quoad ex priore aliquis adhuc ſuperſit; licet forte exiſtat, qui propiore gradu proxime defunctum regem attingat.

§. 11. Succeſſionis linealis uſitatiſſimæ ſunt ſpecies *cognatica* & *agnatica*. In illa fœminæ non excluduntur, ſed poſtponuntur maribus in eadem linea, ita ut etiam ad ipſas fiat regeſſus, ſi mares potiori aut pari gradu defecerint. Hæc autem fœminas, & ex hiſce natos etiam mares in perpetuum excludit.

Obſerv. 614.

In illis autem regnis) Si penes populum eſt jus ſucceſſores deſignandi, tum vel illud *Regi concedit*, quo caſu obtinent, quæ modo dicta ſunt, vel

vel *immediate exercet*. Qua ratione autem ordo ſuccedendi conſtitui queat, Autor hic innuit & amplius declarat *d. c.* 7. § 12. 13. 14. Cæterum ſi illa, lege expreſſa vel conſuetudine, in aliqua Republicâ probata ſint, tum res bene ſe habet, alias privatæ ſpeculationes nullius erunt efficaciæ, imo, uti circa leges expreſſas, nonnunquam etiam dubia incidunt, ita jura certiſſima vis bellica ſæpe turbat.

§. 12. Ubi ſuper ſucceſſione in regno patrimoniali controverſia oriatur, optimum fuerit ad arbitros ex familia regia ire. Si ſucceſſio fuerit voluntate populi conſtituta, declaratio populi dubium tollet.

Obſerv. 615.

Ubi ſuper ſucceſſione] Quis Judex ſit, ortâ circa ſucceſſionem controverſiâ, illud ex indole liberæ Gentis facile apparet *add. l.* 7. *c.* 7. §. 15. ſed ut plurimum vis bellica ejusmodi judices aſpernatur, ut ſententias latas eludit. Quodſi, orta lite, neuter ſit in poſſeſſione, tum etiam in regnis ſucceſſivis eſt interregnum *add. d. c.* 7. §. 10. Quodſi ſtirps regia deficiat, tum populum plane fieri ſui juris, adeoque vel ſine Rege deinceps agere, vel generali aut ſpeciali electione aliud Caput ſibi imponere poſſe, manifeſtum, ſed popularis illius libertatis circulos, ut plurimum etiam arma turbare ſolent.

CAPUT

CAPUT XI.

DE

OFFICIO SUMMORUM IMPERANTIUM.

§. I.

Quibus præceptis officium ſummorum imperantium conſtet, ex indole ac fine civitatum, nec non expenſis ſummi imperii partibus perſpicue colligitur.

Obſerv. 616.

Quibus præceptis) De officio Imperantium minime implicata eſt tractatio, nam Eos ex fide data obligari, quo univerſum imperium, & ſingulas ejus partes, ac utilitatem civitatis, referant, manifeſtum eſt, de cætero tamen Officiorum illorum expoſitio, ſolertisſime licet inſtituta, excesſibus, qui hic frequentisſimi ſunt, mederi nequit, niſi quatenus illi ex ignorantia dependent *add. l.* 7. *c.* 9. §. 1.

§. 2. Ubi ante omnia requiritur, ut imperantes ipſi diligenter *diſcant, quæ ad plenam ejus officii cognitionem* pertinent; cum nemo laudabiliter exercere posſit, quod non probe

didicit. Unde principi ſequeſtranda illa ſtudia, quæ ad huncce finem nihil faciunt. Circumcidendæ quoque voluptates, oblectationes, vanæque occupationes, quatenus iſtum finem intercipiunt. Ideo & in familiaritatem admittendi viri cordati, rerumque humanarum periti: adulatores, nugatores, & qui præter inania nihil didicerunt, procul arcendi. Enimvero ut generalia prudentiæ rectricis præcepta rite adplicare norit, quam penitiſſime ipſi conditio ſui ſtatus, ſubjectique indoles populi eſt cognoſcenda. Illisque præterea virtutibus cumprimis ſtudendum, quarum uſus in tanta molis adminiſtatione maxime conſpicitur; moresque ad tanti faſtigii dignitatem componendi.

Obſerv. 617.

Ubi ante omnia requiritur) Primo igitur Imperans noſſe debet, *qua ratione utilitatem Reipublicæ promovere queat*, quæ notitia, ex accuratâ Reipublicæ propriæ & vicinarum cognitione, reſultat, quæ autem, ad illam acquirendam, Principi facienda vel omittenda ſint, Autor cordate oſtendit *h. add. d. c. 9.* §. 2.

§. 3. Generalis lex ſummorum imperantium eſt hæc: *ſalus populi ſuprema lex eſt.* Ea enim intentione in iſtos imperium eſt collatum, ut per id procuraretur finis, ob quem civitates ſunt inſtitutæ. Inde credere iidem

debent,

debent, nihil ſibi privatim expedire, quod non idem expedit civitati.

Obſerv. 618.

Generalis lex ſummorum) Deinde *mediis habilibus utilitatem Reipublicæ promovere debet add. d. c. 9.* §. 3. ſed praxis aliter ſervat, dum, ad utilitatem Imperantis & miniſtrorum, omnia referuntur, eaque verus civitatum ſcopus eſſe exiſtimatur.

§. 4. Ad internam civitatum tranquillitatem requiritur, ut voluntates civium ita temperentur, & dirigantur, prout ſaluti civitatis expedit. Inde ſummorum imperantium eſt non ſolum idoneas ei fini *leges* præſcribere: ſed & *publicam diſciplinam* ita ſancire, ut non tam metu ſuppliciorum, quam aſſuetudine cives ad legum præſcripta ſeſe componant. Ad quem finem quoque facit curare, ut doctrina Chriſtiana, pura illa & ſincera, in civitate vigeat; ac in ſcholis publicis talia dogmata tradantur, quæ cum fine civitatum conveniunt.

Obſerv. 619.

Ad internam civitatum) Ex illo interim principio generaliori, plura ſpecialia fluunt. Debet ſcilicet Imperans efficere, quo ſubditi, *animalia politica & ſocialia, imo etiam*, quantum fieri poteſt, *religioſi Dei cultores evadant.* Ad hunc finem facit, ſi *ſolidam doctrinam iis proponi*, ac,

juxta

juxta eam, bonis moribus, per viros probos & cordatos, ab ineunte ætate, eos imbui curet, imprimis vero, si *virtutes alat, aut saltem non contemnat, atque vitia præferat*, ne rectè in juventute egisse, olim quem pœniteat *add. d. c. 9. §. 4.*

§. 5. Ad eundem finem expedit, perscriptas habere *leges perspicuas & planas* circa negotia; quæ frequentissime inter cives versari solent. Non tamen plura legibus civilibus sancienda sunt, quam ad bonum civitatis & civium conducunt. Nam cum de eo, quod facere vel non facere debent, sæpius per rationem naturalem, quam per scientiam legum homines deliberare soleant; ubi plures leges sunt, quam ut facile memoria comprehendi queant, & per eas prohibeantur ea, quæ ratio per se non prohibet: necesse est, ut per ignorantiam sine ulla prava intentione incidant in leges, tanquam in laqueos. Quo ipso civibus per imperantes supervacuum incommodum conciliatur; quod est contra finem civitatum.

Observ. 620.

Ad eundem finem expedit) Cives adulti *legibus regendi sunt*, ubi quidem hoc agendum Imperanti, quo leges naturales fundamenti loco supponantur, iisque leges positivæ, planæ præter necessitatem haut accumulatæ ad conservandam pacem idoneæ genioque populi con-

convenientes addantur *add. d. c. 9. §. 5.* contra hoc officium per imperitiam sæpe peccatur, & fatendum est, quod, ob lubricam harum rerum æstimationem, exacta ejus observantia sperari nequeat,

§. 6. Quia autem frustra feruntur leges, si impune eas violari tolerent summi imperantes; igitur horum est *exsecutionem* earundem procurare, utque quivis suo jure potiatur citra lentas moras, elusiones atque vexationes efficere: *pœnas* quoque sumere pro cujusque facti conditione, transgressorisque intentione & malitia: nec sine sufficiente causa veniam indulgere; cum iniquum sit & ad irritandos civium animos efficacissimum, æqualiter meritos cæteris paribus non æqualiter tractare.

§ 7. Uti autem nihil pœnis est sanciendum, quod non ad usum civitatis facit: ita *pœnæ* quoque sunt temperandæ, ut ad finem istum proportionem habeant, utque adeo cives non plus afflictionis, quam resp. utilitatis inde ferat. De cætero si scopum suum debent obtinere pœnæ, adparet eas eousque esse intendendas, ut acerbitas earundem præponderet lucro & delectationi, quæ ex facto legibus vetito redundare potest.

Observ.

Observ. 621.

Quia autem frustra) Leges autem latæ *executioni danda* sunt, quod fit, si mediis habilibus scopoque suo sufficientibus refractarii ad faciendum officium adigantur, si pœnis à violatione legum deterreantur, aut etiam nonnunquam exemplo ad eas servandas alliciantur *add. d. c.* 9. §. 6, 7.

§. 8. Quia porro hoc fine in civitatem coiverunt homines, ut securitatem adversus injurias aliorum obtinerent: summorum imperantium est, eo severius *civium inter se injurias probibere*, quo faciliorem perpetua cohabitatio occasionem ad lædendum præbet. Nec discrimina ordinum ac dignitatum *eo* valere debent, ut potentiores tenuioribꝰ pro libidine insultare possint. Sed & scopo summi imperii adversatur, ut cives, quas sibi factas arbitrantur injurias, privata violentia exsequantur.

§. 9. Præterea quanquam ad omnia civitatis amplioris negotia immediate obeunda unus princeps non sufficiat, sic ut necessario *ministri* in partem curarum sint vocandi: tamen uti hi omnem à summo imperante potestatem mutuantur; ita & bene & male ab ipsis gestorum imputatio ultimo demum in istum redundat. Quam ob rationem, & quia prout ministri sunt ita recte aut prave ne-

negotia expediuntur, ſummi imperantes tenentur ad munia civitatis adhibere viros probos, & idoneos, & in eorum acta ſubinde inquirere, eos denique prout rem geſſiſſe deprehenduntur, præmiis vel pœnis mactare, quo cœteri intelligant, non minore fide ac diligentia publicam, quam propriam rem tractandam. Sic & cum pravi mortalium ad ſcelera perpetranda ſpe impunitatis alliciantur, quæ ipſis præbetur facillima, ubi *judices* corruptionibus patent: ſummorum imperantium eſt, in ejus modi judices, tanquam fautores ſcelerum, queis ſecuritas civium abrumpitur, ſevere animadvertere. Præterea licet ordinaria negotiorum expeditio miniſtris credenda ſit; ſummi tamen imperantes querelis ac deſideriis civium patienter aurem præbere nunquam detrectabunt.

§. 10. Cum ad *tributa* & alia onera ferenda cives nullo alio nomine teneantur, quam quatenus iſta neceſſaria ſunt ad ſumtus civitatis belli pacisque tempore tolerandos: igitur ſummorum heic imperantium officium erit, non plus extorquere, quam neceſſitates, aut inſignes reip. utilitates requirant: & quantum fieri poteſt, ita onera temperare, ut quam minime cives iisdem affligantur. Deinde ut juſta in proportione deſcribantur; nec aliquibus

quibus civibus immunitates concedantur in fraudem & oppreſſionem reliquorum. Tum quæ collecta fuerunt, iu uſus reip. impendantur: non per luxuriam, largitiones, ſuperfluam oſtentationem, aut inania disſipentur. Denique providendum, ut erogationes reditibus reſpondeant, & qua hi non pertingunt, à parſimonia & circumciſis ſumtibus non neceſſariis ſubſidium petendum.

§. II. Quanquam autem ſummi imperantes ſubditos alere non teneantur, (niſi quod eorum, qui per immeritam aliquam calamitatem ſeipſos ſuſtentare non poſſunt, peculiarem curam agere caritas jubeat;) tamen quia non ſolum ex bonis civium colligendi ſunt ſumtus, civitati conſervandæ neceſſarii, ſed etiam robur civitatis in virtute & opibus civium conſiſtit: igitur illis, quantum in ſe, providendum erit, ut *res familiaris civium* gliſcat. Ad hunc finem facit cives diſponere, ut quantum fieri poteſt, uberem proventum ex terra & aquis capiant; ut, quæ apud ipſos proveniunt, materiis induſtriam adhibeant, aut quem ipſi commode laborem obire poſſunt, ab aliis non redimant: quod fit, ſiquidem artes mechanicæ foveantur. Maximi quoque eſt momenti mercaturam, & in regionibus maritimis navigationem excolere. Nec ignavia

via ſolum proſcribenda, ſed & ad parſimoniam revocandi cives per leges ſumtuarias, queis ſuperflui ſumtus prohibeantur, imprimis illi, per quos opes civiũ ad exteros transferuntur. Etſi majorem heic, quam quævis leges, efficaciam obtinent ſummorum imperantium exempla.

§. 12. Quia etiam ſanitas ac firmitas interna civitatum ex *unione civium* provenit, quæ quo accuratior fuerit, eo majore cum efficacia vis imperii per univerſum ſeſe civitatis corpus diſpenſat: igitur ſummis imperantibus incumbit providere, ne in civitate factiones oriantur; nevé quidam cives inter ſe peculiaribus pactis connectãntur; nevé omnes aut aliqui ab ullo alio, ſive intra ſive extra civitatem conſtituto, ſub quocunque obtentu, ſacro aut profano, magis dependeant, quam à legitimo ſuo principe, & in nemine plus ſibi præſidii, quam in eodem repoſitum arbitrentur.

§. 13. Denique cum ſtatus civitatum inter ſe ſit pax ſatis infida; ſummorum imperantium eſt curare, ut *virtus civium, peritiaque armorum* alatur, & omnia, quæ ad vim repellendam requiruntur, mature parentur, munita loca, arma, milites, & rerum gerendarum nervus, pecunia. Ultro autem etiam poſita juſta

belli causa nemo lacessendus, nisi tutissima arriserit occasio, & conditio civitatis commode id ferat. Eundem quoque ob finem consilia & molitiones vicinorum accurate exploranda, & observanda sunt; nec non amicitiæ & fœdera prudenter contrahenda.

Observ. 622.

Quia porro hoc fine) Amplius ad officium Imperantis pertinet, quo injurias civium prohibeat earumque occasionem tollat §. 8. *h.* probis ministris utatur, illorumque actiones diligenter observet §. 9. tributa modice & æqualiter exigat eademque bene collocet §. 10. facultates civium augeat §. 11. factiones aliasque machinationes, civitati noxias, impediat §. 12. contra vim externam vires comparet §. *13. add. d. c. 9. §. 8. seqq.* & si quæ alia hujus generis sunt, de quibus multa dicere non attinet, cum in se satis quidem certa sint, ut plurimum autem pessime servari soleant.

2. Illud liquet, imperium civile esse rem molestissimam, siquidem juxta obligationis concurrentis præscriptum, idem exercendum sit, sed quia hoc vulgo negligitur, imperiumque otio, luxu ac voluptate fere æstimatur, hinc tanta contentione ab hominibus, in hos affectus nimium quantum proclivibus, ambiri solet.

3. Impediendis excessibus varia inter Gentes recepta sunt remedia, prolixæ scilicet multisque arti-

articulis distinctæ promissiones, juramenta, clausula commissoria, reservata resistendi facultas, præscriptus administrandi modus & si quæ ejus generis alia adhuc occurrunt, sed nisi cordatis rationibus ac animo imperterrito, iniquioribus machinationibus tempestivè obviam eatur, illa omnia, coërcendæ tantæ libertati sunt media inefficacia, & tantum non leves aranearum telæ, quas graviores muscæ facile perrumpant.

CAPUT XII.

DE LEGIBUS CIVILIBUS IN SPECIE.

§ I.

DIspiciendum quoque jam restat de partibus summi imperii in specie, & quæ circa eas peculiariter observanda occurrunt. Ubi primum locum occupant *leges civiles*, quæ sunt decreta summi imperantis civilis, per quæ civibus injungitur, quid in vita civili facere, quidvè omittere debeant.

§. 2. Dicuntur autem leges civiles duplici potissimum respectu; vel *respectu autoritatis*, vel *originis*. Priori sensu leges civiles vocari possunt omnes leges, juxta quas in foro civili

civili jus redditur, undecunque demum illæ originem suam trahant. Posteriori sensu leges civiles dicuntur, quæ primo à voluntate summi imperii civilis profectæ sunt, atque circa ea versantur, quæ jure naturali ac divino definita non sunt, sed ad peculiarem utilitatem singularum civitatum faciunt.

Observ. 623.

Dispiciendum quoque jam restat) Indolem & varietatem legum civilium, quam Autor §. *1.2.h.* attingit *add. l. 8. c. 1. §. 1.* supra *Observ. 91. n. 17. seqq.* explicavimus. Hoc loco exponendum, quali cum moderamine Potestas Legislatoria in actum sit deducenda, ubi illud liquidum, nihil posse Imperantem jubere vel prohibere, quod â voluntate Subditorum non dependeat, hinc potestas Legislatoria tantum versatur, circa actiones *voluntarias* & *possibiles*, hæ autem â legibus divinis vel præcipiuntur aut prohibentur, vel permittuntur, ideò Imperans simul occupatur vel circa leges divinas *obligantes*, vel *permittentes*.

§. 3. Cæterum uti legibus civilibus nihil est sanciendum, quod non *ad commodum reip.* referatur: ita cum vitæ civilis decori & tranquillitati maxime expediat, legem naturalem à civibus probe observari; hinc summis imperantibus incumbit, isti vim atque efficaciam legis civilis impertiri. Nam apud plurimos mor-

rtalium tanta deprehenditur malitia, ut ue manifesta legis naturalis utilitas, neque us divini Numinis ei reprimendæ sufficiat. o igitur utcunque vitæ civilis honestas ari queat, summum imperium efficere est, legibus naturalibus vim legum civili- tribuendo.

§. 4. Consistit autem *vis legum civilium* hoc, ut præceptis de faciendo vel omitten- addatur *sanctio pœnalis*; sive ut definiatur, e pœna in foro civitatis sit mansura eum, facienda omiserit, aut fecerit omittenda. a sanctione pœnali quæ destituuntur leges urales, in foro humano impune violantur, a tamen vindicta tribunalis divini.

§. 5. Præterea quia vitæ civilis indoles n fert, ut quod quisque sibi deberi arbitra-, propriam per violentiam exigat: inde & eo legi naturali subveniunt leges civiles, od ad ea, quæ ex illa debentur, hæ *actio-n* accommodant, cujus vi, ista in foro civili subsidium magistratus exigi possunt. iam vim quæ per leges civiles non accepe-it, ab invitis extorqueri non possunt, sed o debentium pudore & conscientia stant. lent autem leges civiles illis potissimum ligationibus actionem accommodare, quæ r expressa pacta inter homines contractæ

 sunt.

ſunt. Cæteris, quæ ex indefinito aliquo officio legis naturalis debentur, fere actionem denegarunt, ut eſſet materia, qua virtutem ſuam exercerent probiores mortalium; inſignemque pararent laudem, ſi citra coactionem recte feciſſe viderentur. Sæpe etiam tanti non fuit viſum negotium, ut ideo prætor fatigaretur.

Obſerv. 624.

Cæterum uti legibus) Quoad leges divinas *obligantes*, efficere debet Legislator, quo in vita civili obſerventur §. 3. *h. add. d. c.* 1. §. 1. quod fit ſi ſanctione pœnali eas muniat §. 4. *h.* media coactiva, quibus refractarii ad faciendum officium adigi queant, introducat §. 5. *h.* ac prava conſuetudine forte obliteratas in uſum revocet.

2. Mutare autem illum iſtas leges non poſſe, ex indole imperii divini, facile liquet, hinc leges civiles, juri naturali contrariæ, irritæ ſunt, quo loco tamen cavendum, ne apparens mutatio vel contrarietas, dum Imperans ſtatum, quem lex naturalis præſupponebat juſtis ex cauſis quandoque mutat, adeoque efficit, ne juri naturali locus ſit, nobis imponat. Hobbeſius inepte contendit (1) legem civilem naturali non poſſe repugnare (2) Imperantem poſſe definire, quid ſit furtum, homici-

ıicidium, adulterium aut injuria (3) præcepta decalogi esse præcepta civilia (4) ante leges civiles nihil justum fuisse, quos errores Autor refellit *l. 8. c. 1. §. 2. 3. 4. 5.*

§. 6. Cum etiam multa lege naturali indefinite præcipiantur, adplicatione in cujusque arbitrio relicta: inde lex civilis ad decus & tranquillitatem civitatis ejusmodi *actionibus tempus, modum, locum, & personas* assignare, aliasque circumstantias determinare, quandoque & præmiis homines ad eas suscipiendas allicere solet. Si quid etiam in lege naturali obscuri sit, legis civilis est *explicare*. Quam explicationem in agendo sequi cives tenentur; utut fortasse privata ipsorum opinio in diversum abeat.

Observ. 625.

Cum etiam multa) Quo recte intelligatur, quid circa leges divinas *permittentes*, Imperanti liceat, observandum, ex iis varia jura hominibus competere, puta libertatem inviolabilitatem, dominium, & similia. Quæri igitur potest, an Legislator humanus, legem divinam permittentem ac inde orta jura tollere queat? quod quidem eatenus asserendum, quatenus subditi in id revera consenserunt. Libertatem itaque quod attinet, quemadmodum ejus ex parte facimus jacturam, quando in civitatem concedimus, ita superstitis, juxta utilitatem publicam restringendæ, potestatem Im-

peranti quoque damus, hinc Idem sæpissime libertatem in obligationem sua lege mutare solet, in specie hoc accidit libertati, quæ circa executionem præceptorum naturalium occurrit §. 6. *b.*

Observ. 626.

Siqvid etiam in lege naturali) Hoc monitum ad legem naturalem in genere pertinet, de cætero facultas illa explicandi, debet referri ad dictamina obscura & dubia v. gr. quid in casu necessitatis licitum vel illicitum censeri debeat, in qua materia quæstiones dubiæ non plane cessare solent.

§. 7. Cum etiam plurimæ actiones per legem naturalem cujusque judicio & arbitrio sint relictæ, quas tamen in civitate uniformi modo temperari tranquillitatis & decoris publici interest: inde leges civiles ejusmodi actionibus & negotiis *certam formam* solent assignare; uti contingit in ultimis voluntatibus, in contractibus, & multis aliis. Ob eandem causam etiam leges civiles exercitium eorum jurium, quæ naturaliter competunt, circumscribere sueverunt.

Observ. 627.

Cum etiam plurimæ actiones) Porro ostendit Autor, quomodo in mere licitis, libertas lege civili circumscribi soleat, quod ex principio antea posito facilè intelligitur. Quod autem reli-

reliqua jura, vitam, corpus vel opes respicientia, quæ antea innuimus, attinet, eorum adimendorum potestatem, regulariter Imperanti haut dedimus, hinc eadem etiam pro lubitu auferre nequit, sed tum demum hoc ei licet, si vel delictum admissum sit, vel utilitas evidens hoc postulet.

§. 8. Debent autem cives legibus civilibus, quatenus aperte juri divino non repugnant, *obtemperare* non velut ex nudo pœnæ metu, sed ex intrinseca obligatione, per ipsum jus naturale confirmata; quippe inter cujus præcepta quoque est, legitimis imperantibus esse parendum.

Observ. 628.

Debent autem cives) Effectus legum civilium permittentium, est *jus*, obligantium, *obligatio* proprie dicta, de quorum indole, ex doctrina generali judicandum *vid. Observ. 53.* Non tamen obligant leges civiles ad puritatem internam, cum enim actiones internas Imperans ignoret, ex ejus sane consideratione, nulla, quoad illas, oriri potest obligatio, lex tamen naturalis legem civilem, internis quoque actionibus, observari jubet, & hinc vulgo leges civiles per indirectum in conscientia obligare dicuntur.

§. 9. Denique non minus *peculiaribus jussis* summorum imperantium, quam legibus communibus cives obtemperare debent. Ubi

tamen observandum est, utrum summus imperans civem quid jubeat facere tanquam *actionem civi propriam*; an vero mandet suscipere nudam *exsecutionem actionis*, quæ propria imperantis esse debeat. Nam posteriori casu necessitate ab imperante adhibita, citra proprium peccatum, potest aliquid agere civis, quo patrato ipse imperans peccat. Sed ut civis velut proprio nomine peccatum legi naturali & divinæ repugnans perpetret, fieri recte non potest. Inde est, quod si in bello etiam injusto civis jussu summi imperantis arma gerat, non peccet. Sed si ejusdem jussu aliquis innocentem damnet, falsum testimonium dicat, calumniam alicui intentet, utique peccat. Nam civis militat nomine publico; sed proprio nomine judicat, testatur, accusat.

Observ. 629.

Denique non minus peculiaribus) Jussus speciales perinde obligare ac leges generales, certum est, modo sint justi, si autem vel leges, vel mandata specialia, injusta sint ac legibus divinis repugnent, tum eorum nulla est obligatio, an verò *subditus sine peccato eadem possit exequi?* alia quæstio est, ad quam Autor hic respicit, licet mentem non satis expresserit. Mihi distinguendum videtur inter injustitiam *dubiam*, hoc casu nulla labe contaminari vide-

videtur subditus, ex quo capite milites, in bello injusto operam præstantes, plerumque excusari possunt *vid. l. 8. c. 1. §. 6. 8.* & *evidentem*, v. gr. siquis innocentem occidere, vel cum matre aut bestia conbumbere jubeatur: Hoc casu siquis promte mandatum exsequatur, dubio procul crimine se polluit, sed quid dicendum, si Imperans, in casum negati obsequii, mortem vel aliud grave malum minetur?

Observ. 630.

Ubi tamen observandum est) Autor distinguit, utrum â cive requiratur *actio propria*, an *nuda actionis alienæ executio*, hanc licite suscipi, non illam, censens. Verum illa distinctio, *d. l.* 8. *c. 1. §. 6. 7.* etiam inculcata, vel ambigua, vel inanis & falsa est, nam si per *actionem propriam* intelligas *actionem promte susceptam*, per *executionem actionis alienæ* verò, *actionem nimis extortam* (quorsum nonnulla in *d.* §. 7. collineat) tum distinctio quidem in se vera, sed ambigua est, nec decidendæ quæstioni sufficiens. Si autem distinctionem ad eundem casum, quo scilicet vis subdito intentatur, de quo unice quæritur, referas, tum est inanis, nam quâ tandem formula, actio subdito injungatur, ejus tamen voluntas qualis qualis concurrit, hinc aut omni casu actio erit ei imputanda, aut nullo.

Observ. 631.

Inde est, quod si) Uti distinctio est nullius momenti, ita ejus applicatio quoque male se habet,

bet, quis enim credat, militem nomine publico, sed judicem, testem & accusatorem proprio agere, quando quoad omnes jussus superioris adest? non nego militem, citius cæteris, esse à peccato absolvendum, sed ratio diversitatis dependet â diversitate mandati, dubiè vel evidenter injusti.

2. Hæc cum ita sint, existimabit forte quis, subditum â peccato simpliciter esse immunem pronunciandum, vel quod actio mixta non imputetur, quo inclinat Autor *l. 1. c. 1* §. *24. b.* vel quod, ob necessitatem, cesset prohibitio, adeoque actio patranda, licitè suscipiatur. Verum neutram rationem rectè se habere *Observ. 48.* 141. *n. 7. seqq. Observ. 146.* ostendimus.

3. Nihil igitur superest, quam ut dicamus subditum, vi licet intentatâ, actiones ejusmodi, salvâ conscientiâ suscipere non posse, licet in foro civili eum excusandum, ac â graviori pœna absolvendũ esse, facile quis concesserit. Quod si is, quem actio illicita respicit, in eam consentiat, quando penes eum consentiendi est arbitrium, tum licite illa poterit suscipi, quemadmodum etiam nihil vetat, quo minus subditus, occasione delicti, ab ipso Imperante patrati, actum indifferentem peragat v. gr. orationem, defendendo crimini ab aliis confectam, simpliciter recitet *vid. l. 8. c. 1.* §. *7. conf.* Thomas. *J. J. D, l. 2, c. 1.* §. *174.*

CAPUT

CAPUT XIII.

DE JURE VITÆ AC NECIS.

§. I.

SUmmo imperio civili in *vitam civium duplici modo jus* competit; *indirecte* vel *directe*; illud quidem *ad defensionem civitatis*, hoc autem *ad compescenda delicta*.

Observ. 632.

Summo imperio civili) Ad partes imperii civilis quoque pertinet Jus vitæ & necis, licet enim hic præcipuus Civitatum sit scopus, ut omnium & singulorum civium vita cæteraque bona, in tuto sint collocata, attamen sæpe ea incidunt vel tempora, vel casus, ut ejus, quod singulis gratum & utile est, non possit haberi ratio, sed ex duobus malis minus sit eligendum, ut adeo indoles vitæ humanæ & societatum civiiium, utique jus aliquod durius singulisque parum gratum, etiam involvat.

§. 2. Cum enim sæpe vis exterorum per vim sit repellenda, aut jus nostrum violenter ab ipsis vindicandum; licet utique summo imperio cives ad hoc negotii compellere; ubi de industria non id agitur, ut cives vitam amittant, sed duntaxat periculo mortis eorum vita exponitur. Qualibus in periculis ut stre-

nue

nue & dextre sese cives gerere possint, summum imperium exercere eos & præparare debet. Nulli autem civi ejus periculi metu ad munia militaria sese inutilem reddere licet. Et qui militiæ est adscriptus, hautquaquam assignatam stationem ex formidine deseret, sed ad extremum potius spiritum pugnabit; nisi intelligat imperantis voluntatem esse, ut potius vitam, quam locum conservet; aut locus iste tanti non sit civitati, quam vita istorum civium.

Observ. 633.

Cum enim sæpe vis exterorum) Competit igitur Imperanti Jus in vitam subditorum propter defensionem civitatis, nam in hoc quivis subditorum consentire potuit & consensit, cum socialitati heic cedere debeat Philautia. De cætero tamen illud Jus non promiscue, aut saltem non eodem modo, omnes subditos afficit *vid. l. 8. c. 2. §. 1. 2.*

Observ. 634.

Qualibus in periculis) Ob illum finem subditi debent admittere exercitia militaria, juxta gradus tamen obligationis, qua quisque tenetur, per hæc autem exercitia, in vitæ periculum cives adducere, inhumanum est *vid. d. c. 2. §. 1.* Porro civibus haut fas est, ad operas militares sese ineptos reddere *vid. d. c. 2. §. 3.*

Observ. 635.

Et qui militiæ est adscriptus) Porro ex illo jure con-

consequitur, quod Civibus pro Patriæ salute strenue sit pugnandum *h. add. d. c. 2. §. 3.* Hæc omnia recte se habent, si utilitas Civitatis ista exposcat, sed sæpe improbi Imperantes, ex mera ambitione ac avaritia, bella movent, miserosque subditos, utilitatis publicæ prætextu, ad insana decreta, vel exsequenda vel defendenda adigunt, eosque hosti trucidandos imprudenti consilio objiciunt, vel fame aliisque calamitatibus consumunt, quæ nemo bonus probaverit.

2. Si civis, ob delictum proprium, deditio postuletur, illa â civitate licite suscipi posse videtur. Sed civem innocentem stolido & crudeli hosti dedere, nefas est *vid. d. c. 2. §. 5.* Obsidum munus, inviti etiam cives suscipere tenentur, quos tamen hostis neque occidere aliove malo afficere potest, neque civitas dedens, perfidià sua efficere debet, quo ille inhumanius ab hoste tractentur.

§. 3. Directe autem vitam civibus adimere potest summum imperium ob atrocia delicta, & per modum *pœnæ;* quæ tamen & in alia hominis bona cadit. Quo loco de natura pœnæ quædam in universum erunt exponenda.

Observ. 636.

Directe autem vitam) Deinde etiam Jus in vitam subditorum Imperanti competit ob delicta, qua occasione Autor de pœnis in genere, loco ta-

tamen forte non satis congruo, agere voluit. Summatim duo spectanda [1] *Delictum* & (2) *Pœna*. De actionibus malis seu delictis diximus *Observ. 65. 75.* in quam varias autem formas delicta se componere soleant, illud ex integra Jurisprudentiâ colligendum Heic ejus facienda mentio ob *effectum*, quem in vita civili habet; Nimirum, delicto admisso, oritur *obligatio* ad *damnum*, si quod datum est, *restituendum*, de qua passim in præcedentibus actum est, deinde ad *malum aliquod excipiendum*, quod *Pœnæ* nomine venit.

§. 4. Est igitur *pœna* malum passionis, quod infligitur ob malum actionis; seu malum aliquod molestum, quod per modum coactionis & pro imperio intuitu antegressi delicti alicui imponitur. Licet enim sæpe alicui pœnæ loco imperentur quædam actiones; in iis tamen spectatur id, quod laboriosæ & facienti molestæ sint, quodque agenti passio quædam per eas inferatur. Invitis autem pœna est infligenda, quia alias illa non obtineret finem suum, qui est, acerbitate sua homines à peccatis deterrere. Quem effectum non habent, quæ quis lubens admittit. Denique pœnæ rationem non habent mala, quæ in bello pugnavé inter repugnandum inferuntur; quia non pro imperio: neque quæ per injuriam quis patitur; quia non intuitu tegressi delicti inferuntur.

Observ.

Observ. 637.

Est igitur pœna) Hæc Grotii definitio, *l. 8. c. 3. §. 4.* etiam adducta, nimis generalis est, nam non exprimit (1) personam punientem, nec (2) delinquentis obligationem, nec (3) pœnarum finem, nec [4] puniendi modum, præterea (5) pœnam à damni reparatione non distinguit.

Observ. 638.

Seu malum aliquod molestum) Nec hæc Autoris definitio mensuram bonæ definitionis implet, nam itidem (1) omittit finem pœnarum (2) male negat obligationem delinquentis [3] modum puniendi non docet, nec (4) â reparatione damni, pœnam distinguit. Mihi igitur sic videtur. *Pœna*, intuitu fori humani, est *malum, quod ob delictum, præter damni reparationem, delinquenti obligato, ad securitatem & utilitatem societatis humanæ, ab Imperante legitimè imponitur*, quam occasione eorum, quæ Autor amplius tradit, illustrabimus.

Observ. 939.

Licet enim sæpe alicui) Dicimus pœnam (1) *malum*, ubi nihil refert, sive illud vitam, corpus, existimationem vel bona afficiat, licet utique per regulas justitiæ non minus, quam prudentiæ, tale malum sit eligendum, quod cum fine pœnarum congruit. Porro nihil interest, sive agendo, sive patiendo quis malum sentiat. Autor, dum pœnam, dixit *malum passionis*, ad aliquam objectionem respondere debuit, quo

labore superſedere poſſumus. Dico (2) *quod ob delictum*, ergo mala, quæ ſine prævio delicto quis ſentit, pœne rationem non habent, de quo mox iterum (3) *præter damni reparationem*, hoc ideo, non quaſi nunquam pœna imponatur, niſi damni reparatio præceſſerit, hanc enim ſæpe vel natura delicti, vel delinquentis egentia excludit, ſed ut conſtet, pœnam à damni reparatione eſſe revera diſtinctam, interim certum eſt, quod ipſa etiam damni reparatio, perinde ut pœna, delinquentibus moleſta ſit ipſisque dolorem afferat.

Obſerv. 640.

Invitis autem pœna eſt infligenda) Amplius dicimus (4) *delinquenti obligato*; Quod *delinquentibus* tantum pœna ſit imponenda, poſtea dicetur, jam de *obligatione* ſaltem quæritur? Ubi arbitramur, delinquentem propriè ad pœnam ſuſtinendam obligari hactenus, ut ei deprehenſo, ob delictum punibile & legitime probatum, illa in debitâ quantitate, citra injuriam queat imponi, cum enim permiſſa impunitas aliis animum ſit datura atque ita publicè nocitura, hinc merito, coërcendis delictis, pœna infligitur, quamobrem ſanctio pœnalis ex juſtis cauſis oritur, adeoque delinquentem, ad pœnam ſuſtinendam omnino obſtringit, ut ille queri non poſſit, ſecum iniquè eſſe actum.

2. Autor heic fluctuat, nam aliquando eo inclinare videtur, quod deliquens, proprio velut ju-

jumento, pœnæ malum sibi attrahere non debeat *vid. d. l. 8. c. 3.* §. *4.* verb. *sed illa nimis imperita foret*, quo sensu sententia se non male habet, verum aliquando omnem delinquentis obligationem negat ut *h.* & *d* §. *4.* verb. *proprie dici non posse, ad pœnam aliquem teneri*, quo sensu utique falsa est ac infirmo argumento nititur.

3. Nimirum, *invitis est pœna imponenda, cum alias finem suum non obtineat*, nam in hoc argumento *Minor* falsa & neutiquam probata est, cum perinde pœna suum obtineat finem, sive invitus, sive volens, quis eam excipiat, id quod inductio facilè ostendit, imo emendatio delinquentis citius sperari queat, si lubens ille se pœnæ submittat; Præterea in *Majore* nulla est connexio, â reluctantia enim ad negationem obligationis, non valere consequentiam, tam ex hujus indole, quam debitorum morosorum exemplo patet, plane si reluctantiam lex requirat, *vid.* Thomas. *J. J. D. l. 3. c. 7.* §. *98.* tum ab ea, ad obligationis negationem inferri posse videtur, sed qua ratione quis antecedens probaverit? Ex dictis etiam concludendum, quod obligatio delinquentis, quoad ultimum actum, qui dolorem proxime infert, adsit, nam nisi hoc asseras, punire, est injuriam inferre, ut non sit ferenda distinctio Scholasticorum, qui actus remotos & proximos, quoad delinquentis obligationem, separare voluerunt *add.* Thomas. *d. c. 7.* §. *69. seqq.*

Observ. 641.

Denique pœnæ rationem non habent) Pergimus in definitione (5) *ad securitatem & utilitatem societatis humanæ*, nam legitimus pœnarum finis est bonum aliquod futurum, ut scilicet delicta cessent, atque ita homines securi sint; cæterum sicut iste finis aliquando obtinetur, citra pœnæ impositionem, ita nec hæc, nec consuetus ejus imponendæ modus, semper est necessarius, de qua postea iterum [6] *ab Imperante*, huic enim puniendi jus tantum competit, hinc mala bellica, pœnæ rationem non habere, recte dicit Autor *h.* & omnino errant Grotius & Seldenus, quando pœnam ab æquali etiam infligi posse censent *vid. d. c. 3. §. 4.* Neque vero nomen saltem pœnæ, sed etiam ipsa res negatur, privato enim aut pari, non competit judicium de fine pœnarum, adeoque nec jus puniendi. Inter pares igitur, tantum obtinet bellum, & mala bellica, ob alterius resistentiam; regulis pœnalibus haut sunt adstricta. Denique [7] *legitime imponitur*, nempe pœna, sine pravis respectibus, ad legitimos fines dirigenda, ac delicto ritè attemperanda est.

Observ. 642.

Neque quæ per injuriam) De hoc jam diximus *Observ. 639. n. 2.* Pœna præsupponit delictum, hinc mala per injuriam illata, morbi divinitus immissi *add. d. c. 3. §. 2. 4.* mala fortuita aut pœnæ conventionales; quas vocant, rationem veræ pœnæ non habent.

§. 5.

§. 5. Sicuti autem libertas naturalis hoc habet, ut qui in ea constitutus præter Deum neminem habet superiorem, divinis tantum pœnis sit obnoxius: ita cum, introducto inter homines imperio, hoc quoque imperantibus salus societatum attribuit, ut ipsi malo repræsentato malitiam subjectorum coërcere queant, quo plures homines secure invicem possint vivere.

Observ. 643.

Sicuti autem libertas) Postea nonnulla capita, quæ hactenus tetigimus, distinctius sunt consideranda. Possunt itaque, ceu modo diximus, pœnæ tantum imponi in civitate, vi imperii civilis. Accepit autem Imperans potestatem puniendi ex pacto ipsius delinquentis, in eventum delicti, in hoc consentientis, hinc quod quis puniri possit, id est *à delicto*, quod ab hoc Homine vel Concilio, id dependet *à pacto*, quæ duo probe distingui debent. Autor potestatem, illam recte quidem Imperanti asserit §. 5. *h.* sed ejus originem *d. l. 8. c. 3. §. 1.* male explicat, dum non *à consensu delinquentis*, sed *reliquorum civium, non delinquentium* eam derivat, nam horum consensus, vires quidem Imperanti tribuit, sed non imperium in alium, ad quod proprius consensus utique requiritur. Non tantum autem Imperans *potest*, sed & *debet* punire, obligatur enim Deo & Reipublicæ, non tamen simpliciter, sed obligatio

ex utilitate Civitatis æstimanda est, nisi Deus lege universali pœnam præcise imponi jusserit, tum enim arctior obligatio aderit *add. l. 8. c. 3. §. 6. 7. 13.*

§. 6. Etsi autem in eo nihil videatur iniqui, ut malum patiatur, qui male egit: in pœnis tamen humanis non simpliciter respiciendum est, quodnam malum sit perpetratum; sed & quæ *utilitas ex pœna* possit provenire. Sicuti & nequaquam eo fine pœnæ exercendæ, ut læsus animum pascat, & voluptatem capiat ex dolore & supplicio lædentis; quippe cum hæc voluptas plane sit inhumana, & socialitati repugnans.

Observ. 644.

Etsi autem in eo] De fine poenarum recte pronunciat Autor, quod ob solum delictum præteritum, pœna non sit imponenda §. *6. h.* hoc enim nihil aliud est, quam malitiam delinquentis imitari, quare sicut hic delinquendo simpliciter peccat, ita qui ob solam præteritam delinquentis malitiam puniunt, in eo contra leges socialitatis agunt, quod sine spe utilitatis, malum inferant, quo sensu erga delinquentem etiam injurii sunt *add. d. l. 8. c. 3.* §. *8.* Grot. *de. J. B. P. l. 2. c. 20.* §. *4. 5.*

§. 7. *Genuinus pœnarum humanarum finis* est præcautio læsionum & injuriarum; quæ provenit, si vel in melius emendetur, qui peccavit, aut alii ejus exemplo, ne deinceps velint

velint peccare, vel si ita coërceatur, qui peccavit, ut non possit deinceps nocere. Id quod etiam ita potest exprimi; quod in pœnis respiciatur vel utilitas ejus, qui peccavit; vel ejus, cujus intererat non fuisse peccatum, quique adeo per peccatum læsus fuit; vel indistinctim quorumlibet.

§. 8. Primum igitur in sumenda pœna respicitur *utilitas ejus, qui peccavit*, dum dolore pœnæ ipsius animus emendatur, & peccandi libido per eundem extinguitur. Quale genus pœnæ etiam in plerisque civitatibus in suos domesticos exercere patribusfamilias relictum. Eo solo tamen fine ad mortem procedi posse non videtur; cum, qui mortuus est, emendari nequeat.

§. 9. Deinde in pœna versatur *utilitas ejus, qui læsus fuit*, ne tale quid in posterum ab eodem aut aliis patiatur. Quorum prius obtinetur, si vel tollatur, qui peccavit, vel vires nocendi, salva vita ipsi adimantur; vel si malo suo dedoceatur delinquere. Posterius autem obtineatur pœna aperta & conspicua, cujusq; adparatus ad terrorem aliis incutiendum aptꝰ sit.

§. 10. Denique in pœna *utilitas* quoque *omnium* quæritur, dum nempe id agitur, ut ne, qui uni nocuit, aliis deinceps noceat, vel ut

exemplo territi cæteri à similibus patrandis abstineant. Quod pari modo atque prius obtinetur.

Observ. 645.

Genuinus pœnarum humanarum finis) Postea legitimum pœnarum finem Autor recenset §. 7. *seqq. add. l. 8. c. 3.* §. 9. 10. 11. 12. Videtur res commodissime sic proponi posse: Finis pœnarum principalis est *Securitas*, subordinati fines *Emendatio*, *Extinctio* aut *Enervatio delinquentis*, pro ratione delicti admissi, ac *aliorum territio.*

§. 11. Quod si porro tum fines pœnarum, tum conditionem generis humani consideremus, adparet, *non omnia peccata esse ejusmodi indolis, ut in foro humano ea puniri* omnino conveniat. Inde pœnis humanis eximuntur *actus mere interni*, i.e. cogitatio delectabilis de peccato aliquo, cupiditas, desiderium, destinatio citra effectum; etsi postea per subsequentem confessionem ad notitiam aliorum perveniant. Nam cum ejusmodi motu interno nemini noxa inferatur, nullius quoque hominis interest, ut ob eundem quispiam puniatur.

§. 12. Durum quoque nimis foret pœnis humanis subjicere *minutissimos lapsus*, quos in isthac naturæ conditione non datur effugere

gere quantamcunque attentionem quis adhibere instituat.

§. 13. Præterea multos actus dissimulant leges humanæ *ob tranquillitatem civitatis, aut alias ob rationes*; puta, si splendidior futurus sit actus, ubi ex intuitu pœnæ non videatur susceptus, aut ubi operæ pretium non sit judices inquietari, aut si obscurissimæ res sit disceptationis, aut si inolitum plane malum citra convulsionem civitatis tolli nequeat.

§. 14. Denique & à pœna humana eximi necesse est illa *vitia animi, ex corruptione mortalium communi resultantia*, quæ ita frequentia reperiuntur, ut defuturi essent, quib9 imperaretur, si severis ista pœnis plectere velis, quousque in enormes actus non eruperunt: uti est ambitio, avaritia, inhumanitas, ingratus animus, hypocrisis, invidia, superbia, iracundia, simultas, & similia.

Observ. 646.

Quodsi porro) Omnia delicta ab hominibus puniri non possunt aut solent, qualis §. *11. seqq.* recensentur, *add. d. c. 3. §. 14.* Inprimis jus puniendi cessat, quoad *falsam religionem* & *irreligiositatem*, nam uti hæ sæpe tales revera non sunt, sed saltem à nonnullis existimantur, ita pro delictis inter homines in universum haberi nequeunt, cum societatem humanam

non turbent, præterea religio, utpote in animo consistens, ab hominibus nequeat imperari. Quodsi tamen impietas in externum Dei contemtum, aut alia facinora, societatem civilem turbantia, erumpat, vel sub prætextu religionis, socialitas lædatur, tum pœnæ recte adhibentur.

§. 15. Neque tamen si quæ peccata sint patrata pœnis humanis idonea, semper necessum est pœnam exigi. Quin aliquando contingit, ut delinquentibus recte peccati *venia* fieri possit. Id quod tamen citra graves caussas fieri non debet. Inter quas sunt, *si* fines pœnarum in certo casu non videantur necessarii, aut si venia majorem quam pœna producere utilitatem sit idonea; aut si fines pœnarũ alia via commodius obtineri possint. Item si qui deliquit alleget sua aut sibi conjunctorum eximia in rempubl. merita, peculiari præmio digna, aut si ab alia quapiam insigni re commendetur, puta, a raro aliquo artificio; aut si spes sit fore, ut peccatum illud egregiis factis eluatur: præsertim ubi aliqua ignorantia, licet non plane inculpabilis, intervenerit, aut si particularis ratio legis in aliquo facto cessaverit. Sæpe quoque ob multitudinem peccantium venia est danda, ne suppliciis civitas exhauriatur.

Observ.

Observ. 647.

Neque tamen si qua) Quando autem delictum punibile ac puniri solitum adest, tum Imperans delinquenti deprehenso pœnam condignam imponere tenetur. Aliquando tamen veniam concedere potest, quod frustra Stoici negarunt *vid. l. 8. c. 3.* §. 15. 16. 17. Requiritur tamen (1) ut lex sit dispensabilis (2) ut justæ adsint causæ §. 15. *h.* inter quas justissima est, si lex sit nimis dura, & delinquens, vi velut majori adactus, deliquerit, quod exemplo militum delinquentium intelligi potest.

§. 16. *Gravitas* autem *delictorum* æstimatur ex objecto, in quod peccatum fuit, prout illud nobile & pretiosum habetur: item ex effectu, prout multum aut parum damni in remp. inde redundat; & denique ex pravitate intentionis, quæ ex variis indiciis colligitur; puta, si facile potuit resistere causis, quibus quis ad peccandum fuit impulsus; aut si præter communem rationem peculiaris quædam accessit, quæ à peccando debebat absterrere; aut ubi circumstantiæ singulares factum aggravant; aut si animum quis habuerit idoneum ad resistendum peccatorum illecebris. Sed & considerari solet, primus quis, an aliorum exemplo seductus semel, an sæpius, & post consumtas frustra admonitiones quis peccaverit.

Observ.

Observ. 648.

Gravitas autem delictorum] Pœnæ nomine imponitur malum, quod (1) ad finem pœnarum producendum aptum, ac (2) delicto conveniens esse debet, quæ posterior æstimatio satis lubrica, ac in vitâ civili valde corrupta est. Interim ad proportionem illam inveniendam, observanda est delictorum *indoles vid. d. c. 3. §. 18.* & *quantitas*, quæ ex *circumstantiis* oriri dicitur §. *16. h. add. d. c. 3.* §. 19.20.21.22. sed, accurate loquendo, illa existit à *diverso voluntatis influxu* ac à *legum*, quæ violantur, *diversitate*, quæ duo fundamenta circumstantiæ vulgò laudatæ innuunt *vid. Observ. 75. n. 4.*

§. 17. Quod tamen *pœnæ genus*, & *quantum* præcise singulis peccatis sit infligendum, penes summum imperium civile est definire: quod heic unice utilitatem reipubl. præ oculis habere debet. Unde fieri potest & solet, ut eadem pœna imponatur duobus delictis inæqualibus. Nam quæ æqualitas judicibus circa reos observanda præcipitur, illa intelligenda est de reis, qui idem specie delictum commiserunt, hactenus, ut quod in uno vindicatur delictum, alteri citra gravissimam causam condonari non debeat. Etsi autem quantum fieri potest, homo in hominem lenior esse debeat: interdum tamen pœnas exasperari salus civitatis, & securitas civium jubet; puta, si

ſi contra gliſcentia vitia aſperiore medicina opus eſt; aut ubi delictum aliquod reip. ſit perniciosiſſimum. Id autem omnino obſervandum circa magnitudinem pœnarum, ut illæ tantæ ſint, quantæ ſufficiant ad reprimendam libidinem mortalium, qua feruntur in peccatum, in quod pœnæ conſtituntur. Tum etiam, ne exigantur graviores pœnæ, quam legibus definitæ ſunt; niſi atrociores circumſtantiæ factum aggravent.

Obſerv. 649.

Quod tamen pœnæ genus) Poſtea etiam poenæ ſeu mali imponendi *quantitas* recte eſt definienda, quam definitionem, juxta utilitatem publicam, fieri debere, Autor innuit *h. add. d.c.3.* §. 23. 24. ſed hæc, ultima norma eſt proxime igitur, in pœna determinanda, debet conſiderari (1) delictorum quantitas (2) delinquendi conſuetudo ac facilitas, ac (3) delinquentis perſona. Juxta legem Moſaicam particularem, vel Talionem, definitio pœnæ præciſe non eſt facienda *d c.3.* §. 26. 27.

Obſerv. 650.

Unde fieri poteſt & ſolet) Specialis quæſtio eſt, an eadem poena duobus delictis inæqualibus queat imponi? Autor ita cenſet, ejus tamen ratio non adeò concludit, ſed potius id, de quo quæritur, ſupponit, hinc regulariter quæſtio neganda videtur, aliquando tamen affirmari poterit (1) ob *defectum majoris pœnæ*, ſic multa de-

delicta inæqualia, morte coërcentur (1) ob *lubricam delictorum & pœnarum æstimationem.* Plane aliquando delicta non tantum in se, sed etiam regulariter, quoad quantitatem, sunt quidem diversa, quæ tamen, pro ratione temporis aliarumque circumstantiarum, æqualia nonnunquam censeri possunt, hæc igitur, si eadem pœna coërceantur, id ad quæstionem non pertinet.

Observ. 651.

Etsi autem quantum) Juxta fundamenta antea allata, & pœna recte definienda, & nonnunquam exasperanda vel lenienda est, qua in re, uti propter lubricam horum æstimationem, facile impingi potest, ut nimia accuratio heic exigi nequeat, ita negari tamen non posse videtur, quin crudelitas & vitiosa *προσωποληψία*, sæpius genuinæ normæ limites consulto transiliat.

Observ. 652.

Tum etiam ne exigantur) Hæc minus apposite dicta sunt, pertinent enim ad Magistratus inferiores, qui pœnas legibus constitutas simpliciter ad delicta evenientia applicari debent, hic verò est quæstio de pœnis, a Summo Imperante, in usum Reipublicæ, legitime constituendis.

§. 18. Quia tamen eadem pœna non omnes æque afficit, adeoque apud omnes non parem effectum producit circa reprimendam peccandi libidinem; inde tam in generali pœna.

narum designatione, quam earundem ad singulos adplicatione, respicienda est *persona ipsius delinquentis*, & in eadem illæ qualitates, quæ sensum pœnæ augere vel minuere possunt; puta, ætas, sexus, status, opes, vires & similia.

Observ. 653.

Qui tamen eadem pœna) In determinanda pœna ad personam delinquentis etiam esse respiciendum, jam *Observ. 649. n.3.* diximus, & hic recte inculcatur. Est tamen ut alibi, ita hic etiam, caute incedendum, quædam personarum discrimina sat evidenter diversum doloris sensum operantur, adeoque merito diversam pœnam exigunt, modica mulcta inopi sat gravis est, quæ tamen in divite ne minimum quidem dolorem excitaret. Homo robustus gravem corporis coërcitionem, sine salutis dispendio sustinet, sed ætatis teneræ vel dubiæ valetudinis homuncionem illa consumeret. Ad observandam igitur æqualitatem, opus est inæquali pœnæ determinatione, nam hæc demum, quoad dolorem excitandum, æqualis est. Sed an v. gr. ejectio ex civitate, magis urat honoratum, quam plebejum, id non adeo liquet, hinc, ad introducendam pœnæ inæqualitatem, personæ hactenus non recte habetur ratio, quando autem sola dignitas minuendæ pœnæ sufficere existimatur, in humiles verò impune sævitur, eam non justam

ſtam eſſe pœnæ æſtimationem, ſed corruptiſſimam προσωποληψίαν, ad prava inſtituta, evertendæ humanæ amicitiæ introducta, ſuſtinenda pertinentem, cordati facile intelligunt. *add. d. c. 3.* §. 25.

§. 19. Porro uti ob alienum delictum in foro humano pœna proprie dicta nemo poteſt affici: ita ſi *ab univerſitate aliqua delictum ſit admiſſum*, eo non tenebitur, qui in id non conſentit. Atque inde iſti diſſentienti nihil poterit eripi, quod nomine & beneficio univerſitatis non obtinebat. Etſi ex occaſione punitæ univerſitatis & innocentes incommodum ſentire ſoleant. Expirant quoque delecta univerſitatum, quando nemo amplius ſupereſt eorum, queis conſentientibus & cooperantibus illud delictum fuit patratum.

§. 20. Id tamen frequenter contingit, *ut alienum delictum occaſionem præbeat*, ex qua in alios incommodum proveniat, aut bonum antea ſperatum intercipiatur. Sicuti bonis parentum ob delictum confiſcatis, ad paupertatem rediguntur etiam innocentes liberi. Et reo aufugiente fidejuſſor exſolvere multam cogitur, non ex delicto, ſed quia in talem eventum ultro ſeſe obligavit.

Obſerv. 654.

Porro uti ob alienum delictum) Delinquentem tantum

tum esse puniendum, non alios, licet iis cum delinquente arcta intercedat conjunctio ex regulis socialitatis facile liquet. Pœna tamen pecuniaria, in alios nonnunquam, ob consensum transmittitur, quemadmodum etiam non est infrequens, ut quis occasione alieni delicti, damnum sentiat, sed est vel damnum fortuitum, vel voluntarium, adeoque non iniquè accidit, quod exemplo innocentium Universitatis delinquentis membrorum §. 19. liberorum & fidejussoris §. 20. declaratur *add. d. c. 3. §. 28. seqq.*

2. Modus imponendi pœnam, in his summatim consistit (1) hoc agat Imperans eique subordinatus Judex, quo delinquentem, in suam redigat potestatem, quod carcere, custodibus ac aliquando, salvo conducto, obtineri potest (2) postea de eruenda delicti veritate sollicitus esse debet, hinc omnia legitima probandi media, adhibenda sunt, ad quæ etiam tortura recte instituta, referri potest. Quodsi de delicti veritate constet, tum (3) pœna conveniens dictanda, ac legitime, sepositis pravis respectibus, executioni danda est. Reo tamen, quoties æquitas postulat, defensio indulgeri debet.

3. Sic igitur delinquens ad pœnam certo modo obligatur, hanc igitur obligationem si expleat, *justus* dici potest, sed est justitia non valde splendida, & justior est, qui illum exercendæ justitiæ casum evitat. Porro Imperans & Ju-

dex quoque, ad pœnas legitime imponendas, obligantur, quam obligationem si impleant, sensu satis splendido, *justi* sunt. An vero, in imponenda pœna, Commutativa, Distributiva, vel, nescio, quo elogio mactanda Justitia, observetur, ea inepta, ac Grotio & Pufendorfio *vid. d. c. 3. §. 5.* indigna quæstio est. Quodsi autem illam obligationem negligant, tum sunt injusti, cujus injustitiæ species solent esse *nimia lenitas*, hacque frequentiores *crudelitas*, *avaritia* & *προσωποληψία*.

CAPUT XIV.

DE

EXISTIMATIONE.

§. I.

EXistimatio in genere est valor personarum in vita communi, secundum quem aptæ sunt aliis personis exequari aut comparari, eisque vel antehaberi, vel postponi.

Observ. 655.

Existimatio in genere) Inter partes Imperii Civilis est etiam Jus determinandi Subditorum Existi-

ſtimationem, qua occaſione Autor in genere, de hac materia, ſibi diſſerendum eſſe exiſtimavit *vid.l.8.c.4.1.8.* ſed loc9 illi rei non ſatis aptus eſt. Quoad rem ipſam, certum quidem eſt, quod homines, quoad phyſicam Corporis quantitatem ſint ſæpe diſſimillimi, quemadmodum vice verſa hactenus æquales cenſeri poſſunt, quod omnes anima & corpore conſtent. Sed de his jam non eſt quæſtio, ſolent inſuper in hominibus *aptitudo agendi*, nec non *ipſæ actiones*, ut & *imperium*, *pacta* ac *legum diſpoſitiones*, eo fine factæ, conſiderari ac inde diverſus eorum Valor repeti, de quo hic agitur.

Obſerv. 656.

Eſt valor perſonarum) Exiſtimatio ſine dubio, *jus* eſt, ſed quia homines certo modo *quantos* efficit, ideo ab effectu & objecto, *quantitas moralis* vel *valor* audit, perinde ac pretium, quod, hominum intuitu, utique etiam jus eſt *add. d. l. 8. c. 4. §. 1.*

§. 2. Dividitur illa in *ſimplicem* & *intenſivam.* Utraque conſideratur vel inter eos, qui *in naturali libertate*, vel qui in *ſtatu civili* invicem degunt.

Obſerv. 657.

Dividitur illa) Diviſio hæc ex fundamentis *Obſerv. 655.* laudatis, reſultat, nam uti hæc gradibus diſcernuntur, ita exiſtimationem quoque per gradus eſſe diſtinguendam, inde conſequitur. Quando autem Autor ait, quod exiſtimatio

poſſit vel intuitu ſtatus naturalis, vel civilis expendi, tum hoc eſt intelligendum, vel de ſtatu naturali, qui inter diverſas Respublicas, aut diverſarum Civitatum ſubditos occurrit, vel quatenus ille etiam in Civitatibus adhuc ſupereſſe cenſetur, dum homines, abſtrahendo à conditione civili conſideramus, nam alio ſenſu inter homines ſtatus naturalis non exiſtit.

§. 3. *Exiſtimatio ſimplex inter eos, qui in naturali libertate vivunt*, in hoc potiſſimum conſiſtit, ut quis talem ſe ferat, & pro tali habeatur, quicum agi queat tanquam cum viro, bono, & qui cum aliis ad præſcriptum legis naturalis vivere ſit paratus.

Obſerv. 658.

Exiſtimatio ſimplex) Hæc eſt *Valor ex probâ humanitate*, ſeu *legum obſervantia, ad communem mortalium modum factâ, ortus.* Eam conſequitur *bona fama add. d.c.4.§.2.*

§. 4. Atque iſthæc *integra* tamdiu habetur, quoad quis nondum per malitioſum aut enorme facinus ſciens volensque dolo malo legem naturæ adverſus alios violavit. Inde & naturaliter quilibet pro bono viro habetur, donec contrarium probetur.

Obſerv. 659.

Atque iſthæc integra) Juxta hanc exiſtimationem, homines, qui leges obſervant, ſunt *æquales*, eadem-

demque tamdiu durat, quamdiu leges non enormiter violantur, cumque communis hominum probitas, fere in omissione delictorum consistat, hinc illa merito tamdiu præsumitur, donec horum susceptio, quæ facti est, probetur. *add. d. c. 4. §. 3.* Aliquando ex indiciis darum idoneis, delicta præsumuntur, aut etiam per mendacium, ab hominibus maleferiatis, asseruntur, inde oritur *sinistra opinio*, cui soli tamen homines cordati nihil tribuere solent. *Simplici* isti *existimationi* respondet in aliis *obligatio perfecta*, qua eam agnoscere ac per injuriam violare non debent.

§. 5. Eadem existimatio *diminuitur* per facinora enormia contra legem naturalem malitiose patrata; quæ efficiunt, ut majore circumspectione opus sit, si quis cum tali agere velit. Ea tamen macula elui potest præstita ultro damni dati reparatione, & edito seriæ pœnitentiæ documento.

§. 6. *Consumit* eandem penitus vitæ genus & institutum, directe spectans ad aliis promiscue nocendum, & rem ex manifestis aliorum injuriis faciendam. Cujus farinæ homines quamdiu resipiscere nolunt, tanquam communes hostes possunt tractari ab omnibus, quos ipsorum malitia ullo modo potest tangere. Reparare tamen hi existimationem possunt, ubi præstita refusione damni, aut ob-

tenta condonatione, honeſtum vitæ genus, vitioſo ejurato, ſubierint.

Obſerv. 660.

Eadem exiſtimatio) Quia proba humanitas exiſtimationis ſimplicis cauſa eſt, hinc neceſſario conſequitur, quod, illa ceſſante, hæc quoque deficiat, qui defectus, nomine *infamiæ naturalis* vel *facti* rectè exprimitur, de cætero mera privatio eſt, ac, emendato vite generæ, evaneſcit, non ſecus ac, redeunte ſole, tenebræ diſſipantur *add. d. c. 4.* §. 4. 5.

§. 7. *Exiſtimatio ſimplex intra civitates degentium* eſt, qua quis juxta leges & mores civitatis pro vitioſo ejusdem membro non fuit declaratus, & aliquo numero eſſe intelligitur.

Obſerv. 661.

Exiſtimatio ſimplex) Adhuc in civitate, exiſtimatio ſimplex ex proba humanitate oriri dicenda eſt, nam conditio civilis ad eam non requiritur, ſed illa ad intenſivam quid conferre poteſt.

§. 8. Iſthæc in civitate *deficit* vel *ex mero ſtatu*, vel *ex delicto*. Prius contingit *duplici* modo; vel ut ſtatus ille in ſe naturaliter nihil turpe habeat; vel ut cum vitio, aut ſaltem ejus opinione ſit conjunctus. Illud contingit in quibusdam civitatibus, ubi ſervi nullo numero ſunt. Hoc circa lenones, meretrices,

&

& similes obtinet; qui quamdiu publice tolerantur in civitate, communi quidem defensione fruuntur, honestorum tamen hominum consortio excludendi. Quod idem contingit quibusdam circa fœda aut vilia, licet naturaliter non vitiosa occupatis.

Observ. 662.

Isthæc in Civitate) Amissio existimationis simplicis in civitate, evidentius sic repræsentari posse videtur: Amittitur illa vel ita, ut aliquis *ne quidem pro homine habeatur*, id quod accidit mancipiis, quæ loco existimationis, pretium habent, ac brutis comparantur certo tamen modo, de cætero illa privatio nullam involvit turpitudinem, sed commiserationem potius ejusmodi homines merentur, imo ablationem illam regulis socialitatis non convenire, *Observ. 538. n. 3. 4.* existimavimus, vel *ut honestorum hominum numero quis non censeatur*, id verò accidit vel *ob sordidum vitæ genus aut infelicem nativitatem*, ut in spuriis, excoriatoribus similibusque personis, qui defectus non male *levis notæ macula* dicitur, vel ob *delictum*, quod vel *toleratur*, ut delinquentes peculiarem quasi statum efficiant, ceu in quibusdam Civitatibus, circa lenones & meretrices contingit, vel *non toleratur*, ubi in specie, ob delictum, existimatio amitti dicitur.

§. 9. Ex delicto autem eadem plane deficit, quando quis juxta leges civiles ob certum

delictum *infamia* notatur; idque ut vel morte simul plectatur, & sic memoria ejus notetur, vel ut civitate expellatur, vel ut in civitate retineatur tanquam infame & putridum membrum.

Observ. 663.

Ex delicto autem) Amissio existimationis, quæ vel ob delictum, vel statum ex delicto ortum, accidit, *infamia* dicitur §. 9, *b.* De cætero vel notat *meram existimationis privationem*, quæ emendato vitæ genere cesset, vel *maculam positivam*, quæ vitæ emendatione elui nequeat. Illa vulgo dicitur *Infamia facti*, hæc *juris*, quæ usitatum quidem sed absurdum puniendi genus est, quatenus vivos afficit, cum delinquentes non emendet, sed ad bene agendum ineptos efficiat *add. d. c. 4. §. 6. 7.*

§. 10. Id autem manifestum est, existimationem simplicem, seu *naturalem honestatem non posse alicui eripi ex mero arbitrio* summorum imperantium. Cum id nullo modo ad utilitatem civitatis facere, adeoque in ipsos nullo modo collatum intelligi possit. Sicuti nec vera infamia videtur contrahi posse, dum quis jussa civitatis per modum nudi ministri exsequitur.

Observ. 664.

Id autem manifestum est) Ad veram igitur infamiam requiritur delictum, hinc sequitur (1) in-

infamem non fieri, qui injuriam inultam relinquit *d.c*. 4. §. 8. [2] Imperantem pro lubitu, existimationem simplicem subdito auferre non posse, non tantum quod illa potestas ei non sit concessa, ceu Autor *h*. præcipit *add.d. c.4.* §. 9. sed &, quod ei concedi non possit, nam sine scelere scelestum esse, contradictionem involvit, per tyrannidem tamen insons emolumentis externis existimationis simplicis privari potest.

Observ. 665.

Sicuti nec vera infamia) Sic etiam docetur *d. c.* 4. §. 10. sed verius est, quod minister turpe Imperantis mandatum exequens, omninò apud cordatas gentes infamiæ notam incurrat. Autoris sententia videtur ex falsa hypothesi, quasi executio plane ad executorem non pertineat, dependere, quam rejeci *Observ.* 630. 631.

§. 11. *Existimatio intensiva* est, secundum quam personæ, alias quoad existimationem simplicem æquales, sibi invicem præferuntur, prout uni præ altero insunt, queis aliorum animi ad exhibendum honorem permoveri solent. Est autem *honor* proprie significatio judicii nostri de alterius præstantia.

Observ. 666.

Existimatio intensiva est) Hæc definitio *d. c.* 4. §. 11. etiam relata, definitum non satis explicat, nam existimatio intensiva non semper facit homi-

nes inæquales, nec ejusmodi fundamenta præſupponit, quæ ad exhibendum honorem alios permovere, propriâ virtute, poſſint aut debeant. Ego arbitror duplicem exiſtimationem intenſivam eſſe aſſerendam, *abſolutam*, quæ inter homines, ſine ſocietatis civilis conſideratione, obtinet, & *hypotheticam*, quæ ſocietates civiles conſequitur, adeoque ex hypotheſi illarum introductarum, locum invenit. De utraque diſtincte agendum erit; Illa eſt *Valor ex præſtantiâ, legibus attemperatâ, ſeu ſublimiori virtutis exercitio, ortus.*

Obſerv. 667.

Eſt autem honor) Honor vel accipitur pro ipſa *exiſtimatione*, quo ſenſu eſt in honorato vel pro *exiſtimationis agnitione*, tum exiſtit in honorante. De cætero in eodem explicando non conſentiunt *vid. ſupr. l. 1. c.* 4. §. 6. Hobbeſ. *de civ. c.* 15. §. 9. breviter dici poteſt, *honorem* eſſe *utriusque exiſtimationis intenſivæ, abſolutæ & hypotheticæ, agnitionem.* Definitio Autoris, ad exiſtimationem abſolutam referenda eſt, nam in genere honor, alterius præſtantiam, non præſupponit *add. l. 8. c. 4.* §. 11. 13. Quodſi honor late ſpargatur, nomen *Gloriæ* aſſumit.

§. 12. Hæc exiſtimatio intenſiva conſiderari poteſt vel *inter eos, qui in naturali vivunt libertate*, vel *inter cives ejusdem reipublicæ*. Deinde expendenda ſunt ejusdem *fundamenta*, & quidem prout producunt vel *a-*

ptitu-

ptitudinem duntaxat ad honorem ab aliis expectandum, vel *jus stricte dictum*, quo idem ab aliis tanquam debitus postulari queat.

Observ. 668.

Hæc existimatio) Tota sequens doctrina, juxta distinctionem Existimationis modo datam, nobis interpolanda videtur. Quæ igitur hic Autor docet, ea sic mutanda esse censeo: Primo consideranda est existimatio *absoluta*, quæ à statu naturali & civili abstrahitur, in utroque tamen occurrere potest, deinde *hypothetica*, idque vel ratione status *naturalis* vel *civilis*.

Observ. 669.

Deinde expendenda sunt) Non recte fundamenta, ratione unius existimationis, conjunguntur, cum experientia doceat, sine illis conjunctim sumtis, sæpe hanc adesse, hinc potius dicendum, quod alia sint fundamenta Existimationis *absolutæ*, alia *hypotheticæ*, quæ adeò distincte considerari mereantur.

§. 13. *Fundamenta intensivæ existimationis* in genere censentur omnia illa, quæ insignem perfectionem & præstantiam habent, aut eandem judicantur arguere, & quidem talem, cujus effectus cum fine legis naturalis aut civitatum congruit. Uti sunt perspicacia mentis, & capacitas varias scientias & artes addiscendi, acre judicium in rebus gerendis, animus firmus, & per externa inconcussus,

illece-

illecebrisque ac terroribus ſuperior, eloquentia, forma & dexteritas corporis, bona fortunæ, & inprimis res egregie geſtæ.

Obſerv. 670.

Fundamenta intenſivæ] Hæc doctrina tantum ad Exiſtimationem abſolutam pertinet, Hujus ſcilicet fundamentum in genere, eſt *animi vel corporis præſtantia, legibus vel attemperata vel attemperanda.* Sola præſtantia, in ſe ſpectata, indifferens eſt, ſi malo fine adhibeatur, non laudem, ſed vituperium meretur *add. d. c. 4. §. 12.*

§. 14. Hæc tamen omnia non producunt *niſi jus imperfectum* ſeu aptitudinem ad habendum ab aliis honorem & venerationem. Unde ſi quis eundem aliis etiam bene meritis denegaverit, non injuriam facit, ſed duntaxat ob inhumanitatem & velut incivilitatem male audit. Sed *jus perfectum* ad habendum ab altero honorem, aut ejus inſignia, provenit vel ex imperio, quod quis in iſtum obtinet, vel ex pacto cum eodem ea ſuper re inito, vel ex lege per communem dominum lata aut approbata.

Obſerv. 671.

Hæc tamen omnia) Ex fundamentis antea laudatis, oritur quidem exiſtimatio intenſiva, ſed nulla præ aliis prærogativa aut præcedentia, quod tamen *b.* doceri videtur. Nam (1) alii ſimilia fundamenta opponere, atque ita æqualitatem

tem urgere possunt *vid. d. c. 4. §. 14.* (2) ea, quibus aliis præstamus, sæpe â nostra voluntate non dependent, aut si inde dependeant, alii quoque ea efficere possunt (3) vera virtus, quæ hujus existimationis unicum est fundamentum, infirmitatis humanæ semper est memor, humilitati studet, nec, ob lubricam ejusmodi præstantiam extolli cupit.

2. Nihil amplius igitur hæc Existimatio tribuit, quam jus ad *simplicem ejus agnitionem*, quæ honoris & gloriæ nomine, recte etiam venit, ceu *Observ.* 667. innui. Sive autem illud jus perfectum, sive imperfectum dicere velis, hactenus nihil refert, nam natura objecti coactionem aliquam excludit, ac omnis illa existimationis nostræ agnitio, debet esse voluntaria, ac ex sincero affectu proficisci, nam existimatio ex vera oritur virtute, quod hic supponimus, ergo non alium quoque quam verum honorem desiderat, hujus autem fundamentum cum sit affectus internus, quem dirigere non est penes alios, hinc liquet, coactionem aliaque ejus generis media eliciendo honori, non recte adhiberi.

3. Ex quibus etiam patet, homines vere virtuosos, de honore vel gloria consequenda, seorsim & specialiter non debere esse solicitos. Recte agendum est, si gloria sequatur, bene est, si non, defectum illum æquo animo ferrre oportet. Quod igitur *ingenia maxime vivida & erecta amore gloriæ duci*, â nonnullis existimen-

mentur *vid.* Op. Maj. *l. 2. c. 4.* §. 9. id eatenus admittendum videtur, quatenus iis multum ſtultitiæ & ſuperbiæ humanæ adhærere ſolet. Qui igitur laude propriâ emendicatisque vel coëmtis ſuffragiis, ut captata aura populari, ad gloriam contendunt, illi vel ſolido gloriandi fundamento deſtituuntur, vel in modo ambiendi, aliquid humani patiuntur.

Obſerv. 672.

Sed jus perfectum.) Hæc cum præcedentibus non recte conjunguntur, nova potius nunc incipit tractatio. Hactenus ſcilicet de Exiſtimatione *abſoluta*, quam etiam *Virtutis* vel *Ethicam*, non male dixeris, actum eſt, nunc de *Hypothetica*, quæ etiam *Civilis* vel *Politica* dici poteſt, videndum. Nimirum ex hypotheſi ſocietatum civilium introductarum, neceſſario aliqua inæqualitas inter homines fuit introducenda, hinc exorta eſt memorata exiſtimatio, quæ nihil aliud eſt, quam *valor ex imperio, conventione ſpeciali aut legis diſpoſitione ortus, juxta quem homines in converſatione vivili, quoad actus externos, equales aut inæqnales habentur.*

2. Debebat quidem exiſtimatio illa, per media indicata, juxta exiſtimationem virtutis, quantum fieri poteſt, i. e. probis & bene meritis vel mereri aptis (non optimis & maxime meritis, hoc enim factu eſt impoſſibile) tribui, ſed id adeò non obſervatur, ut ſæpe peſſimi, ac cordatorum judicio, infames homines ſummâ gaudeant

ant dignitate, hinc nimis simplex fuerit, siquis fundamenta, §.13. laudata, quoad Existimationem Politicam, ad quam tamen Autor vel unice, vel principaliter respexit, semper adesse, existimare velit.

§. 15. *Inter principes* autem & integros populos pro eminentia & *præcedentia* solet allegari potissimum antiquitas regni & familiæ, amplitudo & opulentia ditionum, & potentia; qualitas potestatis, qua quis imperium in suo regno obtinet; & splendor tituli. Quæ tamen omnia per se non pariunt jus perfectum ad præcedentiam adversus alios reges populosvé, nisi pacto aut concessione horum istud quæsitum fuerit.

Observ. 673.

Inter Principes autem) Inter Principes liberasque gentes Existimatio Politica, à conventione vel expressa vel tacita dependet. Ab hac si abieris, cætera omnia inania sunt, magnamque Gentium, â quibus illa allegantur, non retorquentur, superbiam & corruptionem arguunt §. *15. h. add. d. c.4.* §. *15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22.*

§. 16. *Inter cives* autem *gradus dignitatis designare summi imperantis* est; qui tamen heic recte cujusque præstantiam, & ad conferenda in rempublicam merita aptitudinem respicit. Quem autem iste civi dignitatis gradum

gradum assignaverit, eum recte hic contra concives suos tuetur: nec minus eodem ipse adquiescere debet.

Observ. 674.

Inter cives autem) In civitatibus existimatio oritur ab *imperio* vel pactitio vel naturali *vid. d. c. 4.* §. 15. 23. ut & quoad subditos *lege civili*, dum Imperans, vel dato munere, vel seorsim, dignitatem vel personalem vel transmissibilem, subditis tribuit, quod late Autor persequitur *d. c. 4. §. 23. seqq.* denique enim â *pacto*, nam subditos inter se de existimatione, quatenus est privati arbitrii, pacisci posse, indubium est.

Observ. 675.

Quem autem iste) Acquisitæ dignitati respondet *honor*, quem alii signis inter gentes receptis *vid. d. c. 4. §. 13.* exhibere tenentur, hinc dignitas ab aliorum contemtu recte vindicatur, ac exhibitio honoris, modo fastus absit, urgetur. Id inprimis observandum, existimationi politicæ, non respondere honorem sincerum, ex serio amoris & venerationis affectu profectum (qualem circa ethicam exegimus *Observ. 671.*) cum enim ipsa existimatio, virtute & meritis præcisè non nitatur, hinc satis est, si illa honore externo, coacto, frigido & tantum non mortuo excipiatur, quamobrem etiam de hujus generis honore litigari potest, id quod inprimis certamina Gentium, quibus sæpe


sæpe, de inani titulo vel ceremonia, & cujus præstatio, irrisionis magis quam honoris rationem habet, acriter contenditur ostendunt.

2. Quodsi de existimatione politica judicium ferendum sit, tum ex dictis quidem satis constat, quod â societatibus humanis illa penitus abesse non possit, circa eam tamen majores partes habere stultitiam & malitiam, quam probitatem & prudentiam, non minus certum videtur. Debebat illa hominibus *probis & cordatis*, per *legitima media* tribui, ac obtenta ad *utilitatem proximi* adhiberi. Sed quid notius est, quam quod illa, sine ulla meritorum aut probitatis consideratione, hominibus ineptis & improbis imo scelerum manifestis tribuatur? Dispensatio dignitatis, provido consilio haut peragitur, sed per largitiones ac imposturas, honores obtinentur. Denique, quod gravissimum est, acquisita dignitas non ad utilitatem proximi adhibetur, sed tota fere in vanitatem & injustitiam effunditur, jam enim superbia in immensum se inflat, ac in titulis, ceremoniis aliisque ejus generis inanibus commentis introducendis, nullum servat modum adeò ut ineptiarum illarum dudum aliqua exstiterit disciplina; Jam dignitas non alio fine introducta censetur, quam ut otio, luxui, gulæ & libidine servire, quicquid moderatum probumque est, velut indecens, aversari, ferociæ indulgere, alios proterve ac impune insultare propriæque libidini obnoxi-

os habere, ac horum omnium vanitatem & improbitatem, compendiario acquisitæ dignitatis titulo, deinde tegere queas, ut concludendum videatur, existimationem politicam esse maximam partem, injustæ tyrannidis foetum, ac graviter vulneratæ imo oppressæ socialitatis argumentum.

3. Quid ergo homini probo & prudenti in ista corruptione faciendum? Videtur ipsum necessitas excusare, si aliquando dignitatem, sine non adeò bono introductam, etiam mediis regulariter non probandis, ambiat, quatenus scilicet stationem suam alias vix tueri, ac animi dotes explicare ei licet. Dignitate verò obtentâ prudenter & juste utetur, procul omni vanitate fastu & malitia, imo, ex persona aliorum etiam ea, quæ levitatem vanitatemque redolent, tueri poterit & debebit, cum ei ista mutare integrum non sit. Sed quis heic accurate servabit modum, ac, malitiâ & stultitiâ triumphantibus, ab istâ labe sibi penitus cavebit.





CAPUT

CAPUT XV.

DE

POTESTATE SUMMI IMPERII IN BONA CIVITATE CONTENTA.

§. I.

Quemadmodum ubi bona abs summis imperantibus in cives profecta sunt, in istorum arbitrio est, quid hi in ea juris obtineant : ita in ea bona, quæ cives propria sibi industria, aut alio modo plene quæsiverunt, *triplex* potissimum *jus*, ex indole civitatum resultans, & ad harum finem necessarium, summis imperantibus competit.

Observ. 676.

Quemadmodum ubi bona) Potestas Imperantis vel respicit *bona subditorum* vel *ipsius civitatis*. Prior vel ex *dominio* vel *imperio* resultat. Nimirum si civitas omnium & singularum rerum dominium originariè habeat, eoque jure se non penitus abdicet, utut bona inter subditos distribuat, aut si subditi res suas, in quibus plenam habent proprietatem, Civitati & Imperanti ultro offerant, ab iisque certo modo e-

as iterum recipiant, tum manifestum est, quod jus civitati & Imperanti, in bonis subditorum, competens, ex dominio fluat. Quicquid igitur juris vel illis, vel his adscribendum sit, id omne ex concessionis modo judicandum, nam poterit Civitas dominium illibatum sibi retinere, ac in subditos nihil nisi precariam possessionem, cum jure percipiendi alimenta, transferre, vel etiam dominium partiri, ac subditis utile concedere *vid. l. 8. c. 5. §. 1.*

2. De cætero tale civitatis dominium regulariter negandum est, finis enim Rerumpublicarum id non exigit, imo parum utilitatis, illud habet *vid. d. c. 5. §. 1. in fin.* hinc temere constitutum censeri non potest. Specialius hoc ita probari potest, cum incerta sint civitatum initia, hoc tamen probabile videtur, dominia privata imperio civili esse antiquiora, quodsi adeo eos, qui civitatem constituerunt, dominio rerum suarum jam instructos supponas, nulla apparet ratio, quare illud in civitatem & Imperantem eos transtulisse, existimare debeamus, si vero ponamus casum rariorem, quo multitudo certum terræ tractum occupaverit, adeoque dominium prius penes civitatem, quam singulos fuerit, verisimile tamen est, bona in hos ita esse descripta, ut â Civitate amplius dependere, quoad dominium rerum possessarum, illi non debeant. Ex quo illud etiam consequitur, proprietatem penes privatos esse illibatam, libet quis per vim imperium

perium acquirat, nam ad hoc acquisitio merito restringitur. Juxta hæc igitur non opus est, ut de casibus, quibus dominium penes subditos sit, valde simus solliciti *vid. d. c. 5.* §. 2. cum hoc potius tamdiu præsumendum sit, donec probetur contrarium, id quod non nisi in ignavæ indolis nationibus, & quæ dominatum facilè pati queant, accidere arbitrer.

Observ. 677.

Ita in ea bona) Regulariter igitur Imperantis jus in bona privatorum, tantum ex *imperio civili* debet repeti, cujus tres partes, à diverso fine, non male asseruntur. De cætero ejus vis meritò, quoad omnes, qui in Republica reperiuntur, tamdiu asseritur, donec restrictio, ac nonnullorum exemtio, doceatur.

§. 2. Primum jus in eo consistit, ut civibus isti possint *leges præscribere* circa usum eorundem ad utilitatem civitatis attemperandum, aut circa modum, qualitatemque possessionum, uti & rationem transferendorum in alios bonorum, & quæ sunt ejus generis alia.

Observ. 678.

Primum jus] Primo imperium civile *usum bonorum privatorum moderatur*, ex quo varia fluunt (1) aliquando *legibus sumtuariis subditos ad parsimoniam, frugalitatem & laborem revocat*, sed utplurimum illarum legum est exigua vis, dum exempla contraria luxum sustinent, ac ex hoc lucrum capitur (2) *res corrumpi vetat*,

 interest

intereſt enim Reipublicæ, ne quis re ſua male utatur (3) *ſubditis occaſionem lucrandi ſuppeditat*, inſtitutis commerciis vel artibus mechanicis (4) *modum adminiſtrandi res ſuas iis præſcribit*, dum rationem acquirendi, conſervandi & alienandi bona determinat (5) *bona Reipublicæ ſubtrahi prohibet*, ex quo capite noxia commercia, divitias civitatis ad exteros transferentia, ut & ſuperſtitioſas donationes impedit (6) *abuſus inveteratos tollit*, unde fluit Secularisatio bonorum, à Clero callidè Civitati ſubtractorum, & ſi quæ alia ejus generis adhuc ſunt *add. l.* 8. *c.* 5. §. 3.

§. 3. Alterum jus in hoc conſiſtit, ut poſſit particulam aliquam de ipſorum bonis *tributi* aut *vectigalis* nomine decerpere. Cum enim civium vita & fortunæ per civitatem ſint defendendæ, oportet, ut hi conferant, unde ſumtus ad eum finem neceſſarii tolerentur. Sic ut valde impudens ſit, qui defenſione quidem & commoditate civitatis frui vult, & tamen nihil operæ aut rei ad eandem ſervandam conferre. Etſi heic merito prudentes ſeſe rectores ad querulum vulgi ingenium attemperent, & ut quam minimo cum ſenſu iſta corrogari queant, laborent; inprimis æqualitatem obſervando, & modica potius, ac varia, quam grandia ac uniformia exigendo.

Obſerv.

Observ. 679.

Alterum jus) Postea imperium Civile ex *bonis subditorum perpetuorum vel temporariorum, patrimonium publicum colligere potest*, quod non tantum fit per tributa & vectigalia, ut Autor *h.* docet, sed alia media, nempe si in pœnam bona confiscentur, ut caduca patrimonio publico subjiciantur, vel de emigrantium bonis aliqua portio detrahatur, quamvis illa omnia, tributi generalius accepti, nomine comprehendi queant, De cætero Imperans in exigendis oneribus publicis, prudenter & juste versari, ac exacta ad Civitatis utilitatem adhiberi debet, si secus faciat illosque limites transsiliat, tum non legitimum imperium exercet, sed animi libidini indulget ac subditos bonis spoliat. *add. d.c.5.* §. *4.5.6.*

§. 4. Tertium jus est *dominium eminens*, quod in eo consistit, ut urgente reip. necessitate bona subditi cujuspiam, quibus præsens tempus maxime opus habet, ad usus publicos arripi & adplicari queant; licet ista longe superent ratam partem, quam is ad sumtus reip. conferre tenebatur. Ob quam tamen rationem isti civi, quod excedit, de publico aut ex collatione cæterorum civium, quantum ejus fieri potest, refundi debet.

Observ. 680.

Tertium jus est] Tandem imperio civili jus est, *ob utilitatem Reipublicæ, omnia bona vel eximiam eorum*

rum partem, subditis auferendi add. d. c. 5. §. 7. de cujus justitiâ uti positis requisitis dubitandum non est, ita ea scrupulosè observari, in tanto imperii civilis abusu, quis credat?

§. 5. Præter hæc tria jura in multis civitatibus dantur peculiaria *bona publica*, quæ patrimonium reip. aut regni solent appellari. Quod alicubi iterum distinguitur in *patrimonium principatus*, & *reipublicæ*, seu in fiscum, & ærarium. Quorum prius destinatum est ad sustentationem regis, ejusque familiæ: posterius ad publicas utilitates regni. Circa prius rex habet usumfructum, & de fructibus inde provenientibus pro suo arbitrio disponere potest. Circa posterius autem administratoris munus obit, idemque usibus, quibus destinatum est, adplicare debet. Neutrum nisi consensu populi alienare potest.

Observ. 681.

Præter hæc tria jura) Circa bona publica, Civitati non tantum competit *imperium*, cujus vi varia circa illa disponit, sed & *dominium proprie sic dictum*. De cætero omnes res, quæ in civitatis districtu reperiuntur, & dominum privatum non habent, nec constanti consuetudine, pro rebus nullius habentur, originariè ad civitatem pertinere censendæ sunt, de quo in hypothesi, non nihil explicatius egi *in* Specim. Jur. Publ. *l. 3. c. 3.* quæ ad thesin facile referri possunt.

Observ.

Observ. 682.

Quod alicubi iterum) Bonorum publicorum dominium, in privatos aliquando devenire patitur Civitas, idque vel simpliciter, vel reservato aliquo emolumento. Quædam verò in suo statu perdurant, quorum usus uti in genere ad Civitatis utilitatem, eo modo, quem rei cujusvis indoles admittit, referri debet, ita eum nonnunquam leges fundamentales specialius determinant, quod Autor *h.* indicat, ac Imperantis circa bona illa potestatem rectè declarat *add. d. c. 5. §. 8. 11.* Ab illis autem bonis differunt *res Principis patrimoniales*, in quibus, ad exemplum privatorum, dominium vel alia jura Idem habet.

§. 6. Multo minus autem, qui regnum non habet in patrimonio, totum regnum, aut ejus partem *alienare* potest, nisi accedat consensus populi, & posteriore casu etiam peculiariter consensus partis alienandæ. Sicuti nec vice versâ membrum aliquod à civitate invita sese abrumpere potest, nisi per vim externorum hostium in eam sit redactum conditionem, ut aliter nullo modo salvum esse queat.

Observ. 683.

Multo minus) Hæc rectè quidem dicuntur *add. d. c. 5. §. 9. 10.* sed præter scopum, nam hactenus de *rebus publicis* earumque *dominio* quæstio fuit, hic autem sermo instituitur de *jure imperandi personis*, eique respondente *subjectione*, de cæ-

tero verum eſt, quod ſicut ſubditi imperio ſe ſubtrahere non debent, ita vice verſa Imperans proprio tantum conſenſu, illud in alios regulariter transferre nequeat *vid. Obſerv. 602.*

CAPUT XVI.

DE BELLO ET PACE.

§ I.

Quanquam id legi naturali maxime ſit conveniens, ut homines pacem invicem agitent, ultro ea præſtando, quæ debebant; imo pax ipſa ſit ſtatus homini, quatenus à brutis diſtinguitur, peculiaris: aliquando tamen ipſi quoque homini bellum ſit licitum, & quandoque neceſſarium, quando nempe per alterius malitiam noſtra ſervare, aut jure noſtro potiri citra vim adhibitam nequimus. In quo ipſo tamen prudentia, & humanitas ſuadet, ut ne ad arma eamus, ubi ex injuriarum noſtrarum perſecutione plus mali in nos noſtrosque quam boni ſit redundaturum.

Obſerv. 684.

Quanquam id legi) Occaſionem juris belli & pacis, quod ad partes Imperii civilis etiam pertinet, generalis iterum de bello & Pace inſtituitur

tur tractatio, quanquam alio loco concinnius de hac re agi poterat. Pax est *status hominum, inter se neque litigantium, neque litigandi propositum habentium*, seu breviter est *status mutuæ socialitatis.* Bellum autem latiori sensu est *status eorum, qui jurium causa, actu vel proposito litigant*, excluditur igitur certamen brutorum, & pugna, exercitii vel quæstus caus: instituta. Frequentius tamen in bello concipiendo, ad litigantium numerum, litigandi modum respicimus, ut strictiori magisque usitato sensu, sit *status insignis hominum multitudinis, per vim vel apertam vel obliquam, propter jus controversum, certantis, aut, omissa, etiam ex pacto, ad tempus hostilitate, propositum certandi retinentis.* Excluduntur itaque tum litigia verbalia, tum duella *add.* Grot. *de J. B. P. l. 1. c. 1.* §. 2. Esse de cætero Pacem, statum hominis naturalem, bellum vero, præternaturalem & extraordinarium, quicquid contra ineptiat Hobbesius, ex genuinis principiis facile liquet.

Observ. 685.

Imo pax ipsa) Sic etiam docetur *l. 8. c. 6.* §. 2. sed doctrina non satis liquida est, nam potius pax & bellum hominibus sunt propria, cum ratione dirigantur, inter bruta autem, quicquid ejus generis occurrit, à solo instinctu dependeat.

Observ. 686.

Aliquando tamen) Ex intentione Dei absoluta bellum semper inter homines cessare debet, sed

ex

ex hypothesi malitiæ humanæ, socialitatem ultrò abrumpentis, illud licitum imò aliquando necessarium est, nimiam tamen festinationem, & socialitas & sæpe prudentia dissuadent *add. d.c. 6.* §.2. Grot. *de J. B. P. l.* 2. *c.* 24. Illud autem rectè computantibus facile apparebit, â Monarchiis pleraque bella oriri.

§. 2. *Justa causa*, ob quas bellum suscipi posit, huc redeunt, ut nos & nostra servemus ac tueamur contra injustam aliorum invasionem, aut ut, quæ nobis debita ab aliis exhiberi renuuntur, asseramus, aut injuriæ jam illatæ reparationem & cautionem in posterum obtineamus. Ob priorem causam quod geritur *bellum defensivum*: quod ob posteriores *offensivum* dicitur.

Observ. 687.

Justæ causa ob quas (Bellum justum præsupponit injustam offensionẽ, adeoq; semper *defensivum* est, quia tamen offensio illa aliquando *violenta* est, aliquando *simplex*, hinc bellum, quod illi opponitur, in specie *defensivum*, quod huic, *offensivum*, cum Autore dicere licebit *add. d. c. 6.* §. 3.

§. 3. Neque tamen confestim, ubi quis sese læsum arbitratur, ad arma est decurrendum, inprimis ubi adhuc dubii aliquid circa jus aut factum occurrit; sed tentandum, num *amica via* res possit componi; puta, colloquio inter partes instituto, provocatione ad arbi-

arbitros facta, aut re sorti commissa. Præcipue autem hæc via tentanda illi, qui petit; quippe cum possessionem cum aliquo titulo favor utique comitetur.

Observ. 688.

Neque tamen confestim) Socialitatem prohibere, ne statim in bellum ruamus, satis certum est *add. d. c. 6. §. 4.* Uti tamen exinde solennium indictionum necessitas non sequitur, ita, si adversarii ambitio improbitasque satis manifesta sit, non consultum fuerit, mollioribus remediis, alteri ludibrium saltem debituris, tempus frustra terere.

§. 4. *Injustæ* porro bellorum *causæ* vel *aperte* tales sunt vel *colorem* aliquem licet dilutum admittunt. Illæ ad duo potissimum capita referuntur, avaritiam & ambitionem, seu habendi, & dominandi libidinem. Hæ variæ sunt; puta, metus ex opibus & potentia vicini utilitas jure destituta, amor sedes meliores parandi, denegatio eorum, quæ ex simplici aliqua virtute debebantur, stoliditas possessoris, cupido extinguendi jus alterius legitime quæsitum, quod nobis paulo molestius videtur; & similia.

Observ. 689.

Injustæ porro bellorum causæ) Injustas bellorum causas, earumque colores recte satis Autor explicat, nisi quod *denegatio eorum, quæ ex simplici*

plici aliqua virtute debentur, aliquando justa belli causa esse queat *add. d. c.* 6. §. 5. præterea Gentibus bellicosis non desunt prætextus plausibiliores, quibus injustitia belli involvi possit. Ex his ergo liquet, quod bellum ratione *causæ*, sit vel *justum*, quod injustam offensionem præsupponit, nec favore belli defensivi excidit, licet vim inferat, vel *injustum*, quod sine causa alios lædit, nec defensivi jure utitur, licet vim illatam repellat. Præterea bellum ratione *modi gerendi*, justum vel injustum esse potest, quo sensu raro, omni ex parte bellum justum reperies.

§. 5. Etsi autem *modus agendi in bello* maxime proprius sit vis & terror: non minus tamen adversus hostem fraude ac dolo uti licet, modo fides data non lædatur. Inde hostem licet decipere sermone assertivo, seu per fictas narrationes: nequaquam autem per promissa aut pacta.

Observ. 690.

Etsi autem modus agendi) Posita justa belli causa, dubitandum non est, quin quavis ratione hosti nocere liceat, in specie adeo id fieri potest per sermonem, modo status belli revera adhuc duret, quodsi vero hostilitas expresso vel tacito pacto sublata sit, tum sicut aliis actionibus, ita etiam sermone, hosti damnum inferre, nefas erit *add. d. c. 6.* §. *5. l. 8. c. 11.* §. *5.* Grot. *l. 3. c.* 1. §. *18.* quemadmodum etiam de hoste quà tali, fal-

sa

sa crimina spargere, illicitum putatur *vid. l. 4. c. 1. §. 19.* quod tamen non simpliciter admittendum.

§. 6. Circa vim, quæ in bello adhibetur adversus hostem ejusque res, distinguendum est inter id, *quod hostis sine injuria pati potest, & quod ipsi salva humanitate nos inferre possumus.* Qui enim hostem sese mihi declaravit, cum in hoc ipso sit professio extrema mala mihi intentandi, eo ipso quoque quantum in se mihi indulget facultatem adversus se in infinitum. Humanitas tamen jubet, ut quantum armorum impetus patitur, non plus mali hosti inferamus, quam defensio aut juris nostri vindicatio, & in posterum securitas requirit.

Observ. 691.

Circa vim quæ) Recte ait Autor *h. & d. l. 8. c. 6. §. 7.* quod læsio bellica in infinitum extendi queat, habet enim hostis illimitatum nocendi propositum, ac propter ejus resistentiam, bellator justus, mala inferenda non perinde dirigere potest ac judex mala pœnalia temperare potest & debet *vid. Observ. 641. n. 6.*

Observ. 692.

Humanitas tamen jubet) Quando autem vires injusti adversarii ita sunt fractæ, ut bellator justus mala imponenda dirigere fere possit, tum leges socialitatis, processum erga delinquentes observandum, hic quoque præcipiunt, hinc

eatenus

eatenus lædi potest, quatenus damnum reparandum, impensæ repetendæ, cautio exigenda, aut etiam delinquentis malitia coercenda & expellenda *add. Observ. 124. 125. 126.*

§. 7. Solet bellum dividi in *solenne* & *minus solenne*. Ad illud requiritur, tum ut geratur autore utrinque eo, qui summum habet imperium, tum ut præcesserit indictio. Minus solenne est, quod denunciatum non est, aut quod in privatos geritur. Quo etiam pertinent bella civilia.

Observ. 693.

Solet bellum dividi) Divisio hæc est ex jure Gentium i. e. ex nuda Gentium consuetudine, quæ bello justitiam neque conciliat, neque aufert, hinc exigui momenti censeri debet *add. d. c. 6. §. 9.* Grot. *l. 3. c. 3.* sed ita agunt homines: quo magis actiones eorum corruptæ & improbæ esse solent, eo magis de externo colore & splendore sunt solliciti!

§. 8. *Jus bellum movendi* in civitate uti est penes eum, qui summum habet imperium: ita istud usurpare citra delegatam ab illo facultatem supra mensuram magistratus est, etiam ubi hic conjicit, summæ potestati, si consuleretur, placiturum heic & nunc bellum geri. Etsi omnibus, qui alicui provinciæ aut loco munito, cum copiis militaribus præficiuntur, ex fine muneris sui id quoque injunctum intelli-

telligatur, ingruentem hostem quovis modo à locis sibi commissis repellere: ut tamen non temere bellum in ditionem hostilem transferant.

Observ. 694.

Jus bellum movendi) In statu naturali quivis se defendere potest, & eo sensu unicuique jus belli gerendi competit *vid.* Grot. *l.1. c.3. §.1.2.3.* Constitutis vero civitatibus, ad has earumque Capita, illud jus translatum est, hinc Magistratui qua tali potestas illa non competit, nisi in quantum ei fuerit delegata. Multo minus privatis eadem tribui potest, nisi in casu necessitatis, aut ubi per intestinas calamitates in illum statum deducta est Civitas, ut auxilium impertiri nequeat *vid. d. c.6. §. 8.10.11.* Id autem facile liquet, Imperantibus jus belli non aliter competere, quam quatenus leges socialitatis, ac statuta Civitatibus propria permittunt, quas restrictiones si Imperantes ambitiosi & turbulenti observarent, dubio procul pauciora inter homines forent bella.

§. 9. Cœterum uti qui in naturali libertate vivit, ob injurias tantum abs se patratas bello potest peti: ita in civitate sæpe bello *invaditur rector civitatis*, aut *tota civitas*, etsi iste autor injuriæ non fuerit. Sed ut recte hoc fiat, necessum est, ut injuria ista aliquo modo in illum transierit. Ac rectores quidem civitatum ex injuriis per antiquos cives,

aut qui recens ad eos confugiunt, patratis participant, si *passi* fuerint eas patrari, aut si *receptum* præstent. Ut patientia sit culpabilis, requiritur, ut quis & sciat delinqui, & possit prohibere. Sciri autem à rectore civitatis præsumuntur, quæ à civibus aperte & frequenter fiunt. Facultas prohibendi semper præsumitur, nisi ejus defectus manifeste probetur. Ut tamen, qui noxium ad se confugientem pœnæ duntaxat declinandæ causa recipit & protegit, bello peti possit, id magis ex peculiari pacto inter vicinos & socios, quam communi aliqua obligatione provenit; nisi iste profugus apud nos hostilia in eam civitatem, quam deseruit, machinetur.

Observ. 695.

Cæterum uti qui) Bellum geritur contra eos, qui nos lædunt, vel qui lædentibus antecedenter vel consequenter accedunt, quod qua ratione fiat, hic satis exponitur *add. d. c. 6. §. 12.* Grot. *l. 2. c. 21. §. 2.* Cæterum, ut ob injurias privatas, Civitas aliqua bello sit invadenda, id rarius contigerit, Civitas enim imbellis bellum non expectabit, sed satisfactionem offeret, contra potentem vero infelici successu id suscipietur, adeoque ejus omissionem prudentiæ dictamina facilè persuadebunt.

Observ. 696.

Ut tamen qui noxium) Verius est quod Civitas, etiam

iam sine pacto prævio, ad receptum dedendum obligetur, modo is verum delictum commiserit, & videtur Autor ex falsa hypothesi, quasi delinquens ad pœnam non obligetur, in oppositam sententiam devenisse, sed licet absolutè ad pœnam delinquens non teneatur, hactenus tamen omnino tenetur, ut quicquid Imperans, juxta leges socialitatis in ipsum decreverit, sine injuriâ ei queat imponi, ex quo jus persequendi, eique respondens dedendi necessitas etiam resultat *vid.* Grot. *l. 2. c. 21. §. 4. add. Observ. 640.*

§. 10. Sed & illud inter gentes receptum, ut pro debito civitatis proprio, aut quod justitiam requisitam non administrando in se derivavit, singulorum civium bona teneantur hactenus, ut extranei, quibus debetur, istis apud se deprehensis manus injicere queant: ita tamen ut civibus, quibus hoc modo sua eripiuntur, refusio sit procuranda ab illis, qui debitum contraxerunt. Quales exsecutiones solent vocari *repressaliæ*, quæ frequenter sunt bellorum præludia.

Observ. 697.

Sed & illud inter gentes) Licitum quoque est contra lædentes *repressaliis* uti, quarum indolem satis exprimit Autor *h. add. d. c. 6. §. 13.* & differunt illæ ab *arrestis*, quæ ipsum debitorem ejusque bona afficiunt, ut & *talione*, qua incom-

modum, quo quis alterum affecit vel afficere parat, in autorem retunditur. De cætero non est, cur repressalias ex jure Gentium voluntario, cum Grotio *l.3.c.2.§.2.* repetamus, tum ob consensum subditorum, ex ipsa Civitatis constitutione colligendum, naturaliter facultas exercendi eas competat, modo justa causa, à parte iis utentium, subsit, id quod cum cæteris capitibus, jam tetigi in Specim. Jur. public. *l.3.c.4.§.65.seqq.*

§. II. Bellum gerere potest non solum *quilibet pro se*, sed & unus *pro altero*. Quod tamen ut recte fiat, requiritur in eo, pro quo bellum geritur, justa causa; in auxiliatore autem probabilis ratio, cujus intuitu pro isto in alium hostilia exercere queat. Inter eos autem, pro quibus non solum possumus, sed & debemus arma sumere, primo loco sunt subditi nostri non universi solum, sed & singuli; modo ex hocce civitas non evidenter majoribus malis sit involvenda. Sequuntur socii, in quorum fœdere id comprehensum est. Qui tamen non modo civibus nostris cedunt, ubi ipsi eodem tempore auxilio opus habent, sed & apud eosdem justa belli causa, & aliqua prudentia in bello suscipiendo præsupponitur. Hos excipiunt amici, etsi peculiariter id ipsis non sit promissum. Deniq; ubi nulla alia ratio est, vel sola communis cognatio sufficere

re

re poteſt, ut injuſte oppreſſum, noſtra auxilia implorantem, quantum commode facere poſſumus, defenſum eamus.

Obſerv. 698.

Bellum gerere poteſt) Bellum gerere poſſumus pro nobis & aliis nempe ſubditis, ſociis, amicis aliisque innocentibus, quibus ſcilicet vel ex pacto, vel ſimplici aut arctiori quadam humanitate ſumus obſtricti, ceu Autor *h.* deducit *add. d. c. 6. §. 14.* Recte etiam bellum pro ſubditis alienis, à proprio Imperante, iniquâ tyrannide oppreſſis, ſuſcipitur, quamvis Ei, qui tale bellum eſt ſuſcepturus, probe antea circumſpiciendum ſit, quid domi agatur, ne gentibus ludibrium debeat, dum in aliis vindicare vult, cujus ipſe reus eſt.

§. 12. *Licentia in bello* eousque ſe extendit, ut quamvis quis cædes patrando aut res vaſtando atque eripiendo, ultra quam humanitas admiſerit, ſit graſſatus: gentium tamen opinione pro infami, & quem honeſti viri averſari debeant, non habeatur. Niſi quod cultiores gentes modos quosdam nocendi hoſtibus viles habent; puta, veneno uti, aut alterius cives militesque in dominorum cædem corrumpere.

Obſerv. 699.

Licentia in bello) Hanc in infinitum, etiam jure naturali, recte extendi, contra hoſtem reſiſtentem ac illimitatum nocendi propoſitum ha-

bentem, jam diximus *Obſerv. 691.* quodſi autem vires injuſti hoſtis fractæ ſint, tum ei parci jubet humanitas, quemadmodum inſontibus vim fieri ſemper vetat, ſed jus Gentium, i.e. conſuetudo gentium bellicoſarum ac ferocium, nullos lædendi limites, etiam hoc reſpectu, agnoſcit *add. d. c. 6. §. 16.* Grot. *l. 3. c. 4. ſeqq.*

Obſerv. 700.

Niſi quod cultiores gentes) Omiſſio certorum nocendi modorum non tam â cultura Gentium, quam rationibus utilitatis, aut quod modi illi adhiberi omninò nequeant, dependere videtur, nam utut dentur arma venenata, attamen etiam fontes, paſcua & ſimilia venenari poſſe, id forte plus rumoris vulgaris, quam veritatis habet.

Obſerv. 701.

Aut alterius cives) Specialis quæſtio eſt, *an liceat hoſtem injuſtum immiſſis percuſſoribus conficere?* Grotius diſtinguit, *utrum percuſſores* v. gr. milites noſtri, *hoſti peculiariter obſtricti non ſint*, an vero *peculiari fide ei teneantur*, ut ſunt ipſius domeſtici, illorum operâ nos ſimpliciter uti poſſe hos vero ſollicitare aut impellere illicitum *l. 3. c. 4. §. 18.* miniſterium autem ſponte oblatum admittere, non injuſtum eſſe exiſtimans. Autor domeſticis etiam percuſſoribus uti, vile quidem *h.* ſed non injuſtum eſſe putat *d. c. 6. §. 18.* rationes tamen ſententiæ contrariæ non ſatis elidit. Forte dicendum, per-

percussorem domesticum, domino suo, intuitu hostis justi, quis jus occidendi habet, quod hic supponitur, non obstringi, adeoque eum hactenus nec perfidum esse, nec perfidiam in hostem derivari.

§. 13. *Res* mobiles in bello tunc demum *captæ* intelliguntur, quando persecutionem hostilem effugerunt: immobiles autem, quando ita à nobis detinentur, ut hostem inde arcendi sit facultas. Etsi ut priores domini jus ad eas res recuperandas plane extinguatur, necessum sit, ut per subsequens pactum omni prætensioni renunciaverit. Alias enim vi partum vi licebit iterum eripere. Cæterum uti milites autoritate civitatis belligerant: ita quæ ipsi hostibus eripiunt, proprie civitati, non sibi adquirunt. Etsi passim receptum, ut mobilia, præsertim, quæ non sunt magni pretii, militibus, qui ceperunt, relinquantur per conniventiam, aut præmii, vel quandoque stipendii loco; aut ut alliciantur, qui citra necessitatem sanguinem suum locare velint. Quando autem res captæ iterum hosti eripiuntur, immobiles quidem ad antiquos dominos redeunt; nec minus mobiles debebant; etsi apud plerosque populos & hæ militibus in prædam concedantur.

Observ. 702.

Res mobiles in bello) Circa acquisitionem bellicam hæc fere consideranda (1) *quid acquiratur?* juxta jus naturale, debitum, quod tamen non tantum ex jure principali, sed & accessorio æstimandum esse, facile liquet, hinc contra hostem resistentem, in infinitum occupatio bellica, etiam naturaliter, extendi potest, sed viribus ejus fractis, tantum saltem recte aufertur, quantum reparando damno & cautioni futuræ requiritur. Sed jure Gentium nec justitia belli attenditur, nec occupationis ulli sunt limites *vid. d. c. 6.* §. *20.* de quo etiam dixi *in* Observat: ad Lauterbach. *Observ.* 1433. 1436. (2) *quæ res acquirantur?* mobiles & immobiles, ut & incorporales seu jura, ut vulgo censent, quod tamen varie temperat Autor *d. c.* 6. §. 22. sed sollicitudo illa videtur esse supervacanea, cum hoc unice spectandum sit, an hostis etiam objectum juris v. gr. rem debitam, in sua habeat potestate, nec ne, nam uti illo casu, nullà juris ratione, rem detentam sibi auferri patietur, ita hòc, ex prætensa quadam juris occupatione, illam ei ultro concedere, nimis simplex fuerit, juxta quæ adeò occupatio rerum incorporalium plane non occurrit *add.* Observ. ad Lauterb. *Observ. 1438.* (3) *quo modo fiat acquisitio?* per actualem occupationem, nam omnis acquisitio bellica, inprimis quæ ex bello injusto oritur, merà vi nititur, adeoque nihil acquisitum cen-

censeri debet, nisi quod hostis in sua habet potestate; Neque quoad ipsos hostes, inter se spectatos, ad acquisitionem requirendum est, ut res occupata per aliquod tempus apud hostem sit, aut ut bellum gerentes, justæ Gentis classe censeantur, quanquam illa attendi solent, quando de jure postliminii, intuitu dominorum privatorum, quæritur, de quo nonnihil explicatius egi in Obs. ad Laut. *Observ.* 1431. 1435 1439. 1440. 1441.

Observ. 703.

Etsi ut prioris domini) Amplius (4) *Quousque duret acquisitio?* Quamdiu vis urget, nisi conventio accesserit. *b.* Ex eo autem consequitur, quod, si Victor victi debitores liberaverit per acceptilationem, Victus, libertati suæ restitutus, debita nihilominus exigere queat, nisi conventione jus suum remiserit, nam quo jure victor debitoribus debita remittit, eodem Victus remissionem non servat, quo pertinet controversia inter Thebanos & Thessalos quondam agitata, circa quam Autor quidem *d. l. 8. c. 6. §. 23.* pro his pronunciandum esse censet, sed illorum partes defendi in Obs. ad Lauterb. *Observ.* 1438. *n.* 2.

Observ. 704.

Caterum uti milites) Ulterius (5) *quis jus occupandi habeat?* Summi Imperantes eorumque milites, *vid.* Observ. ad Lauterb. *Observ. 1432. 1434.* (6) *cui res acquirantur?* Ei, cujus auspiciis bellum geritur, qui tamen militibus res mobiles con-

cedere solet, imo sæpe debet *h. add. d. c. 6. §. 21. add.* Observ. ad Lauterbach. *Observ. 1445. Observ. 705.*

Quando autem res captæ) Porro (7) *quis occupationis sit effectus?* Personæ captæ fiunt servi hostium, si hi rigore belli uti velint, ac res, eorum dominio subjiciuntur *vid.* Observ. ad Lauterb. *Observ.* 1442. 1443. 1444. Denique (8) *quando acquisitio desinat?* si personæ vel moriantur, quo casu apud Romanos obtinebat fictio Legis Corneliæ, cujus inconcinnitatem in *d.* Observ. ad Lauterb. *Observ.* 1445. ostendi; vel ipsæ, aut res, hostis custodiam evadant, nam tum postliminio redire dicuntur. Consideratur autem postliminium vel inter *ipsas gentes belligerantes*, quo sensu omnes res, simulac hosti auferendi iterum ereptæ sunt, postliminium habent, vel quoad *dominos privatos antiquos*, horum intuitu non omnes res postliminio redeunt, seu ipsis non indistincte restituuntur, de quo fusius egi in *d.* Observat. ad Lauterb. *Obs.* 1446. *seqq. conf.* Autor *d. l. 8. c. 6. §. 25. 26.*

§. 14. Solet denique *bello adquiri* etiam *imperium* tam in singulos, quam in integros populos victos. Quod tamen ut fiat legitimum, & conscientias subjectorum stringat, necessum est, ut victi victoribus fidem dederint, & hi hostilem statum, animumque adversus illos exuerint.

Observ.

Observ. 706.

Solet denique bello) Imperium quoque bello acquiritur, de quo Grotius *l. 3 c.* 8. pluribus agit. An autem violenta illa acquisitio sit titulus legitimus, tum, quando injusti invasoris imperium reddatur legitimum, denique quid subditis, invasore rerum potiente legitimoque imperante exulante, sit faciendum, de eo supra *Observ.* 605. actum est.

§. 15. Suspenduntur actus bellici per *inducias*, quæ sunt conventio, per quam ad tempus, manente belli statu ac lite, ex qua bellum fuit ortum, bellicis actibus offensivis est abstinendum; quibus elapsis, ni interea pax coiverit, citra novam indictionem ad hostilitatem reditur.

Observ. 707.

Suspenduntur actus bellici per inducias) Hæ accipiuntur vel pro *statu pacifico*, quod denominatio germanica evidenter innuit, vel pro *conventione*, qua ille status producitur, quo sensu Autor eas definit *h.* earumque valorem amplius ostendit *l. 8. c.* 7. §. *1. 2. 3. add.* Grot. *l. 3. c. 21.* §. *1. 2.*

Observ. 708.

Quibus elapsis) Hoc ex natura conventionis temporariæ ultro sequitur, eo facilius autem quis concesserit, nova indictione hic opus non esse, quo minus illa in genere est necessaria, cum probabile sit, omnem illum indictionum apparatum,

ratum, â Gentibus bellicosis, palliandæ ambitioni & avaritiæ, esse adinventum, licet aliud videatur Grotio *d. l. §. 3.* & Autori *d. c. 7. § 6.*

§. 16. Possunt autem *induciæ dividi* in eas, quæ ineuntur subsistentibus in expeditione exercitibus, retentoque utrinque bellico adparatu; quæ ad modicum fere tempus sumuntur: & inter eas, quibus adparatus bellicus utrinque dissolvitur. Hæ in satis longum tempus iniri possunt & solent, & plenæ pacis faciem gerunt, ac aliquando etiam pacis vocabulo insigniuntur cum adjectione certi temporis. Nam alias regulariter omnis pax æterna est, seu in perpetuum extinguit controversias, ob quas bellum conflatum erat. Quæ autem solent vocari induciæ tacitæ, nullam continent obligationem, sed partes ibi pro lubitu utrinque quiescunt, & ad actus bellicos, quandocunque placitum fuerit, procurrere iterum possunt.

Observ. 709.

Possunt autem induciæ) In genere sic dicendum: induciæ sunt vel *veræ*, quæ conventionem præsupponunt, eæque vel breviores vel longiores, vel *apparentes* seu *impropriæ*, quas fessi hostes sine conventione nonnunquam sibi mutuo indulgent. *add.* Autor *d. c. 7. §. 7.* Pertinent igitur hæ divisiones magis ad inducias pro statu, quam conventione, acceptas.

Observ.

Observ. 710.

Nam alias regulariter) Licet ſane terminos ita accipere, ut induciarum nomen ad ſolam hoſtilitatis omiſſionem, pacis vero, ad controverſiam, ex qua hoſtilitas enata, etiam tollendam, referamus, ſi tamen quis verbis aliter utatur, non apparet, cur valde cum eo litigandum ſit, etſi Autori aliter quodammodo videtur *d. c.* 7. §. 4. 5.

2. Si induciæ v. gr. à Calendis Martiis, uſque ad Idus Julias, contractæ ſint, uterque terminus â quo, & ad quem, iis probabiliter continetur *vid. d. c.* 7. §. 8. Grot. *d. l.* §. 4. De cætero ſubditos induciæ obligant à tempore ſcientiæ, Grot. *d. l.* §. 5. Durantibus induciis à læſione poſitivâ, dubio procul abſtinendum eſt Id. *d. l.* §. 6. *ſeqq.* ea verò, quæ ad defenſionem & ſecuritatem noſtram faciunt, ſuſcipere licet, ſi induciæ generaliter & ad longum ſatis tempus ſint initæ, ſi vero illæ ad breve ſpatium, ac certæ rei contemplatione, ſint contractæ, tum ea, quæ extra pactum ſunt, non recte fieri cenſet Grotius *d. l.* §. 10. diſſentiente tamen Pufendorfio *d. c.* 7. §. 10. Dicendum videtur, non poſſe illa ſuſcipi vi pacti, bene tamen defenſionis naturalis, quæ induciis neque confirmata neque ademta ſit, hinc ei hoſtis, ſi, quid agatur, reſciſcat, reſiſtere poteſt. Si induciæ ab altera parte violentur, tum alteram quoque ad hoſtilitatem redire

dire posse, manifestum est, si tamen poena in illum eventum promissa sit, hæc regulariter erit exigenda Grot. *d. l.* §. 11. 12. 13. Aut. *d. c.* 7. §. 11. 12. De aliis pactis bellicis, commeatum vel captivorum redemtionem spectantibus, tum iis, quæ à Ducibus, vel privatis ineuntur, prolixius agit Grot. *d. l.* & *cap. seqq. add.* Aut. *d. c.* 7. §. 13. *seqq.*

§. 17. Penitus autem tollitur bellum, sancita per summos utrinq; imperantes *pace;* cujus leges & conditiones definire uti est penes paciscentes; ita illæ fideliter & convento tempore exsecutioni dandæ & servandæ sunt. In cujus rei firmitatem non modo jusjurandum solet interponi, & obsides dari; sed & sæpe alii inprimis qui paci conciliandæ interveniunt, ejus observationem præstandam recipiunt, auxilio promisso ei, qui contra leges pacis ab altero, læsus fuerit.

Observ. 711.

Penitus autem tollitur bellum) Pax etiam accipitur vel pro *statu*, vel *conventione*, qua ille producitur, hoc sensu est Pactum, *quo omnis hostilitas aboletur, belli gesti commoda & incommoda determinantur ac controversia, ex qua hostilitas enata, penitus tollitur.* Valida est illa conventio, si libera voluntate suscipiatur, idem dicendum, si vis justa, hostem injustum, ad eam ineundam, cogat, si vero vi injusta quis adigatur, tum ex generalibus principiis invalida est, jus Gen-

ti-

tium voluntarium, quod in contrarium allegat Grotius *l. 3. c.* 19. §. 11. inane nomen est, ipsomet non valde repugnante *conf.* Aut. *l. 8. c.* 8. §. 1.

Observ. 712.

Cujus leges & *conditiones*) Ineunt pacem regulariter liberæ gentes earumque Imperantes, quorum diversam conditionem amplius explicat. Grot. *l. 3. c. 20.* §. 2. 3. 4. Potest etiam nonnunquam cum subditis rebellibus aut prædonibus pax iniri, quæ conventio valida est hactenus, ut ex conditione personarum, cum quibus contrahitur, eadem non improbari *vid.* Grot. *l. 3. c.* 19. §. 1. *seqq.* Autor *d. l.* 8. *c.* 8. §. 2. de hæreticis aut infidelibus vix id admoneri debet, religio, qualiscunque illa sit, jurium humanorum neminem facit incapacem. Quæ autem in pacem deducta censeri debeant, tam ex potestate quam voluntate Imperantium, juxta consuetas interpretandi regulas, judicandum est, quæ fusè satis persequitur Grotius *l. 3. c. 20.* §. *5. seqq. conf.* Autor *d. c.* 8. §. *3.* de cætero pax vel purè vel sub aliqua conditione initur, de quo Grot. *d. c. 20.* §. *42. seqq. add.* Autor *d. c.* 8. §. 5.

Observ. 713.


Ita illæ fideliter & convento tempore exsecutioni dandæ) Pace initâ, obligantur paciscentes, ex lege naturali, ad fidem servandam, quæ summatim in duobus consistit (1) *ut ea, quæ ob bellum gestum præstanda sint, bona fide præstentur,* qua

qua in re brevis mora periculosa, nec adeo tolleranda est *vid. d. l.* 8. *c.* 8. §. 4. (2) ut *omnibus ex fide præstitis, integra servetur amicitia*, quodsi quis sine causa justa alterum lædat, aut erga illum inhumanus sit, is tam communem socialitatem violasse, quam pacem, ei surrogatam, rupisse censendus est, nec putem argutiarum, quibus indulget Grotius *d. l. 3. c. 20.* §. 27. *seqq.* ac juxta quas, *nomen bello causam præbere*, &, *pacem rumpere*, disparari præcipit, magnum inter gentes esse usum.

Observ. 714.

In cujus rei firmitatem) Obligatio pacis *obsidibus, pignoribus, jurejurando* & aliarum Civitatum velut *fidejussione* (cujus faciendæ potestas *jus Guarantiæ* hodie dici solet) firmatur, duo priora ad pacis conclusæ *executionem*, posteriora verò tam ad *illam*, quam ejus *perpetuam observantiam* pertinent *vid.* Grot. *d. l. 3. c. 20.* §. 52. *seqq.* Aut. *d. l.* 8. *c.* 8. §. 6. 7.





CAPUT

CAPUT XVII.

DE FOEDERIBUS.

§. I.

BElli juxta ac pacis temporibus inſerviunt *fœdera*, ſeu pacta inter ſummos utrinque imperantes inita. Iſthæc *intuitu materiæ poſſunt dividi* in ea, quæ conſtituunt de aliquo officio invicem præſtando, quod jam antea lege naturali præcipiebatur; & quæ officii legis naturalis aliquid ſuperaddunt, aut ſaltem eadem, ubi indefinita videntur, ad certi quid determinant.

Obſerv. 715.

Belli juxta ac pacis temporibus inſerviunt fœdera] Horum indolem non exhaurit definitio ſubjecta, cum diſcrimen fœderum, & pactorum, non tantum à *Subjecto*, ſed & *Objecto* dependere videatur, hinc *Fœdera* ſunt *conventiones à liberis Gentibus earumque Rectoribus, intuitu utilitatis perpetuæ, vel per longius tempus præſtandæ, initæ*, fatendum tamen eſt, quod, pacta & fœdera diſtinxiſſe, non multum referat.

Obſerv. 716.

Iſthæc intuitu materiæ) Prima fœderum diviſio, ab

objecto generaliter ſpectato, deſumitur, de cætero opus eſt, ut nonnunquam fœdera, de communi ſocialitate confirmanda, ineantur, quando ſcilicet pravis moribus legis naturalis dictamina ſunt obliterata, & extranei fere pro hoſtibus habentur, poſſunt autem ſine turpitudine iniri ab eo, qui alias juxta legem naturæ, vivere paratus erat.

§. 2. Ad priorem claſſem referuntur fœdera, quibus de ſimplici duntaxat humanitate exercenda, aut noxa non inferenda convenitur. Quo pertinent & ea, quib9 ſimplex duntaxat amicitia citra peculiarem præſtationem ſancitur. Aut quibus jus hoſpitii, aut commerciorum quatenus id naturali lege debetur, ſtabilitur.

§. 3. Poſterioris claſſis fœdera ſunt vel *æqualia*, vel *inæqualia*. Illa ſunt, quæ utrinq; eodem ſe modo habent; ſeu quando non ſolum æqualia utrinque promittuntur, ſimpliciter aut obſervata proportione virium; ſed & æquali modo, ita ut neutra pars præ altera ſit deterioris conditionis, aut alteri obnoxia.

§. 4. Inæqualia ſunt, quando vel inæquales præſtationes invicem exhibentur, vel altera pars eſt deterioris conditionis. Promittuntur autem inæqualia vel à fœderato digniore, vel à minus digno. Prius fit, ſi potentior auxilia promittat alteri, nec reſtipuletur, aut ſi majo-

ri

ri proportione quam alter promittat. Posterius contingit, si fœderatus inferior plura teneatur præstare, quam ab altero recipit.

§. 5. Eorum, quæ à fœderato inferiore præstantur, quædam sunt *conjuncta cum imminutione summi imperii*; puta; si conventum sit, ne inferior socius partem aliquam summi imperii exerceat, nisi cum consensu superioris. Quædam autem *summum imperium non diminuunt*; licet adjunctum habeant aliquod onus transitorium, seu quo simul & semel licet defungi; puta, si ex fœdere pacis alter teneatur stipendium solvere alterius militibus, belli sumtus restituere, certam summam pecuniæ solvere, mœnia diruere, obsides dare, naves, arma tradere. &c. Imo nec quævis perpetua onera summum imperium diminuunt. Qualia sunt; eosdem cum altero amicos & hostes habere, sed non reciproce; ne liceat certis locis munitiones extruere, ne ad certa loca navigare. &c. Item si unus sociorum alterius socii majestatem comiter teneatur colere, seu reverentiam quandam ipsi exhibere, & sese ad ejusdem placitum modeste attemperare.

Observ. 717.

Ad priorem classem) Utriusque generis fœdera amplius declarat Autor *h. add. l. 8. c. 9.* §. 1. 2. 3. 4. Sed vix attinet, discrimina illa anxiè sectari, cum effectum fœderum non mutent, sed omnia potius, quæ seriò promissa sunt, bona fide servari debeant, hinc in specie non valde litigandum hactenus videtur, utrum aliquod fœdus, imperium civile imminuat, nec ne, de quo §. 5. *h.* quanquam, si de libertate civili alicujus Gentis pronunciandum sit, illa sollicitiꝰ inquiri debent.

§. 6. Cæterum fœdera tam æqualia quam inæqualia varias ob causas solent contrahi: inter quas arctissimam fœderum speciem producunt, quæ ad conjunctionem aliquam perpetuam plurium civitatum spectant. Frequentissima autem sunt, quæ ad auxilia in bello defensivo aut offensivo præstanda, aut ad commercia regenda pertinent.

Observ. 718.

Cæterum fœdera) Altera fœderum divisio à *fine* aut *objecto speciali* desumitur, ac non tantum fœdera æqualia & inæqualia, ceu Autor præcipit, sed & ea, quæ communem humanitatem saltem confirmant, comprehendit. Explicatius paulo sic fortassis dici potest: Fœdera vel *pacem*, vel *bellum* respiciunt; *Illa* pertinent vel ad *societatem civilem perpetuam*, qualia sunt fœdera systematica, vel ad *utilitatem*

tem

tem aliquam per longius tempus, imo aliquando ſemper, duraturam, aliqua ratione commerciorum, peregrinationum, aut communis amicitiæ continuandæ, iniri ſolent. *Hæc* verò vel cum *amicis ineuntur*, qualia ſunt, quæ auxilia in bello offenſivo & defenſivo præſtanda, aut neutralitatem concernunt, vel cum *hoſte panguntur*, quorſum retuleris omnis generis pacta bellica, ſi his quoque nomen fœderis applicari poſſe putes, quanquam hactenus ferè aliam ſuppoſitionem ſequimur *add. d. c. 9 §. 3.* Poſſent hac occaſione nonnulla de *Neutralitate* proponi etſi rectius eadem in materia belli, adducuntur. Tetigi ſumma capita in Specim. Jur. public. *l. 3. c. 4. §. 82. ſeqq.*

§. 7. Celebris quoque eſt diviſio fœderum in *realia* & *perſonalia*. Quorum hæc ſunt, quæ cum rege intuitu perſonæ ipſius ineuntur, eoque defuncto ſimul expirant. Illa vero ſunt, quæ non tam ipſius regis, populivè rectorum ut talium, quam reipubl. & regni intuitu contrahuntur, ac perdurant, iſtis licet mortuis, qui eorundem autores fuerant.

Obſerv. 719.

Celebris quoque eſt diviſio fœderum) Tertia diviſio à *Subjecto* dependet, circa quam illud præcipuè quæritur, quando fœdus reale vel perſonale dicendum ſit, quæ res neque ex *perſona contrahente*, nec ſemper ex *diſertis verbis* diju-

dicari debet, cum potestas successores obligandi deficere queat. Dicendum igitur erit, fœdera, quæ à libero populo, velut subjecto regulariter immutabili, ineuntur, realia esse ac durare, licet in aliam formam Respublica mutetur, nisi forte primævum statum unice respiciant, si vero â Rege, velut subjecto mutabili, contrahantur, realia illa censeri, si juxta præscriptum legum fundamentalium, personalia vero, si præter illam normam, inita sint *add. d. l. 8. c. 9. §. 6. 7.*

2. Personæ & materia fœderum ex dictis jam intelliguntur. Officium autem paciscentium est, ut fidem datam servent, occurrunt tamen subinde quæstiones dubiæ circa id, quod actum sit *vid. d. c. 9. §. 5. 9. 10. 11.* quæ adeo efficiunt, ne quis semper violati officii argui queat, quamvis nec insolitum sit, ut cavillatione obligatio eludatur.

§. 8. Conjunctæ fœderibus sunt *sponsiones*, quæ proprie vocantur ista pacta, quæ à ministro summæ potestatis circa negotia ad eandem spectantia sine ipsius mandato ineuntur. Quibus uti summus imperans non tenetur, nisi postquam eadem rata habuerit: ita si minister easdem absolute contraxerit, & ratihabitio secuta non fuerit, ipse viderit, quomodo satisfaciat illis, qui ejus fidem secuti inanibus pactis decepti sunt.

Observ.

Observ. 720.

Conjuncta fœderibus sunt Sponsiones) Harum indolem uti satis exprimit allata definitio, ita nomen Sponsionis alias generale, huc applicatum videtur, vel quod promittentes, pro Republica velut spondeant aut fidejubeant, vel quod promissio in hoc negotio valde notabilis sit, adeoque ab illa, hoc non immerito denominetur.


Observ. 721.

Quibus uti summus Imperans) Ante ratihabitionem expressam vel tacitam, ex sponsione, Respublica & Imperans non obligatur, nec etiam ad eam faciendam tenetur, nisi utilitas publica hoc exigat, quanquam hic amplius videndum, an non, ex culpâ Ministri, causa illa dependeat, tum enim nullius erit efficaciæ.

Observ. 722.

Ita si minister) Ipse sponsor primariò obligatur ad eliciendam Imperantis ratihabitionem, hanc si impetrare nequeat, ad interesse tenebitur, cui quidem efficiendo, vix ipsius bonorumque omnium deditio sufficiet *vid. l.* 8. *c.* 9. §. 12. 13. In historia Romanâ Sponsio Caudina & Numantina imprimis celebres sunt, quas *Dn. Thomasius* peculiaribus disputationibus exposuit. Hodie forte rariora ejusmodi Sponsionum erunt exempla, cum major sit bellandi peritia, nec subditi casꝰ tale quid exigant.

2. Alias circa pacto summorum Imperantium, hæc promiscuè quæri solent, (1) *an in iis locum habeat restitutio in integrum?* quod dicendum, si hoc nomine nihil aliud intelligatur, quam genuina interpretatio, quâ, ob necessariorum requisitorum defectum, pactum invalidum esse ostenditur, si verò, ob rationes utilitatis privatæ, eo prætextu, quævis obligatio paulo molesta elidatur, tum imposturæ colorem quæri, facilè liquet (2) *an in pactis Regum solennia juris positivi observanda?* quod negandum, nisi aliud sit actum (3) *an contractus cum subditis initi subjaceant dominio eminenti?* quod asserendum, si vera utilitas subsit (4) *quousque obligatio Regis in successores transeat?* quatenus vel ejus contrahendæ arbitrium penes eum unice fuit, vel illa, ex voluntate Civitatis, contracta est *vid. l.* 8. *c.* 10.



CAPUT

CAPUT XVIII.

De

OFFICIIS CIVIUM.

§ I.

OFficium civium* eſt vel *generale*, vel *ſpeciale*. Illud oritur ex communi obligatione, qua iſti imperio civili ſunt ſubjecti. Hoc vero ex peculiari munere & functione, quæ per ſummum imperium ſingulis eſt injuncta.

Obſerv. 723.

Officium Civium) Alteram perſonarum claſſem in Republica conſtituunt *Cives* ſeu *Subditi*, quorum indolem & varietatem *Obſerv.* 562.*ſeqq.* expoſui, hic de officio Eorum diſſeritur, ſequitur vero hoc ipſorum conditionem ſeu ſtatum, cum igitur omnes in eo conveniant, quod ſint ſubditi, hinc exoritur *officium generale*, cum porro diverſis muneribus varioque vitæ genere, diſtinguantur, peculiaribus quoque nexibus, generali ſubjectionis vinculo ſubordinatis, inter ſe nonnulli connectantur, ac peculiaria corpora, ut mu-

nicipia, vicos, pagos aliaque collegia vel ſocietates, efficiant, hinc exiſtit *Officium ſpeciale.*

Obſerv. 724.

Illud oritur) Officium civium generale includit etiam humanum, nam, hoc ſalvo, in civitatem homines coeunt, adeoque illi, civile adjiciunt, ex quo liquet, generale illud officium non unice ex ſubjectione oriri, ſed ejus partem eximiam præſupponi ac per hanc firmari atque augeri.

Obſerv. 725.

Hoc vero ex peculiari munere) Munus & officium poſſunt quidem promiſcue accipi, ſed hic per *illud* intelligitur ſtatio quædam, peculiare jus agendi eique innexam utplurimum exiſtimationem, nec non facultatem fruendi quibusdam commodis, complectens, per *hoc* verò, actio moleſta & neceſſaria, quæ illa commoda comitatur. De cætero officium ſpeciale non tantum ex munere aliquo publice collato, ſed & ex quavis profeſſione ac vitæ genere privato, poteſt repeti, nam v.gr. opificum & mercatorum eſt etiam officium ſpeciale, dum utilitatis publicæ præcipuam habere rationem, de cætero verò utilitati propriæ innoxiæ operam dare debent. Interim frequentius ex munere publico, officium ſpeciale deducitur, quo etiam Autor reſpicit.

§. 2.

§. 2. Officium generale civium reſpicit vel *rectores civitatis*, vel *totam civitatem*, vel *concives*.

Obſerv. 726.

Officium generale Civium] Sub hoc humanum comprehenditur, hoc enim juxta tres reſpectus memoratos occurrit: Addi poteſt quartum, DEUM ejusque cultum reſpiciens, quod itidem vel humanum, vel civile eſt, quatenus ſcilicet religio imperio civili ſubeſt.

§. 3. *Rectoribus civitatis civis debet* reverentiam, fidelitatem, & obſequium. Cui conjunctum eſt, ut idem præſenti ſtatu adquiescat, neque ad res novandas animum adjiciat, neque alteri cuivis adhæreat magis, eundemvè admiretur & veneretur; utque bene ac honorifice de iisdem, & eorum actionibus ſentiat, atque loquatur.

Obſerv. 727.

Rectoribus civitatis) His civis obligatur vel ut homo, ad communia ſocialitatis officia, vel ut ſubditus, juxta doctrinam Autoris. De cætero hoc officium manet, licet Imperans metas officii ſui tranſiliat, niſi hoſtilem plane animum induat, quanquam de pravis Imperantis moribus libere loqui, periculoſum magis quam injuſtum videtur.

§. 4. *Erga totam civitatem officium boni civis* eſt, ut ejus ſalute & incolumitate nihil ha-

habeat carius; ut vitam, opes, fortunasque suas ad eandem servandam libenter offerat: ut ad eandem illustrandam, ejusque commoda promovenda omnes ingenii & industriæ nervos intendat.

Observ. 728.

Erga totam Civitatem) Utilitas publica cum privata non semper colliditur, hinc hactenus secure huic indulgetur, si vero collisio fiat, illa utique præferenda, quo loco tamen observandum, officia civium sese heic mutuo velut respicere, ac unius præstationem, ab alterius impletione, quodammodo suspendi, publico enim non consulitur, nisi unitis viribus, quodsi igitur perversa illa invaluerit consuetudo, ut à plerisque privata utilitas publicæ præferatur, etiam bono alioquin civi vitio verti nequit, si se suaque, inefficaci ac Publico aut profutura probitate, in casum dare nolit. Si verò utilitas publica prætextui saltem sumatur ac molestæ præstationes à subditis, explendæ tantum aliorum avaritiæ, exigantur, tum nullam ad eas faciendas subesse obligationem, manifestum est.

§. 5. *Erga concives civis officium* est amice & pacifice cum illis vivere, commodum sese ac facilem præbere, nec morositate aut pervicacia suâ turbas dare; cæterorum commodis non invidere, aut eadem intervertere.

Observ.

Observ. 729.

Erga Concives) Inter cives specialis conventio non intercessit *vid. Observ.* 555. hinc horum erga se invicem officia, tantum humana videntur, commune tamen subjectionis vinculum efficit, ut ceteris paribus, eadem potius civi, quam extraneo exhibere debeamus.

§. 6. *Specialia officia* vel per universam sese remp. velut diffundunt, vel circa certam duntaxat partem occupantur. Circa quæ omnia hoc generale præceptum habetur; ne quis ullum officium in rep. affectet aut suscipiat, ad quod sese ineptum deprehendit.

Observ. 730.

Specialia Officia) Hæc omnia quidem ad Civitatis utilitatem collimare debent, adeoque quoad *finem ultimum* & *generalem* illa conveniunt, sed *objecto* & *fine speciali* discernuntur; quædam enim munera, quæ proximè imperium civile dispensant, per universam rempublicam se diffundunt, quædam vero illis subordinata, circa partes occupantur, quæ omnia variis gradibus distinguuntur, variaque gaudent existimatione, de cætero munera specialia, vel ut *obtinenda*, vel ut *obtenta* spectari possunt.

Observ. 731.

Circa quæ omnia) Juxta primum respect, um hæc præcepta observanda sunt (1) *ne ineptus munus ambiat* §. 6. *h.* Sed ignavum fuerit, talem se existi-

existimare, innata ambitio facile potius decernit, ut quis, se aliis non tantum parem, sed & sæpe, sine pari, existimet! (2) *ne plura munera, quam quibus obeundis quis possit, affectet ac suscipiat*, imo (3) *si jam suppetat, unde commode vivere possit, ne alios à munere expungat.* Denique [4] *ne, in obtinendis muneribus, pravis artibus utatur.*

2. Veritas harum regularum manifesta est, quemadmodum earum neglectus non minus usitatus & notus, nam utplurimum, in ambiendis & dispensandis muneribꝰ, pudor & conscientia exulant, cum nunquam securius delinquatur, quam in ejusmodi objectis generalibus, ubi quis manifesti sceleris non statim potest convinci. Impediendo abusui, delatio munerum, certis legibus & statutis solet esse circumscripta, sed ut omnia humana facile corrumpuntur, ita etiam via illa ordinaria sæpe solet esse corruptissima, ut nonnunquam alicui vitio verti non possit, si manu Regia veteratores, sub specie recti, pravis affectibus indulgentes, deludat.

§. 7. Qui *consilio* suo rectoribus civitatum adsistunt, in omnes reip. partes aciem mentis convertant; quæ ex usu reip. videbuntur esse dextre & fideliter citra affectus ac pravos respectus exponant; salutem reip. in omnibus consiliis pro scopo habeant, non proprias opes, aut potentiam; pravis affectibus principum adulando non velificentur; factionibus

&

& coitionibus illicitis abſtineant: nihil quod dici oportet diſſimulent, nihil quod taceri oportet, eliminent: exterorum corruptionibus impenetrabiles ſeſe præbeant; privatis ſuis negotiis aut voluptatibus publica negotia non poſthabeant.

§. 8. Qui publice conſtituti ſunt ad *ſacra obeunda*, in iisdem gravitatem & attentionem adhibeant, vera de cultu Numinis dogmata proponant, eorum quæ ipſi docent populo ſeſe conſpicuum exemplar exhibeant, nec pravitatem morum muneri ſuo dignationem, doctrinæ pondus detrahant.

§. 9. Queis publice injunctum variarum *ſcientia* rerum animos civium imbuere, nihil falſi aut pernicioſi doceant: vera autem ita tradant, ut auditores iis aſſentiantur non tam adſuetudine audiendi, quam quia ſolidas eorundem rationes perſpexerunt: omnia dogmata ad ſocietatem civilem turbandam directa fugiant; omnem ſcientiam humanam inanem habeant, ex qua nulla in vitam humanam & civilem utilitas redundat.

§. 10. Qui *juridicundo* præficiuntur, quibusvis facilem acceſſum præbeant, plebem ab oppreſſionibus potentiorum protegant; jus æque pauperi & humili, quam potenti & gratioſo dicant; lites ultra neceſſitatem non ex-

extrahant; à corruptelis abstineant; in cognoscendis caussis diligentiam adhibeant, omnesque affectꝰ sinceritatem judicii corrumpentes seponant; recte faciendo neminem timeant.

§. 11. Quibus *armorum* cura commissa, militem diligenter & tempestive exerceant, & ad dolerandos militiæ labores firment; disciplinam militarem sartam tectamque habeant; milites hosti jugulandos temere non objiciant; annonam & stipendium quantum in se promte procurent, nec de eo quidquam intervertant; milites semger ut reip. faveant, curent nec unquam eos sibi adversus rempubl. concilient.

§. 12. *Milites* contra stipendiis suis contenti sint; ab expilandis & vexandis paganis abstineant; labores pro tuenda Rep. libenter & struerè obeant; pericula per temeritatẽ non arcessant; per ignaviam nõ defugiant; fortitudinem in hostem, non in commilitones, ostentent, stationem assignatam masculæ defendant; honestam mortem turpi fugæ & vitæ præferant.

§. 13. *Quorum opera civitas apud exteros utitur*, cauti sint & circumspecti, inania à solidis, vera à fabulosis discernere callidi, secretorum tenacissimi, pro utilitate suæ civitatis adversus quaslibet corruptiones obstinati. §. 14.

§. 14. Qui *opibus civitatis colligendis*, aut dispensandis præsunt; caveant ab omni non necessaria acerbitate, nec ob proprium quæstum, aut per petulantiam vel malignitatem animi oneris quid adjiciant; publici nihil intervertant; quibus de publico quid solvendum, illis citra moras non necessarias satisfaciant.

Observ. 732.

Qui consilio suo) Postquam munus obtentum est, lex naturalis exigit, *ut quis eodem rite fungatur*, ex quo specialia præcepta, affirmativa & negativa, deducuntur, id quod Autor quoad consiliarios §. 7. circa sacra occupatos §. 8. Doctores §. 9. Magistratus §. 10. militum duces §. 11. milites §. 12. legatos §. 13. & rei pecuniariæ præfectos §. 14. declarat, quæ monita in se egregia sunt, sed sæpe in vita civili negliguntur. Fallendi artes infinitæ sunt, nec ego illos intelligo, nec adeo referre possum aut volo, in genere tamen illæ duorum generum sunt, vel enim quis muneri suo non vacat, & salaria in otio & luxu consumit, aut etiam suæ litat avaritiæ, vel eodem ad alios expilandos & opprimendos abutitur. Causa ultima illius abusus non ita obscura est, ut eadem recte attendentibus non facilè appareat, illud interim certum videtur, socialitatem nulla re magis, quam isto munerum abusu, affligi & opprimi.

§. 15. *Durat* autem civium speciale officium, quamdiu in ea functione, ex qua illud profluit

fluit, ſunt conſtituti: qua ubi abeunt, & illud expirat. Generale itidem durat, quamdiu cives ſunt. *Cives* autem *eſſe deſinunt*, vel ſi conſenſu expreſſo aut tacito civitatis diſcedant, & alibi ſedem fortunarum figant; vel ſi ob delictum in exilium ejiciantur, & jure civitatis priventur; vel ſi hoſtica vi oppreſſi in victoris ditionem concedere adigantur.

Obſerv. 733.

Durat autem Civium) Civium officia, quatenus ex facto dependent, nec per naturam immediatè conſtituuntur, hypothetica ſunt, adeoque ſtatu vel conditione quam præſupponunt, ſublata, ceſſant. Deſinit itaque ſpeciale officium, munere extincto, quin tamen de ante geſtis quis rationem reddere teneatur, dubitandum non eſt, hæc enim obligatio ex facto præterito orta ſubſiſtit, licet obligatio, quoad actiones futuras, ceſſet.

Obſerv. 734.

Generale itidem durat, quamdiu cives ſunt) Quod tamen intelligendum de officio, quatenus civile eſt, ſeu à facto dependet, nam humanum officium, quod ſub generali alias comprehendi diximus *Obſerv.* 726. ſemper durat.

Obſerv. 735.

Cives autem eſſe deſinunt) Duplici modo hoc contingit, vel *ſalva civitate*, ad quem caſum Autor unice hic reſpicit, vel *illa mutata aut pereunte*, qui caſus rarior eſt, accidere tamen nonnunquam ſolet.

Ob-

Observ. 736.

Vel si consensu expresso) Salva civitate, quis civis esse desinit, si alio migret, quod quidem, sine consensu civitatis, fieri non potest, attamen hæc regulariter illum denegare nequit, cum migratio illa sit innoxia, ob justas tamen caussas consensus ille uti denegari potest, ita migraturis aliquod onus regulariter imponere, non est iniquum, modo humanitatis regulæ observentur *conf. l.* 8. *c.* 11. §. 1. 2. 3. Ex iis autem consequitur, quod civitas, gregatim discessuros dimittere non teneatur, licet dissentiat Autor *d. c.* 11. §. 4.

Observ. 737.

Sed alibi sedem fortunarum figant) Hoc utique requiritur, ut is, qui civis amplius esse non vult, territorio antiquo excedat, nam ut quis in eodem maneat, & tamen imperio civili subesse nolit, id quidem indoli civitatis repugnat, hinc qui tale quid, sub quocunque prætextu, moliuntur, pro hostibus Reipublicæ haberi, ac nisi â proposito, admoniti desistant, vel expellendi, vel vi in ordinem redigendi sunt *vid. d. c.* 11. §. 3. Id tamen non præcise opus est, ut quis actu è Patria discedat, nam si civis, velut legatus aliûs civitatis, in antiquo Territorio toleretur, eo ipso civitatem mutasse censendus est, nec opus est aliqua fictione, cui Autor *d.* §. 3. indulget. Vinculo autem semel legitime soluto, pristinæ civitati nihil amplius juris in civem dimissum competit, hinc

nec mandatis avocatoriis eum retrahere, nec in illum, si velut minister novæ suæ civitatis admittatur, jurisdictionem exercere potest *d. c.* 11. §. 3. Imo, si justa causa subsit, dimissus, etiam contra patriam seu veterem civitatem, operas suas recte præstabit.

Observ. 738.

Vel si ob delictum in exilium ejiciantur) Aut etiam ob delictum alibi commissum, civitati læsæ dedantur *vid. d. c. 11.* §. 7. 9. Invitum autem civem, nullo antegresso delicto, civitas non recte expellit *d. c.* 11 §. 6. si tamen civis, â religionis formula, publicè probata, dissentiat, tum ei emigratio, sed innoxia, imponi potest, nam licet suo jure utatur, dum religionem, quam veram putat, sequitur, non minus tamen civitas suo jure utitur, si civem, per omnia rationibus publicis se non attemperantem, in territorio suo tolerare nolit, de cætero raro heic intra terminos, æquitatis consisti, experientia quovis tempore docuit & docet.

Observ. 739.

Et jure Civitatis priventur) Solum gitur exilium, subjectionis vinculum non tollit, videtur igitur distinguendum, utrum *cum exilio bonorum ademtio sit conjuncta*, id quod olim in deportatione Romana contingebat, tum subjectio tollitur, an *illud solitarium sit*, hoc casu relegatus,

tus, minimum quoad res in civitate remanentes, ſubditus manet, quodſi autem talis, qui omnia ſua ſecum portare ſolet, ejiciatur, illum pro extraneo habere nil vetat.

Obſerv. 740.


Vel ſi hoſtica vi oppreſſi) Denique, ſalva civitate, per vim hoſtilem non tantum ſinguli, ſed & quandoque eximia ſubditorum pars, imperio priſtino eximuntur, nam ob neceſſitatem, ſubditis ſeſe hoſti dedere fas eſt *add. d. c.* 11. §. 8. Sola tamen violenta illa occupatione, ſubjectionis vinculum non penitus tollitur, ſed per pacem iſta res demum plene definitur, hinc quamdiu hæc nondum eſt ſecuta, ſubditi avulſi contra veterem Rempublicam ſponte nihil moliri debent.

Obſerv. 741.


Denique adjiciendum, quomodo civis eſſe quis deſinat, civitate mutata aut pereunte. Mutatur civitas (1) ſi manente unitate ejus, forma alia introducatur *vid l.* 8. *c.* 12. §. 1. 2. 3. 4. (2) ſi plures civitates in unam coaleſcant, vel una in plures diſcernatur *d. c.* 12 §. 5. 6. (3) ſi diverſæ civitates fœdere ſyſtematico conjungantur. Interit autem (1) ſi omnes cives internecione deleantur (2) multitudo diſſolvatur ac diſſipetur (3) civitas alteri vel-

ut provincia subjiciatur *add. d. c.* 12. §. 7. 8. 9. Omnibus illis casibus, civis pristinæ civitatis, quis esse desinit, in casu mutationis, secundum quid, interitûs, absolute.

FINIS.



IN-



INDEX

Rerum præcipuarum.

Numerus, literâ P. ſtipatus, *paragraphum in Prolegomenis*, nude verò poſitus, *Obſervationem* notat, ac præmiſſum Autoris textum ſimul indicat.

AFFECTUS.

ALIENATIO.

ATHEISMUS.

B.

BELLUM. PAX.

BONA

BONA ET MALA.

C.

CALAMITAS.

CASUS FORTUITUS.

CERTITUDO.

CIVIS.

CIVITAS.

CON-

CONTRACTUS.

CULPA.

D.

DAMNUM.

DEFENSIO VIOLENTA.

DELICTUM.

DOMINIUM.

DOMINUS.

E.

EBRIETAS.

ERROR.

EXISTIMATIO.

F.

FAVORABILE.

FOR-

HOMO

HOMO.

HUMANITAS.

HUMILITAS.

I.

IMPERANS.

IMPOSSIBILE.

IMPUTATIVITAS.

INGRATITUDO.

INTERPRETATIO.

JURISPRUDENTIA.

JUSJURANDUM.

L.

LÆSIO.

LEX.

LOTARIA.

LUDUS.

M.

MAJESTAS.

MAJORA VOTA.

MARITUS.

MATRIMONIUM.

MENS.

MORALIA.

MORALITAS.

MORTUI.

N.

NECESSITAS.

O.

OBLIGATIO.

OC-

OCCUPATIO.

OCEANUS.

OFFICIUM.

OLLA FORTUNAE.

P.

PACTUM.

PATRIA POTESTAS.

PHILAUTIA.

PHILOSOPHIA PRACTICA.

POENA.

PROPAGATIO.

PRUDENTIA.

R.

RATIO.

RATIO STATUS.

RE-

RELIGIO.

S.

SERMO.

SOCIALITAS.

So-

SUBJECTIO.

SUCCESSIO.

SUMMUM BONUM.

SUPERBIA.

T. THEO-

T.

THEOLOGIA.

V.

VIRTUS.

VIS.

VITIUM.

S. N. G.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google